34 theses

EXCERPTA QUÆDAM

CIRCA

FEBRES INTERMITTENTES IN GENERE

Et usum rectum tempestivumque corticis peruviani in illis curandis,

Quæ, Deo juvante, in augustissimo Ludovicæo Monspeliensi tueri conabitur, argumentantibus Ill. Professoribus regiis D.D. P. J. Barthez, Universitatis Cancellario; G. René, decano; A. Gouan, Pro-decano; F. Broussonet; F. Vigarous; H. L. Brun; H. Fouquet.

AUCTOR

Jacobus-Philippus Senné, ex urbe Marennes, in novâ partitione dictâ, *la Charente inférieure*, olim apud Santones; in almâ Universitate Pictaviensi liberalium artium Licentiatus et Magister, et in celeberrimâ Monspeliensi Universitate Medicinæ Alumnus,

Pro Baccalaureatûs gradu consequendo.

MONSPELII,
Apud Joannem-Franciscum Picot, Regis Univerſitariſque Medicinæ Typographum

1791.

Neque herculè satis est, ipsas tantùm febres medicum intueri, sed etiam totius corporis habitum, et ad eum dirigere curationem, seu supersunt vires, seu desunt, seu qui mali effectus interveniunt.

A.C. Celsus, liv. 3, cap. 5.

PARENTI. OPTIMO

ET. VENERANDO

AMICO. INTEGERRIMO

PRÆCEPTORI. COLENDISSIMO

PETRO. JACOBO. SENNÈ

IN. LUDOVICÆO. MONSPELIENSI

MEDICINÆ. DOCTORI

IN. CIVITATE. MARENNES. CLINICO

PRIMUM. È. MUNICIPIBUS. VIRIS

NUNC. ADMINISTRATIONIS. PRÆSIDI

PIETATIS. REVERENTIÆ. ET

GRATI. ANIMI. SIGNUM

SE. SUAMQUE

DISSERTATIONEM

JACOBUS. PHILIPPUS. SENNÉ

D. V. C.

EXCERPTA QUÆDAM

CIRCA

FEBRES INTERMITTENTES IN GENERE

Et uſum rectum tempeſtivumque corticis peruviani in illis curandis.

TANTAS ſtrages in patriâ noſtrâ efficiens febris intermittens, officii duximus ad hunc morbum potiſſimùm nos conferre. Hìc de febris naturâ nil dicemus, quod de illâ nil certè ſcimus, quòdque omnes auctores in ſcriptis, ſententiis hypotheſibusque ſemper fuerunt innixi. » A force de ſuppoſitions gratuites, de comparaiſons infidèles, d'analogies illuſoires, d'inductions fauſſes, on eſt venu à bout de ſe former, pour chaque claſſe de maladie, une opinion ſur la nature du principe qui les excite

et les soutient ». VOULLONNE (1). His omnibus perpensis, existimavimus præstabilius esse tacere, quàm errores palam proferre; rati quotiescumque naturæ arcana perscrutari homines conabuntur semper in errore esse versaturos. *Febris si phœnomena spectes reliquis morbis est notori, si constitutionem et causam omnium ignotissima* BAGLIVI. (2) In libris igitur dormiant hypotheses; in medium nil proferamus quod factis, experientiis observationibusque non sit comprobatum: his ducibus à veritate nunquam discedemus.

Febris igitur quam omnes medici cognoscunt, discernunt, quam omnes diversimodè definiunt, cujusque natura ab omnibus est ignota, in continuam, remittentem et intermittentem dividitur, hìc de febre intermitt. tantùm agemus.

Febris intermittens ea est quæ certis periodis distincta alternè insurgit et desinit ad certum tempus; statis scilicet horis et diebus, præmisso frigore incandescit et deindè sensim remittit, donec ad veram deveniat apurexiam. SENAC. (3) Insultus quo prehendit febris *accessio*, tempus quod ab initio usque ad exitum accessionis effluit *circuitus*, requies verò quæ accessiones interjacet *intermissio* nuncupatur. Ordo circuituum *Typi* nomine venit. Diver-

---

(1) Mémoire sur la méd. agissant. et expect. pag. 84.
(2) Prax. med. l. 1, cap. 13, pag. 139.
(3) De recondita febrium, ect. caput. 1, pag. 1.

sa sortitur nomina febris intermitt. prout diversitas temporis quod singulos separat paroxysmos; *quotidiana* vocatur illa quæ singulis diebus invadit; *tertianæ* verò nomen accipit si alternis revertatur; *quartana* autem nuncupatur dum quartâ quâque die corripit. Adsunt auctores qui asserunt febres intermitt. vidisse quarum paroxysmi longioribus prodiebant intervallis; sic scripsit *Hippocrates quintanas*, *septimanas*, *nonanas*; *septimanam* exquisitam *Boerrhaave*; aliquoties *quintanas*, *septimanas*, *octanas* frequentiùs observasse *Werlhof*. Attamen raræ sunt hujus modi febres; *quintanas equidem quandòque occurrere nemo inficiari potest; sed aliarum obscura est, imò planè incerta periodus; si illas negare non sinat præstantissimorum medicorum fides, fateamur opportet eas raròfuisse observatas.* *Senac* (1).

Febris quartana frequens est, frequentior quotidiana, omnium frequentissima tertiana. *Strack*, *Cullen*.

Nonnunquam duplicatæ apparent ut ut tertianæ duplices, quartanæ duplices, etc., etc.

Pro verò anni tempore quo grassantur febres istæ in *vernales* et *autumnales* distinguuntur; quæ à mense *februario* usque ad *augustum* vernales, quæ autem ab *augusto* usque ad *februarium* autumnales dicuntur. Maximè necessaria hæc est in praxi distinctio, nam licet eodem nomine donentur, licèt eumdem teneant Typum ingens tamen adest diversitas tum

(1) L. c. pag. 2.

in symptomatibus, tum in curatione: *nisi eamdem distinctionem in praxi sedulò contemplemur, neque de earum curatione pronostico aliquo ritè facto quicquam pronuntiare, neque quo modo regimine ægrorum corpora curare poterimus.* SYDENHAM (1).

Febres intermitt. vernales rarissimè diuturnæ sæpè sunt salutares, sibique relictæ suo marte aliquoties curantur. Febres autem autumnales ad plures menses, imò aliquoties usque ad vernum tempus non raro protrahuntur; sunt periculosiores; et ætate provectioribus corporibusque cacochymicis aliquandò lethales. initio sæpè sæpius continuarum imitantur indolem, ita ut pro febre continuâ habeantur; id maximè evenit cum epidemicè grassantur: *observandum est etiam, quod in principio febrium intermittentium (epidemicarum præcipuè quæ autumno contingunt) haud ita in proclivi est, Typum sub primis invasionis diebus ritè distinguere, quandoquidem febre continuâ adscitâ primùm adoriuntur, neque facilè est aliquandiu, nisi diligenter adverteris animum, quidquam aliud præter aliqualem morbi remissionem deprehendere, quæ tamen paulatim in perfectam desinit intermissionem, et Typum anni tempestati aptè respondentem.* SYDENHAM (2). Id etiam observavit Ill. PRINGLE (3). Post illas

(1) Tom. 1, sect. 1, cap. 5, pag. 48.
(2) L. c. pag. 51.
(3) Observat. sur les malad. des Armées, tom. 1, pag. 261.

ventris induratio, tumores hydropici, cachexiæ, obstructiones ect. ect. observantur; nunquam verò post vernales vel rarissime saltem; difficilis tandem illarum curatio. In genere dici potest, quotiescumque febres intermitt. perfectam habent apyrexiam, non esse periculosas Nisi in senibus et cacochymicis, quotiescumque verò in continuam degenerant, tunc periculossimas fieri : atqui omnes medicos docuit observatio febres intermitt. autumnales eas esse quæ ad hanc mutationem magis sunt proclives. Ex dictis lucidè patet quantum utraque febris inter se differat.

Dividuntur et etiam febres intermitt. in benignas et in malignas sive *perniciosas.*

Ut certis temporibus ita certis locis grassantur febres istæ, his præprimis obnoxii sunt qui regiones humiles, depressas, uliginosas habitant, aërem putridis ex humili atque paludoso solo, terrisque effossis effluviis inquinatum respirant : itaque miserandam earum stragem infelices *marennæ* cives, et multò maxime ii *rupefortii*, omnesque incolæ vicorum vicinorum experiuntur : constitutio aëris epidemica, tempestas humidior, calidior, diutius spirans auster hisce febribus adhucdum ansam præbent ex observatione celeb. *Piquer*; omniumque practicorum.

Jam nobis considerandum venit quibusnam phœnomenis incipiat febris intermitt. quibusnam et etiam in suis periodis stipetur. Vel lentè, vel protinùs erumpit illa febris : quandò lentè, incipiunt ægri corpore et animo torpere; levi et fugaci capitis dolore conflictuntur; cibos

non multùm appetunt ; fauces sæpè siccas habent ; potum frigidum et acidum, fructus desiderant ; sunt debiles ; cum deambulant juxtà frontem facilè sudant ; urinam magis flavam, urethramque urentem reddunt ; amænum vultûs colorem decoremque amittunt ; illorum halitus idem est ac ille hominis jejuni ; dentes habent limosos ; facillimè algent ; expallescit vultus ; colore luteo inficiuntur palpebræ ; omnia tandem illa symptomata in dies magis ac magis augescunt, vinum tunc respuunt, propriâ linguâ decepti, panis subamarus illis videtur, laboriosè tumultuosèque somno indulgent, oculi cavi, sicci fiunt ; adest totius corporis lassitudo gravitasque ; spumescit urina, sedimentumque præcipitat, nisi omni cibo abstineat æger et secundum indicationem vomitorium aut alvum purgans pharmacum propinetur : sin autem irrita sint illa auxilia, si ægrorum dispositio sit semper eadem, tunc diù non sic habent, et febris usque adeò obscura omninò explicatur.... Quandò protinùs, observantur oscitatio, pandiculatio, totius corporis lassitudo et gravitas, anxietas, caput grave, pallor ; deindè incipit frigus, quod ex dorso sæpè sæpiùs videtur insurgere, posteà per totum corpus vagari et sicut facundè locutus est Ill. SENAC, *variis veluti rivulis hàc et illàc inordinatè excurrentibus se se diffundere*. Frigescunt extremitates, apex nasi ; dein experiuntur horripilationes, horrores, rigores varios qui sæpissimè tanti sunt ut omnia membra contremiscant ; aliquoties tantâ vi agitatur maxilla inferior ut fortiter ad se mutuò den-

tes allidantur. Memorat Ill. *Wan-Swieten*; vidisse dentes cadere in quartanario sene quamvis ante morbum adhuc satis firmi viderentur, pulsus est celer, contractus, debilis, parvus; nauseæ, vomitus, respiratio difficilis, tussicula frequens et sicca etiam observantur; urina aquosa, tenuis emittitur : tempus quo viget frigus primus febris gradus dicitur et interdùm adeò periculosus est ut ægrorum vitam in discrimen adducat, qui enim febribus pereunt, illo tempore moriuntur, quod constat summorum medicorum observationibus : *qui ex febribus intermitt. moriuntur, si quidem in paroxismo pereant, in primo illo tempore (exhorrescentiæ scilicet,) fato funguntur. Sydenham* (1). Plus minusve durat frigus; modò per duas aut tres, aliquandò verò ad quatuor horas sævit; ad quinque protactum vidit Ill. *Senac.* In genere pro ætate et temperie variè ægros afficit, sic longè majus periculosiusque apud senes et cacochymicos, minus verò apud juvenes et corpore robusto donatos. Omnia illa symptomata prout majora, eò pejor febris accessio : attamen id non semper evenit ut ut observarunt omnes practici. Tandem frigus tremorque minuunt, et gradatim accedit calor plus minusve urens, acerrimo sensu stypatus, tunc faciliùs, fortiter respirant ægri; rubescit facies totumque corpus; universa corporis cutis aret; siti ferè inextinguibili torquentur; inquietudo, jactatio superve-

---

(1) L. c. pag. 49.

niunt ; capite maximè dolent ; oculi cum dolore moventur ; aliquoties delirant ; pulsus est major, robustior ; urina coloratior et cum dolore emittitur, diù spumam retinet. Hic calor secundus febris gradus nuncupatur : tandem huic acri calori succedit sudor qui tertium et ùltimum febris gradum constituit ; tunc omnia symptomata quæ calorem febrilem comitabantur, mitescunt ; mollis fit pulsus ; urina spumescit et quasi saponacea est, sedimentumque crassum, lateri trito similè sæpè sæpiùs præcipitat, undè hæc urina *lateritia* nuncupatur : sudor ille, habitâ cæterorum symptomatum antecedentium ratione, diuturnior, profusior est. Plerùmque tandem somnus tranquillus, dein febris remissio, apyrexia superveniunt ; supersunt tamen lassitudo debilitasque totius corporis.

Adsunt febres intermitt. in quibus modò frigus, modò calor, modò sudor non observatur ut ut asserunt SENAC, STRACK, VOULLONNE. Sic frigoris loco, insolita phœnomena apparent, ut dolor cuidam parti fixus, somnum maximum, sopor, coma ; refert Ill. SENAC (1) *ægram vidisse quæ vix excitari poterat, et si excitaretur statim iterùm in somnum delapsa, veluti absque sensu jacebat* ; aliàs frigus quasdam partes tantùm occupat, brachium v. g. partem corporis dimidiam ut observavit cel. WAN-SWIETEN, ect. febres adhuc sub men-

(1) L. c. cap. 9, pag. 56.

daci alterius cujuspiam affectionis larvâ apparent (tuncque *larvatæ* dicuntur) in quibus nullo modo hæc tria stadia observantur. Jam verò ad curationem pedem volvamus.

Res sanè maximi ponderis est, medicumque sagacem, prudentem, observatorem perspicacem postulat, nam malâ adhibitâ curatione tunc febres intermitt. ut plurimùm innoxiæ, periculosissimæ fiunt, et indè dira symptomata, morbi chronici utì icterus, leucophlegmatia, hydrops, asthma, cachexia, rheumatismi (1) ect. quò major videtur remediorum supellex, eò facilius est in eorum delectu aberrare : ipsa quidem remedia febri dicata tutò exhiberi non possunt nisi summâ cum cautelâ, nam quæ ipsi fugandæ sunt idonea, noxia tamen esse possunt: *sed quod magis mirum occurrit, est inter variarum gentium medicos de ipsis remediis experientiâ comprobatis perpetuus dissensus; eò minus id condonandum quod eam omnes sibi vindicant ut magistram et ducem; atqui tamen multi eâ innixi veris diffidunt febrifugis; si quam eis concedant vim, eâ arctis concluditur limitibus; eisdem verò utentes vix de methodo consentiunt; ita miserorum hominum vita eorum traditur disputationibus.* SENAC (2). Junior ut experientiis observationibusque propriis innitar referam quod de auctoribus variis deprompsi, felix si *vana*, *absurda*, *falsa* rejecerim, quòd si *utilia*, *bona*, *vera* selegerim.

---

(1) STOLL. rat. medendi tom. 1, pag. 17, 67.
(2) L. 3, cap. 1, pag. 203.

Febrium igitur intermitt. curationis cardo in eo præprimis versatur quod rectè et tempestivè detur cortex peruvianus; quænam verò sunt cautelæ necessariæ ut illius usus sit rectus, tempestivus? hic opus hic labor eſt.

Prior cautela in eo consistit quod medicus nunquam kinam kinam maturiùs propinare debeat: *curandum est ante omnia ne præmaturè nimis hic cortex ingeratur, ante scilicèt quàm morbus suo se marte aliquantisper protriverit, nisi collabescentes et jam fractæ ægri vires eumdem temporius sumendum esse dictaverint.* SYDENHAM (1). Reverà quidem nec certiùs dignoscitur morbi natura, quòve tendat, tutiùs patet quàm ex symptomatum serie ritè observatorum per aliquot paroxysmos, ex quâ observatione aptissima curandi methodus necessariò consequitur. Maximi momenti hæc regula est, quâ neglectâ, mors quandòque, sæpiùs autem et anomala penitùs symptomata, ipsâ certè febre longè pejora, sequuntur. Illi igitur quibus adeò odiosum febris nomen est, ut illicò tollendam ubiquè et semper vellint malè se habent, nam nedum ægri curentur, econtrà in pejus discrimen adducunt. « j'observe qu'il est bien différent d'arrêter le cours d'une fièvre d'accès, ou de la guérir, car non-seulement on retarde la cure de la fièvre, si l'on en arrête le cours, mais on occasionne aussi d'autres maladies d'une nature encore plus dangereuse et plus difficile à

(1) L, c, pag. 55.

guérir que la fièvre ». *GRANT* (1). Id omnium practicorum observationibus comprobatum est.
» Juvenis quotidianâ intermitt. laborans sump-
» serat singulis intervallis inter tres primos
» paroxysmos drachmas quinque corticis peruv.,
» levis horror tempore quarti paroxysmi adfuit,
» sed sequenti die, post aliquot minutorum
» horripilationem, circà pedum talos vehemen-
» tissimum dolorem patiebatur, ac si distor-
» querentur et discinderentur omnia. Durabant
» hæc tormenta per quinque circiter horæ mi-
» nuta, subitòque cessante dolore in hoc loco,
» eodem modo et simili temporis spatio afficie-
» bantur genua, post hæc femorum articuli,
» posteà aderat durities, tumor et dolor abdo-
» minis; quibus cessantibus, thoracem impete-
» bat atrox malum cum imminentis strangu-
» lationis metu; posteà apoplectico similis
» decubuit, tandemque penitùs delirabat. Post
» quinque vel sex minuta cessante delirio, satis
» benè se habebat, atque in hoc statu perma-
» nebat, tanto circiter tempore, quantum
» omnia memorata symptomata occupaverant,
» tumque denuò omnia eadem mala simili or-
» dine et duratione redibant. » (2) Hîc certè fuit febris tantùm suppressa, non verò penitùs curata; alia hujus modi exempla referre possem, ast ex illo satis lacidè patet quantum aberrent et temerarii sint qui in curandis febri-

---

(1) Recherches sur les fièvres, ect. pag. 86.
(2) *Essai* de méd. tom. 4, chap. 24.

bus intermitt. cortice peruv. penitùs confidunt; omnibus aliis neglectis considerationibus, humores nempè abundantes haud exterminando, peccantes haud corrigendo, stagnantes haud resolvendo, quæque aperiunt, præparant, coquunt, evacuant, pro indicatione morbi et periculi, cortici vel non præmittendo, vel non jungendo, vel non postponendo; indè et etiam kina kina remedium noxium, venenosum fuit dictum, quia ab ignarâ plebe imò à quorumdam opinione medicorum omnia illa mala cortici, non autem medentis ignorantiæ imputantur.

Altera verò cautela in eo sita est quod priusquam cortex ingeratur, Medicus severo examine inquirere debeat an in corpore aliquid lateat quod remedium illud, ex suâ indole innoxium, inutile imò noxium efficeret: sic vidit ill. *WAN-SWIETEN* « in ægris qui tertianis autumnalibus » epidemicè grassantibus et pertinacissimis ægrotabant, et imprudenti consilio cortice peruv. » febrim supresserant, antequam per febrim » materia febrilis, plerumque in his casibus » circà præcordia hærens, expedita fuerat, » omnia incassùm tentata fuisse, miserosque » levi ictero defœdatos languisse totâ hyeme, » donec mense februario tertianâ vernâ corri» perentur, quæ paucis paroxysmis solvebat » hærentem in visceribus saburram et per al» vum specie liquaminis nigri, tenacis et olidis» simi expellebat, felici plerùmque cum eventu; » in quibusdam tamen, quamvis rariùs, hepar » diù hâc saburrâ obsessum et tabefactum jam, » post deturbatam hanc colluviem, purum san-

» guinem

» guinem demittebat, undè ſumma debilitas,
» animi deliquium et mors quandòque ſeque-
» bantur, ſanguine per vomitum et alvum in-
» genti copiâ rejecto (1) ». *Nihil verò eorum quæ vel ſano corpori innocentia ſunt, vel certis morbis medentur, univerſatim ita juvat, ut nullam noxam incautè adhibitum inferre poſſit* Werlhof (2). *Neque quicquam eſt cujus virtutes nullo vitiorum confinio lædi queant.* Plinius.

Cum plerùmque accidit in febribus intermit. ut pravis ſuccis ſcateant primæ viæ, de illarum evacuatione primùm excogitandum eſt, ne ſpurtitiæ intùs retentæ majorem acquirant acrimoniam, ſanguini immiſceantur, in viſcera irruant, quod febris incrementum, viſcerum obſtructiones gravioraque mala afferret : malè igitur conſulerent ægris medici qui illius colluviei nullâ habitâ ratione kinam kinam confeſtim propinarent; quâ verò viâ optimè evacuantur ſordes iſtæ, ex notis illarum ad ſuperiora vel inferiora turgentium ſignis facilè patebit : nauſea enim, ructus, anhelitûs fœtor, oris amaror, vomitus, tenebroſa vertigo, ſtomachi dolor emetica indicant; obtuſus lumborum dolor, borborygmi, flatus, abdominis tumor, versùs alvum, potiùs tendere saburram ſuadent. Cùm verò in ventriculo et inteſtinis hæret colluvies tunc emetico-catharticum propinandum eſt. Si

(1) Tom. 2, pag. 476.
(2) Obſervat. de febrib., etc. page 62.

autem in frigore nauseæ, vomitus adsunt, tunc certiores sumus evacuationes per artem factas, esse profuturas, modò ut vomitus ille materierum præsentiâ, non verò à spasmo tantùm sit productus, quod symptomatibus suprà delineatis dignoscetur.

Valdè dissentiunt auctores tempore quo sit administrandum purgans vel vomitorium; alii intrà ipsummet frigus, alii sub paroxysmi fine, alii tempore apyrexiæ alterutrum exhibere volunt: nos autem credimus suadentibus ill. *Sydenham*, *Strack*. Tutius esse illa præbere cum febris ex toto desierit, nam si ad illius exitum purgans vel emeticum datur tunc ægri jamjam illâ defatigati debiliores adhuc fierent; si seriùs è contrà metuendum ne, paroxysmi sequentis tempore, incidat purgatio, summaque in eo pernicies sit, quod auxilii causâ fuit exhibitum: *multi enim ex his, ita superpurgati sunt et ideò exitiosè habuerunt quoniam et purgatio et accessio febris convenerunt. Strack.* existimamus tamen posse aquâ tepidâ vomitum, qui quandòque paroxysmi tempore oritur, promoveri, ut faciliùs evomant ægri, et commodiùs elui possit quod in ventriculo hæreat.

Quædam tamen adhibendæ sunt cautelæ in illorum remediorum administratione, dicemus enim cum celeb. *Strack*. *Febre intermit. laborantia corpora nullâ re magis offendi, quàm purgantibus pharmacis quibus profectò abutuntur. Debet igitur Medicus antè omnia maximè attendere ad ea, quæ, qualia, quo tempore, per quas vias et quibus adhibitis re-*

mediis educere conveniat (1). *Medicamentorum purgantium res non ita se habet, quemadmodum vulgò putatur. Eodem enim medicamento purgantur et non purgantur; quandòque etiam alia purgat, quam quæ purgare solet.* HIPPOCRATES (2). Cavendum est etiam ne his remediis utamur ubi humorum neque coctorum, neque turgentium abundantia est ut nos docuit senex COUS dicens : *concocta medicamentis aggredi opportet et movere, non cruda, neque in principiis si non turgent, plurima verò non turgent.* Malè igitur consulunt ægris medici qui intempestivè illos iterùm atque iterùm purgant, sic enim abdominis viscera jam jam à febre defatigata malè vexant, eorumque functiones cum cæteris corporis partibus consentientes disturbant, sicque febres pertinaces atque cortici peruv. pugnaces efficiunt. Nil adhuc moliri debet medicus in diebus quibus crises fieri consuescunt, quod illas perturbaret, pertinacemque morbum, et recidivis obnoxium efficeret; id semper evenit post impares accessiones si clar. STRACK fidem adhibeamus : *neque ego unquam à* 34 *hucusque annis vidi (neque fortassis quisquam alius vidit) febrim intermitt. post duas, post quatuor, post sex accessiones per se desiisse, sed post impares* (3). Asserit et etiam SYDENHAM febrim intermitt. Si quidem illius curatio pharmaco non tentetur, spontè desis-

---

(1) Observat. medicinales, etc. page 44.
(2) Lib de medicament. purg. vers. 1.
(3) L. C. pag. 32.

tere, ubi ea tantum temporis quantum continuæ febres ad curationem requirunt, per septem scilicet accessiones, impleverit.

Hic notandum venit vomitoria catharticaque multò magis in autumnalibus, in quibus copiosior et pertinacior adesse solet materies, quàm in vernalibus, quæ, ut ut jam diximus, suo marte sæpè curantur, convenire. Observavit enim *Sydenham* (1) *tertianas vernales quæ ob phlebotomiam aut catharsim indebitè celebratas, et regimen insuper cum morbo malè quadrans, moras traxisse etiam usque ad tempus illud quo autumnales solent invadere.* Patet igitur febrim vernalem post intempestivum evacuantium usum altiores agere radices.

Aliquoties etiam antè emeticorum purgantiumve usum phlebotomia est celebranda, ast multò magis in vernalibus, quæ facilè in inflammatorias mutantur, et in quibus juré visceris cujusdam inflammationis suspicio adesse potest, quàm in autumnalibus quadrat. Bonum adhùc habebit exitum si abusus spirituosorum febrim præcesserit, quòd si consuetæ sanguinis evacuationes fuerint intermissæ. Maximâ tamen cum cautelâ illud auxilium etiam in vernalibus adhibendum est, nam ut suprà vidimus ex ill. *Sydenham* incautè adhibitum, maxima mala afferre potest.

Optimè adhùc exhibentur solventia attenuantia, diluentia, aperientia, digestiva pro mate-

---

(1) L. C. pag. 140.

riæ morboſæ indole, si sit viſcidior materia, non mobilis, tenax, ita ut statim adhibito evacuante exterminari penitùs non poſſit. *Corpora ubi quis purgare volet facilè, fluentia reddere oportet* HIPPOC. Sic pro bilis tenacis abundantiâ cremor tartari, tamarindi, aliaque acida salina, cui si sit complicata diatheſis inflammatoria, antiphlogiſtica, nitrum, oximel, decocta solventia sunt jungenda. Sic pro pituitâ tenace, salia media, tartarum vitriolatum, arcanum duplicatum, sal præſertim ammoniacum, aliaque similia sunt propinanda *RAHN* (1).

Tam felix quandòque horum remediorum eventus est, ut febrim præcipuè vernalem, penitùs discutiat. Sic aſſerit celeb. *MARX* (2) tartarum emeticum remedium fuiſſe heroïcum in febre intermitt. epidemicâ. « In demonstra» tionem aſſerti nostri, inquit auctor mox lau» datus, communicabo medicamentum non » novum quidem, verùm certum ac tutum, » quo febrem intermitt. nostram epidemicam » præmiſſis præmittendis facilè solutam eſſe » comperi, estque *tartarus emeticus* minutâ » doſi datus, tanquam summè reſolvens, quod » præſentiſſimè nobis fert opem quatenùs cutis » meatus stypatos non modo reſerendo, sed » et omnes cæteras éxcretiones movendo » idem affirmant ill. *SENAC*, *PRINGLE*. Verùmtamen in illis febribus ad remedium fidum, innocuum,

---

(1) Advers. med. pract. pag. 105.
(2) Observat. medicæ, etc. pag. 75.

corticem scilicèt peruv. sæpè sæpiùs confugiendum est.

Ast antequam de illius remedii administratione sit sermo, quosdam casus adhùc memorare, qui illam contraindicant, necessarium videtur : et primodùm pro certo habere debet Medicus an febris sit *essentialis*, sive *symptomatica*. Nam si sit symptomatica maximè cavendum est ne cortice peruv. aggrediatur : « nous aurons dans cette division les vraies limites de l'utilité des fébrifuges, car on peut assurer qu'autant qu'ils sont efficaces dans toutes les intermittentes essentielles, autant ils deviennent inutiles dans les intermittentes symptomatiques » : *VOULLONNE* (1). Imò in illis febribus fit nocuus cortex peruvianus, nam si aliquando eas depellat, brevi revertunt tempore; posthàc cæteris remediis sunt pugnaces : itaque in omni febre intermitt. symptomaticâ, non febrem ipsam, sed quod eam fovet debellare curandum est. Hîc profectò longum foret singula commemorare quæ febrim accendere valent; dicemus tantùm in juvenibus plerhoricis hæmorrhagias consuetas, naturales suppressas, vel artificiales omissas; transpirationem Repressam; colluviem verminosam ut observarunt cl. *VAN-DEN-BOSCH*, *ANDRY*, *GRAINGER*; viscerum abdominalium obstructiones non rarò illam importare, tùncque kinam kinam propinare certo certius piaculum fore.

Nil adhùc moliri debet medicus quandò

(1) Mém. sur les fiévres intermitt. pag. 88.

febris est *salutaris*, quod dignoscetur si sit cum bonis ægri rebus, v. g., si æger morbis recurrentibus ut asthmati, colicæ, arthritidi, cephaleæ ecc. Obnoxius, rariores sint paroxysmi, quod plurimis observationibus evenire comprobatur: *cephalæam, quæ per annos afflixerat, per periodos recurrentem, cessasse toto illo tempore, quo quartana tenebatur æger* observavit ill. *WAN-SWIETEN* (1) vidit et etiam auctor prælaudatus *dolorem inveteratum humeri dextri in homine evanuisse, dum quartana febris illum corripiebat, cujus per sex menses jam durantis pertæsus corticem peruv. sumpsit tali cum effectu ut quartana abesset quidem sed rediret humeri dolor:* Notum est omnibus à palpitationibus cordis violentissimis febre quartanâ cel. *LAHIRE* fuisse liberatum, aliquoties etiam implicatur febris intermittens cum morbo quem prosperè absolvere potest, sic ex observatione *VESTHEROF* constat variolas pro febre eruptivâ veram intermittentem interdùm habere; tunc etiam spectator adesse debet Medicus.

Ubi anomalæ sunt febres et nullo observato ordine mox anticipant, mox postponunt, præstabilius est à corticis usu abstinere, generaliaque remedia præmittere, usquedum certiorem typum febris teneat, modò ut anomalia illa sive à plethorâ, sive à sordibus in primis viis, sive ab aliâ hujusmodi causâ pendeat, nam si in histericis occurrat, ità ut incertis temporibus invadant paroxysmi et ex levissimis causis, ter-

---

(1) L. C. pag. 476.

rore scilicèt, aliove animi affectu extrà consuetum paroxysmorum ordinem excitentur, tunc certè remedia illa generalia non prodessent, sed potiùs morbum adaugerent, tumque nil melius kina kina conducit.

Quanquam corporis præparatio, ante corticis usum, per evacuantia, aperientia, aliave remedia sæpè utilis et necessaria sit, interdùm tamen est inutilis, imò fit noxia debilitando, perturbando naturam, tempusque potiori indicationi explendæ præripiendo, ubi nulla vera indicatio jubet, nam nec à febre, nec propter febrim intermitt.; sed propter plenitudinem, orgasmum, impuritates, aut obstructiones febrim comitantes illamque foventes indicatur *Werlhof* (1). Quid enim prodesset talis præparatio ubi nullum in humoribus existit vitium, solâ verò motuum anomaliâ peccante, uti evenit in febribus à pathematibus solis animi pendentibus? his in casibus præceptis Ill. *Werlhof* cæterorumque cel. medicorum cortex statim adhibendus est. Veritas exemplo lucidiùs patebit : « prandium ceperat cum ami-
» cis in horto sub umbrâ arboris frondes longè
» latèque extendentis femina sensilioris animi;
» dumque cultro carnis assæ frustulum dividere
» vult, discindit, quæ foliis ex alto fortè ceci-
» derat horridam aspectu erucam, quanquam
» verò de hoc insperato ferculo nil degustasset,
» adeò terrore et aversatione ejus commoveba-
» tur, ut alterâ die gravi paroxysmo febrili cor-
» riperetur; post unam intercalarem redeunte,

(1) Tractatus varii, etc, cautiones medicæ tract, 1. pag. 73.

» protinùs potiùs exhibebam singulis bihoriis
» corticem, pauculasque guttulas laudani liquidi
» unicuique præbio addebam, eo effectu, ut fe-
» bris non rediret, et continuatione hujus laxiori
» plena sanitas brevi restitueretur *Tral-*
» *les* (1) ».

Nunc ad corticem peruvianum properemus: hìc neque difficultates, neque dubia contrà illum mota, solvere ac discutere animus est; hoc satis egerunt percelebres auctores, inter quos annumerare juvat meritissimum profess. designatum *Baumes*. Aliàs vis illius febrifuga, securitasque consensu medicorum expertissimorum affatim comprobatur. Simul ac igitur febris indoles corporisque habitus ita præparata sunt ut illius remedii usus satis sit opportunus, neque alia amplius medela præmittenda indicetur, tum tutè illud est propinandum, *nihilòminus interdùm qui ignari vel negligentes sunt, variis modis ab adæquatâ materiæ, motuum, temporum, proportione recedere solent: undè uberrima errorum scaturigo diverso modo procedit. Exploratum verò habemus, tunc maximè, quum in motu evidenti, vel proximo ad motum molimine, constituta est materies febrilis, affici eam à remedii efficaciâ, ita tamen, ut pro proportionis doseos ratione, modò augeatur morbi impetus, modò infringatur, modò retardetur, modò planè exsuperetur. Wer-*

(1) De opio, sect. 2, pag. 71.

LHOF (1). Ex dictis patet nihil certè circà dosim statui posse, quòd necessariò variat pro circumstantiis quæ variæ omninò esse possunt; aliàs morbo, ægrorumque viribus semper est accommodanda.

Formam verò quâ exhiberi potest kina kina quod attinet, ad hæc generalia reducitur, in pulveris formam scilicèt, infusi, decocti, extracti, electuarii, opiatis, pillularum, clysmatum, balneorum et linimentorum, quibus variis præparationibus salia quædam aut alia evacuantia, aliaque remedia, pro circumstantiis, veniunt jungenda; sic in febribus intermitt. quæ proximè ad statum accedunt inflammatorium, quæque non solum regimen frigidum, convenientem diluendi modum, et interdùm sanguinis emissionem requirunt, maximè conducit nitrum cum cortice conjunctum adhibere, atque temperentia, antiphlogistica interponere. *Huxam* (2). Sic ad resolvendas quæ adhùc forsàn supersunt cruditates et aperiendas obstructiones prioribus saltem corticis dosibus sal ammoniacum addunt *Pringle*, *Senac*. Id etiam nos docuit in suis eximiis lectionibus ill. Professor *Gouan*., sic in febribus quartanis maximè inveteratis summo cum effectu magnesia cum cortice peruv. miscetur ut nos docuerunt cel. Professores *René*, *Gouan*. Sic in atoniâ haud nimiâ, ex observatione professoris designati meritiss. *Baumes* (3).

---

(1) L. C. cant. med. pag. 75.
(2) Tom. 2, pag. 33, 34.
(3) De l'usage du quinquina, etc., pag. 267, 268.

Camphora cum cortice juncta, cortex in vino generoso exhibitus maximè prodest, ect. ect. *etsi cortex nullâ purgandi vi polleat, tamen ob peculiarem quorumdam corporum temperiem atque idiosyncrasiam, persæpè accidit ut ab hujus usu tanquam à cathartico fortiori assumpto æger violenter expurgetur in hoc casu omninò opportet ut laudanum cum eo exhibeatur.* SYDENHAM (1). Sic si alvus juxtà corticis usum stricta nimis esset, lenia purgantia, per epicrasim data, cortici juncta, vel ejus usui interposita, istud incommodum facillimè dispellunt; aliquot rhei grana v. g. cortici maritata in illo casu maximè conducunt ex clinicorum observationibns.

Notetur tamen corticis in substantiâ usum, quantùm fieri poterit, quibuslibet præparationibus anteponendum esse, ex observationibus practicis. Sic enim ill. MORTON (2). *Febres sanè substantiâ corticis citiùs ac certiùs quàm quâcumque speciosissimâ ejus tincturâ, extracto, vel elixire fugari, atque fugatas ad recidivationem minus aptas esse certo certius constat.* Sic etiam idem auctor; *multâ ac diurnâ experientiâ fretus palam affirmare audeo chinam chinam simplicem et in substantiâ exhibitam certiùs ac compendiosiùs vires suas exercere, atque finem optatum attingere, quàm si multâ arte aut igne torqueatur, ac nativis viribus spoliata, more*

---

(1) Epist. 1a., pag. 189.
(2) Exercit. 1a., cap. 7, pag. 53.

pompoſiſſimo, *exhibeatur*; *adeò ut in iſtis præparationibus oleum ac opera perdatur*. Sic nos docuere profeſſores illuſt. corticis peruv. extractum (1) remedium eſſe nimis laudatum, infidum, quodque deſerere debet prudens medicus. Cum verò multi ægri corticis in ſubſtantiâ uſum reſpuant, vel minùs bené ferant, convenit hîc aſſignare uſitatiſſimarum præparationum doſim, quæ eoſdem effectus penè producere valet ac cortex in ſubſtantiâ. Ubi pulveris corticis drachma una ſufficit, ibi decocti aut infuſi ea quantitas ſit aſſumenda in quâ duplum pulveris infuſum aut incoctum fuit : extracti vulgaris ſcrupulum unum; eſſentiæ ſpirituoſæ unciam unam; ſalis eſſentialis grana quatuor, dictæ pulveris quantitati æqualia eſſe perhibent ſecundum cel. *Rhan* (2).

Hìc ſilentio tranſire haud debeo præter corticem peruv. in curandis his febribus, aliud eſſe remedium, corticem ſcilicèt *Æſculi hyppocaſtani*, quod felici cum effectu propinare poteſt Medicus. In ſuis eximiis botanices lectionibus id nos docuit jam jam laudatus et nunquam ſatis laudandus ill. Profeſſor *Gouan*. Illius adhuc corticis (3) virtus febrifuga obſervatio-

(1) Vel nec recté nec accuratè corticis extractum præparant *pharmacopolæ*, vel requiritur corticem eſſe recentem ut valentiſſimum præſtet extractum : nam legitur, in Actis Societatis Regiæ Medicinæ Pariſienſis, D. Joſeph. de *Jussieu* præparationem illam è corticibus recentibus à ſe ipſo extractam è *loxa* apportaſſe quæ, quadrageſimo poſt anno, præſtantiorem febrifugam virtutem adhucdùm ſervabat.

(2) L. C. pag. 60.

(3) Hippocaſtani corticis virtutem febrifugam *Zanichelli*, *Pontadera*, *Turra*, *Coste* et *Willemet*, ecc., ecc. etiam decantaverunt.

nibus apprimè confirmatur in opusculo cui titulus est (observations sur les propriétés fébrifuges de l'écorce du maronier d'Inde, ecc.) D. *Cusson*, hâc in urbe felicis practici, quem mors præmatura nobis rapuit, quemque amicum lugeo : adnotat in istius corticis selectione maximè esse attendendum ; propria auctoris verba hîc referre juvat : » le choix de l'écorce est un objet » important. En général, celle qui paroît opé» rer avec le plus d'énergie, est celle que l'on » recueuille pendant le printemps sur des arbres » de moyenne grosseur, et au moment de la » seve. Il convient également de donner la » préférence à celle qui ne présente aucune es» pèce de vermoulure, qui est saine, solide, » bien séche ; enfin, pour ne rien négliger de » tout ce qui peut assurer le succès du remède, » il faut avoir soin de la dépouiller d'une espèce » de végétation ou de mousse qui la recouvre » quelquefois, et qui peut en altérer les pro» priétés (1) » : experientiâ etiam didiscit clinicus ille illius remedii administrationem iisdem cautelis ac illam kinæ kinæ omninò indigere, dosimque ferè duplò majorem esse, ut certiores produceret effectus. *De Rhamni*, *Salicis albæ*, *Querci*, *Fraxini* cortice, de *Geo urbano*, etc., etc. silemus.

Nequaquam sufflaminatâ febre eam prorsùs extingui censendum esse satis quotidianâ evincitur observatione ; Sæpiùs enim fit ut hostis

---

(1) Op. cit. pag. 16.

victus, non verò edomitus, illâ datis induciis, novas comparet vires, denuòque æquè ferox ac antea, caput exserat, iterùm positis armis debellandus. Non verò ab assumpto cortice ægri recidunt, ut aliqui ex indoctis et ad quotidiana exempla cæcutientibus contendunt, sed ab illius usu ad morbum non adæquato, immaturo; ab incuriâ in continuatione; repetitione, diætâ, regimine ab ingenio morbi tum rectè, tum perperàm curati ad reversiones prono. *Aliàs pleni sunt omnes veterum recentiorumve observatorum libri febrium recidivarum mentione, à quâvis medendi methodo contingentium.* WERLHOF (1). observavit TRAVERSARIUS pisauri *febres recidivas copiosissimas accidisse longè verò frequentiores et periculosiores omisso cortice, quàm ubi hoc remedium fuit administratum.* Has verò recidivas certis quibusdam post finitam febrem temporibus faciliùs quàm aliis, contingere obrsevationibus constat. *Nos quidem multijuga experientia docuit fsbres ex tertianarum genere recidivas longè quam plurimas aliquo secundæ heddomadis dieàcessatâ remedii assumptione, contigisse, atque si ope naturæ aut artis rursùm evanuerint semel vel aliquoties, sæpè prætereà pro morbi statûsque epidemii ingenio, alternis semper hebdomadibus reversas esse, vel molimina saltem manifesta ostendisse.* WERLHOF (2). Hinc corticis repetitionem post intervallum octo vel decem dierum, eam bis terve

(1) Observat. de febrib. ect. pag. 132.
(2) Ibid. pag. 161.

repetitam strenué inculcarunt *Sydenham*; *Morthon*, *Torti*. Eodem modo quotidianarum quartanarumque recidivæ præcaventur, modò non alternâ sed tertiâ quâvis hebdommade medela prophilactica adhibeatur. *Quandò vel minus metus; vel æger delicatior est et debilior, et morbus haud satis tutus, tunc non solis diebus accessionis neque paucis tantùm antè eam, sed per quatuor forte horarum intervalla extrà paroxysmum plerùmque corticem præbemus. Werlhof* (1).

Dicta hæc methodus maximè huic anteponenda est, quæ in continuâ illius remedii administratione per aliquot adhùc insequentes dies, hebdomades, menses, nullâ paroxisticarum hebdomadum habitâ ratione, consistit. Sic enim nauseæ sine fructu producuntur remediumque delicatiori stomacho grave tandem redditur: medicatio autem continua, etsi diutissimè usurpata et inordinata quævis, etsi copiosissimè adhibito remedio, reversionem certè non prohibet, interdùm nocet, dum illa methodus spem plenæ et constantis sanitatis vix ac ne vix quidem fallit. *Werlhof*.

Medici non pauci febri cùm medentur, tempore quo expunctam illam esse putant, medicamenta purgantia ut tum saburram morbosam, quam in corpore adhùc latere existimant, tum si quid noxi fortassis intùs à cortice remanserit subtrahant, ad reversiones præcavendas, propinant. Huic præjudicio vehementer sese oppo-

---

[1] Ibid pag. 181.

ſuit *SYDENHAM* docens *inane conſilium eſſe corticem reſiduum everrere velle, cùm æque parum, neque majore cum noxâ, ac panis in corpore remaneat; et adeò nullum auxilium à purgantibus poſtmiſſis cortici reſpectu recidivarum accedere, ut potius experientia doceat, incautè adhibitis purgationibus recidivas longè faciliùs excitari. Purgantia itaque non ſunt propinanda usquedùm non ſolum paroxiſmi perceptibiles, ſed etiam alteratio iſta quæ diebus illis, in quos paroxyſmus incidere debuerat, perſentiſcitur, omninò evanuerint* (1) Aſt cavendum ne illius ſeduli obſervatoris monito abutamur, nimis religisosè purgationes vitando neceſſarias, nam nedùm purgationes, ſecundùm indicationes veras, recidivas arcent, è contrà illas promovent. Sîc in febre quâdam intermit. epidemicâ ægris per duas treſve ſeptimanas ab omni febre liberis lene purgans ſummo cum fructu dedit, et aliquot vicibus repetit Cel. *WAN-SWIETEN* (2) et ingentem indè copiam bilioſæ ſaburræ expelli vidit; neglectis purgantibus anorexia, icterus, linguæ ſordities, urina rubicunda redibant: itaque ubi ſublatâ febre alvus officium intermittit, quædam in præcordiis vel ventre perſentitur moleſtia, convaleſcens neque cibum rectè appetit, neque ab eo ſumpto juvatur ſine ullo recidivæ metu colluviem expurgare debet Medicus. *BERGER* (*RANH advers. med. pract. p.* 140). Emetica, purgantibus

(1) L. c. pag. 58.
(2) Tome 2, page 508.

anteponit

anteponit ill. *Grainger* (1). Inter purgantia, salia cathartica amara, ut ut aptissima, annumerat *Werlhof*. Emetica uti minùs debilitantia, quandò rectè exhiberi poterunt, semper præponemus.

Usque adhùc de febribus intermit. in quibus per decursum nil mali moris occurrit sumus locuti, nunc de febrib. intermitt. malignis seu *perniciosis* perpauca dicemus.

Febres intermittentes perniciosæ duplici modo apparere solent, aliæ enim sicutì benignæ primis in recursibus adeò celant malignitatem, ut linceis etiam oculis nil mali pervidere potest medicus; attamen ut plurimùm post tertium quartumve circuitum larva deponitur, periculum confestim apparet, ægerque jugulatur, ni manu adjutrice illicò juvetur; aliæ autem sub morborum periculosorum specie apoplexiæ scilicèt, convulsionis, asthmatis, pleuritidis, suffocationis (1), etc. cum præsentaneo ægrorum vitæ periculo statim comparent, et si absque nullâ distinctione morbi apparentis curatio instituitur, tunc certo certius secundâ tertiâve exacerbatione æger moritur, aut saltem nisi magno sumptu vitam conservat.

Symptomata, quæ febres sub benignarum

(1) Hist. febr. anom. batav. pag. 135.

(2) Sic, anno elapso, in nosocomio hujus urbis gallicè (S. Eloi) dicto, inter plurimos ægros febribus ex perniciosarum genere correptos, hominem vidi febre tertianâ perniciosâ laborantem cujus omnes paroxysmi suffocatione gravi sensuumque abolitione indicabantur, Cortex altâ dosi exhibitus sanitatem illi restituit.

larvâ concomitantur, sunt lurida luctuosaque facies, maximus virium languor, sensuum stupor, affectus comatosus, tremores validi, assidui artuum et linguæ, animi deliquia, convulsiones, frigidi sudores, respiratio difficilis, deliria; pulsus inæqualis, parvus, debilis est, aliquandò fortis; aliquoties et etiam adest *asphyxia*; tandem mors supervenit nisi promptâ largâque corticis peruv., qui tunc est sola salus ægri, exhibitione ab orci faucibus eripiatur: *nam si quis* 14 *vel* 21 *diem expectare voluerit non ægrotum, neque cadaver, sed resolutos penè illius cineres curandos susciperet.* LANCISI (1).

Cortex peruv., methodusque certa, secura illum propinandi ab Ill. TORTI instituta, divinum auxilium in hisce febribus certo certius nobis suppeditant. Ast quod ægrotantibus medicisque maximè luctuosum est, adhucdùm signum deest pathognomonicum, adeò ut æger persæpè sublevari non possit quin jam jam periclitetur. Attamen sunt viri in arte versatissimi, qui signum illud in urinâ *lateritiâ* invenisse existimarunt: et sanè urina cùm lateritium vehat sedimentum febris intermitt. perniciosæ suspicio haberi potest; *solâ hâc urinâ conspectâ nullo alio (si statum excipias epidemicum) concurrente signo, febrem ejusmodi audacter mihi licuit determinare*. LAUTTER (2). Verum enim

(1) De nox palud. effluv. l. 1. epidem. 4, cap. 9.
(2) Hist. med. bienn. morb. rur. pag. 170.

verò tanquam signum pathognomonicum haberi non poteſt, si quidem obſervatione conſtat, in perniciosiſſimis illis febrib. illam plerùmquè deſiderari. Aſt ejus modi febris præſentia pro certo, plerùmque ſaltem, confirmari poteſt si cum signis ſuprà enarratis ſedimentum illud conſocietur. Igitur, ut his in casibus prudenter ſe gerat medicus, exiſtimamus ſtatui epidemico regnanti attendere præprimis debere, ita ut his febribus epidemicè graſſantibus, si quis febre intermitt. corripiatur, et poſt ſecundum terriumve circuitum, inſolitum quoddam ac grave ſymptoma utut ſopor profundus, cardialgia, animi deliquium, etc. etc. ſuperveniat, sive penitùs cum febre illud ſymptoma ceſſat, atque intermittit sive perdurat paulò mirigatum et tantum remittit, tunc quâdam cum certitudine credi poteſt febrim iſtam, cortice sine morâ jugulandam, eſſe pernicioſarum genere. Si ſemper epidemicè graſſarentur febres illæ, facilior certè foret earum diagnosis; aſt ſporadicè et ex improviſo ut plurimùm excurrunt, sicque innumerabiles mactant victimas.

Cùm autem ſub aliorum morborum ſpecie comparent tunc diagnosis penè erit indubia, medicuſque curationem certiùs ſuſcipiet, si decurſâ aliquoties ſuâ periodo intermittentis cujuſdam Typum manifeſtò prodiderint nullo etiam urinæ exſtante signo : *qui potiſſimùm ad morbi decurſum dili*~*enter advertit animum, quem si periodicum un..., alterâve vice deprehendit, cortice quantocyùs uſus eſt, non exſpectato urinæ*

signo. HUXAM (1). Jam jam diximus quod si absque ullâ distinctione morbi apparentis curatio instituatur, certo certius secundâ, tertiâve exacerbatione ægrum morti occumbere; et sanè licèt remedia morbo apparenti accommodata aliquoties perpaululùm juvent, attamen sufficientia non sunt ut periculum avertant, ægrumque ex præcipiti levent.

In febrium intermitt. benignarum curatione, necessariam inviolabilemque cautelam, administrationem scilicèt, pro verâ indicatione, generalium remediorum ante kinæ kinæ usum, instituimus : hìc autem soli ægri vitæ discrimini se attentum præbere debet medicus. Absit tamen ut præparationes, aliaque circumstantiis accommodata improbemus cum periculum adhucdùm non imminet, nam ut ait ipsemet Ill. TORTI (2) *per hoc, quod febres perniciosas peruviano cortice curandas velim, non ideò cætera remedia rejicio, quæ, priusquàm ingruat ferox pernicies solo cortice domabilis, locum habere solent, et vel universalem humorum sensibiliter peccantium alterationem, vel etiam peculiarem, (quantum conjectare valemus) fermenti febrilis correctionem aut mitigationem respiciunt. Rideo equidem, seu potius doleo, quod iis solis adeò fidamus, ut in eorum usus enervi et imbecillo teramus assiduè ac inutiliter tempus, et verum validumque febrifugum illis posthabeamus.*

---

(1) Tom. 2, pag. 34, 35.
(2) Therap. spec. lib. 3, cap. 3, pag. 200.

Nunc de methodo kinam kinam propinandi his in febribus summatìm disseremus. Circà dosim nil adhùc statuemus, quòd, ut suprà diximus, pro circumstantiis variis variare debet. Adnotabimus tantùm cum Ill. *Torti* eò validiorem illam esse debere, quò celerior est motus ipsius febris ad exitium properantis, et quò brevius est intervallum temporis quo distat accessio, quodque ad illam inhibendam medico superest. Regulam certam securamque, exhibitionem scilicèt corticis peruv., longissimè ab accessione futurâ, et eâ proportione ut primus haustus sit aliis validior, constetque tali pulveris quantitate ut probabiliter ipsum paroxysmum vel sistat, vel perplurimùm enervet, instituit etiam auctor prælaudatus; ità ut v. g. si febrifugi unciam præbere velis, oblatio prima semunciâ, secunda drachmis duabus, tertia quartaque drachmâ unâ quæque constare debet. Observavit enim vir ille celeb. doses æqualiter partitas eumdem effectum non producere, nam ait (1) *et hinc est quod si primò offeratur in paucâ dosi, etiamsi post modum, vel frequenter exhibeatur, ut mos erat Talbotii et aliorum, vel copiosè etiam, sed propè accessionem, facilè fraudemur sine nostro; secùs si longè ab accessione fortiùs, propè verò accessionem debiliùs agamus. Utrumque autem eâ proportione faciendum, quæ securitati effectûs et casuum exigentiæ modò majori, modò minori aptè respondeat.*

(1) L. c. pag. 203.

Quamquam quorumdam obſervationibus medicorum, corticem peruv. rubrum cortice communi præſtantiorem eſſe videtur, attamen, cùm etiam alii illum ſuſpicantur, rem in medio relinquimus : nam

Non noſtrûm inter eos *tantas componere lites.*

FINIS.

DISSERTATIO MEDICA DE DYSENTERIA BILIOSA;

QUAM, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæò Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

JOANNES LACORTIADE, Palenſis, in partitione *Baſſes-Pyrenées*, Liberalium Artium Magiſter, & jam-dudùm inclyti Ludovicæi Medici Monſpelienſi Alumnus, pro trimeſtri aprilis anni 1791.

Pro baccalaureatûs gradû conſequendo.

Morbos non eloquentiâ, ſed remediis curari. CELSUS.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI.

OPTIMO PATRUM,

Has in arte medica primitias in publicum, æternumque amoris, reverentiæ & obſequii monumentum,

Dicat, vovet, conſecrat,

Humillimus & obſequentiſſimus Filius,

J. LACORTIADE.

DISSERTATIO MEDICA

DE

DYSENTERIA BILIOSA.

Unum è crudeliſſimis malis quibus cruciatur genus humanum, dyſenteria eſt.

Variæ pro variis auctoribus, diverſiſque temporibus conceſſæ fuerunt definitiones. Hunc morbum vitia inteſtinorum vocavit *Hippocrates*; à *Latinis*, difficultas inteſtinorum; à *Galeno*, inteſtinorum exulceratio; rhumatiſmus, à *Cœlio-Aureliano*; tormina à *Celſo* dicitur; & ab ipſo *Sydenhamio*, febris ad inteſtina converſæ nomen adeptus eſt. Nos verò, rejectis his, aliiſque ſexentis nomenclaturis, morbum

hunc poſt neotericos definiemus, parcum & frequentem alvi fluxum, modò ſine ſanguine, modò cruore lineatum, torminibus mitiùs atrociùſve ſævientibus ſtipatum, febre, ut teneſmo, anxietate, aliiſque graviſſimis ſymptomatibus concomitatum.

Non minor adeſt diſſenſus inter auctores circà diviſionem quâm circà definitionem dyſenteriæ. Variis modis illam diviſerunt qui de hoc morbo ſcripſerunt Medici. Quidam ab excretis diverſas deduxêre ſpecies; alii rubram, alii albam, alii griſeam appellârunt. At certè inanis & erroris non exſors videtur hæc diſtinctio, cùm non ex vario dejectionum colore, varia adhibenda ſit medendi methodus; cùmque æger idem feces modò albas, modò rubras, modò griſeas ejiciat, ut obſervationibus conſtat melioris famæ auctorum. Quorsùm etenim *dyſenteria rubra* vocaretur. Dyſenteria in quâ alvina excrementa multo tinguntur ſanguine, dùm ſanguinis hæc præſentia, eſſentiale dyſenteriæ ſymptoma non ſit; nam, teſtante laudando *Zimmermanno*, teſtantibus & aliis, innumeros apud ægros, omnia præter hoc dyſenteriæ ſymptomata præſtò ſunt, ſaltem morbi initio; multique ſanguinem trudunt quin dyſenteriâ laborantes dici poſſint. His omnibus haud immorantes definitionibus, dyſenteriam cum clariſſimo *Zimmermanno* dividemus in inflammatoriam, bilioſam ſeu putri-

dam, malignam & in lentam. His pro viribus meis, paginarumque anguſtiâ, perpenſis, ſingulas dyſenteriæ ſpecies exponere non ſuſcipiam, de biliosâ tantummodò tractabo; heu! nimiùm felix, ſi ipſius cauſas, ſymptomata, prognoſim & therapeïam ſatis attentè perluſtraverim.

Partes in quibus ſedem habet dyſenteria, ſunt tubus inteſtinalis, non excepto ventriculo : neque minùs craſſa quam tenuia inteſtina affici poſſunt. Ex opinone tamen *Cullenii*, craſſa ſolùm afficiuntur, præcipuèque colum. Ex dictis D. *Sabatier*, Profeſſoris, cùm dolor præcedit evacuationem, craſſa inteſtina afficiuntur; cùm tenuia, contrarium evenit. Si ſanguis cum materiebus ejiciatur, craſſa laborant: tenuia verò, cùm ſanguis exit poſt dejectiones. Medicamina potiùs per os conducunt, ſi tenuia afficiuntur, contrà verò per inferiora, ſi craſſa.

Antequàm ad cauſam proximam de quâ diverſimodè ſenſerunt auctores deveniamus, diſtinguendus venit à morbis quibuſcum confundi poſſet. 1°. dyſenteria differt à diarrhæâ, in eo quod majori copiâ & ferè ſine ullo dolore feces ſub diarrhæâ expellantur, ac raró ſanguine miſceantur; 2°. à fluxu hæmorrhoïdali, quod in illo purus ſanguis feces antecedat; 3°. à fluxu hepatico diſcernitur per rariores in iſto

dejections, & febris abſentiam; 4°. à lienteriâ in eâ ſtatim aſſumpta exeunt alimenta indigeſta; 5°. Deniquè à paſſione cæliacâ, chiloſæ enim materies ſimul cum excrementis projiciuntur.

Cauſæ quæ dyſenteriæ anſam præbere valent, ſunt degeneratio ac depravatio humorum utraque producta ab aëre vaporibus venenatis ac putridis inquinato, ut obſervaverunt plures præſtantiſſimi in arte viri, *Selle*, *Degner*, *Cullen*, &c. Qualitates etiam aëris ſenſibiles in adducendâ dyſenteriâ plurimùm faciunt, 1°. quatenùs calidior eſt aër. Per longum tempus, perſeverante calore, fluida rareſiunt, ſolida relaxantur, functiones coporis turbantur, humores ad putredinem diſponuntur, ac quaſi venenoſam induunt qualitatem; undè obſervantur ſæpiſſimè dyſenteriæ, præſertim in regionibus calidis, ut in Ægypto, Arabiâ, Affricâ, Indiâ, in quibus torridus, acris & exſiccatus ſanguis gignitur. (*Bontius*, lib. 11, hiſt. nat. Ind. orient.) Quatenùs frigidior, ſi calori æſtuanti ſubitò ſuccedat aër frigidus, ſiſtitur tranſpiratio, retinetur in corpore; & ex illius evacuationis ſuppreſſione; ſæviſſima generatur malorum caterva. Hinc etiam dùm æſtatis tempore, aëri nimis frigido exponitur corpus, ac potu nimis frigido ingurgitatur; hæc omnia ſummoperè nocent. In causâ ſunt etiam prava corruptaque

effluvia, exhalationes putridæ. Aquarum ſtagnantium, evaporationes odores fecum, (dyſenteriâ correptus fuit ipſemet *Sydenhamius*, dyſentericorum feces alvinas examinando.)

Plurimorum in eodem loco ægrorum coacervatio, in primis ſi aer non renovatur ut in noſocomiis, caſtris, &c. pro causâ occaſionali etiam haberi poteſt quidquid tonum inteſtinorum inmminuere poteſt, ut nimius relaxantium uſus, vermes in tubo inteſtinali hoſpitantes ita ut dyſenteriam verminoſam habuerint, *Huxam*, *Pringle*, *Monro*. Excreta diu in corpore retenta, virus venereum, ſcorbuticum, in inteſtina præcipitatum, à reſorpto pure tandem dyſenterias, funeſtas legimus apud illuſt. *Van-Swieten* & *Birnſtel.*, bilis præcipuè à ſummo aeris æſtu excendeſcens, & cum veneno arſenicali à clar. *Mortono* & *Degnero* comparata; tamdemque animi pathemata, præcipuè metus & terror, mœror & ira, ſæpiùs lethali cum eventu dyſenteriæ ortum præbere poſſunt.

Maturos etiam fructus dyſenteriam producere putarunt auctores non pauci, ſed nova nos contrarium docet de maturis fructibus doctrina *Alexandri Tralliani*, *Tiſſoti*, *Zimmermani*. « Un préjugé per-

» nicieux dont l'on eſt encore généralement imbu,
» c'eſt que les fruits ſont nuiſibles dans la dyſen-
» terie, qu'ils la procurent & qu'ils l'augmentent:
» il n'y a peut-être point de préjugé plus faux; les
» mauvais fruits, les fruits mal mûrs, dans les
» mauvaiſes années peuvent occaſionner des coli-
» ques, quelquefois des diarrhées, plus ſouvent
» des conſtipations, mais jamais une dyſenterie
» épidémique : les fruits murs, de quelque eſpèce
» qu'ils ſoient, & ſur tout ceux d'été ſont le vrai
» préſervatif de cette maladie. Le plus grand mal
» qu'ils puiſſent faire, c'eſt en fondant les humeurs,
» & ſur-tout la bile épaiſſie, s'il y en a, dont ils
» ſont le vrai diſſolvant, d'occaſionner une diarrhée
» qui mettroit à l'abri de la dyſenterie. *Tiſſot.* »
Attamen, notante *Zimmermano*, præcavendus eſt nimius eorum uſus etiam maturorum in regionibus humidis, paludoſis, aut calidioribus; quidquid enim refrigerat aut relaxat, temperamenta debilitat & tranſpirationem ſiſtit, dyſenteriam ſub iſtis circumſtantiis gignere poteſt.

Morbus de quo agitur verſus finem æſtatis & autumno ineunte ſæpiſſimè viget. Manifeſtatur ſæpè ore amaro, linguâ cruſtâ albâ obductâ, nauſeis continuis, ſæpè vomitu bilioſo, cum verminibus, aliquando levante. Qui liquoribus ſpirituoſis utun-

tur, per plures dies vomituritionibus, defatigantur: de cardialgiis conqueruntur, & in periculo verſantur; alii majus minuſve frigus perſentiunt, cui ſuccedit calor ſat intenſus, cum virium proſtratione, in primis in ſpinâ dorſali & lumborum regione, ut obſervavit clar. *Zimmermanius*: primum febris ſat parva videtur, in decurſu vero ingraveſcit. Feces in pleriſque extant ſimul albæ, rubræ, luteæ, bruneæ, aliquando nigræ, &c. odorem fætidum & cadaveroſum exhalantes. Non raro ſtranguria ac dyſuria ſuperveniunt; eveniunt etiam tormina ventris vehementia, faciei pallor, horripilatio frequenter in morbi decurſu rediens, ſudores frigidi, ardorque interiorum frigeſcentibus extremitatibus.

Quo rariores & copioſiores ſunt alvi dejectiones quo magis dolor poſt illas mitigatur, eo melius eſt. Bonum eſt ſi tantum ſtricturæ ſanguinis dejectionibus adſunt, contra autem ſi ſanguis cum excrementis accurate eſt permixtus; inteſtina enim craſſa facilius morbum ferunt, periculoſius ægrotant tenuia. Vomitus materiei purulentæ, fætidæ, cruentæ, malum. Singultus ineunte morbo minus periculoſus eſt, in decurſu lethalis. Mulieres gravidæ dyſenteriâ laborantes poſt partum plerumque dyſenteriâ liberantur. Si vero poſt fœtus excluſionem, tormina eodem die, aut non multo

poſt non remiſerint, puerperæ periculum denuntiat. (*Hipp.* 2 prædict. quod inſuper confirmat *Senertus* per duo exempla. prax. med. lib. 3, part. 2, ſect. 2, pag. 453.) Si dyſenteriæ ructus vel crepitus ventris ſuperveniat, bonum, indicio enim eſt redire ante perverſum motum periſtalticum, & naturam iterum in cibum jam agere & coctionem incipere. Si morbum jam diuturnum hydrops aut lienteria excipit malum. Sanguinis ſinceri excretio non eſt mali ominis. Pulſus parvus, debilis, vacillans, malum omnes, pulſus inæqualis, inordinatus, modo celer, modo lentus pulſus eſt morientis. Pulſus vero ſæpiùs intermittens, deficienſque gangrænæ in inteſtinis jàm factæ & inſtantis mortis tamquam infallibile ſignum habetur à *Degnero*. Plus periclitantur mulieres quam viri ſenes & pueri quam mediâ conſtituti ætate (*Hippocrates*). Gravidis periculoſus eſt hic alvi fluxus juxta medicinæ patrem. Mulieri in utero gerenti ſi alvus multum fluxerit, periculum eſt-ne abortiat, & in alio loco; mulieri in utero gerenti teneſmus ſuperveniens abortire facit. *Hipp.* ſect. 7, aph. 27. Virium extrema proſtratio, ſudores frigidi, doloris ceſſatio generalis & ſubitanea, animi deliquia, visûs obſcuritas, facies livida, cardialgiæ, præcordiorum anxietates, ſubita clyſterum rejectio, ſubſultus tendinum, faucium

inflammatio, apthæ nigreſcentes, motus in univerſo corpore ſpaſtici, oculi valde cavati, maxima deglutiendi difficultas, animi deliquia, feces ſanguinoſeroſæ cadaveroſum eructantes odorem, deliria, inſolitæ materiei vomituritiones, involuntaria ſecum exitio, extremitates frigeſcentes, ſymptomata abſolute lethalia reputantur, mortemque præ foribus monſtrant. His prælibatis nunc deſcribendæ veniunt indicationes curativæ.

Ad curam dyſenteriæ bilioſæ diverſa proponuntur medicamenta, de præcipuis & de tempore morbi quo adminiſtranda veniunt recencere juvat. nonnulli ſunt medici, *Monro* & *Sydenhamii* veſtigiis inſiſtentes, qui hujuſce morbi curam per venæ-ſectionem incipiunt. Ullum non modo commodum affert hæc methodus; ſed etiam nocivam eſſe comprobavit experientia; bilem enim non corripit, ſed potius vires vitæ frangit, naturamque in ſuis motibus ſalutaribus conturbat, unde vomitum cruentum, mortemque venæ-ſectionem citò ſequi obſervavit *Degnerus*.

Attamen in principio morbi; ac in prima periodo obſervare nos monet *Ellerus*, an ægrotantes ſint ſanguinei, an pulſu frequenti plenoque laborent: tunc maſſam ſanguinis ad inflammationem propenſam minuere neceſſum eſt; phlebotomiamque ite-

rare, præſertim ſi poſt venæ-ſectionem, pelle flavâ, obtegatur ſanguis, quod tamen rariſſime obſervatur.

Purgantia olim in dyſenteriæ curatione omnino rejiciebantur; nunc ex experientiâ unanimique medicorum conſenſu, evacuationes quæ purgantium & emeticorum ope fiunt, omnem ferè adimplent paginam. Inter medicos qui purgantia adhibere volunt, multùm diſputatur, an per ſuperiora vel inferiora inſtituenda ſit evacuatio: nos autem utramque admittimus pro rerum circumſtantiis. Licet enim materies dyſenterica omninò per alvum ruere videatur, etiamque catharticis datis, hoc naturæ molimen juvetur; attamen practicorum obſervationes nos docuerunt dyſenteriam per vomitum facillimè curari. Sub primis igitur morbi temporibus, ubi materies morbifica, vel bilis in ſtatu turgeſcentiæ, orgaſmi, depravata, vel non, in primis viis reperitur nidulans, tunc temporis adhibenda ſunt emetica. Inter illa, lenia vehementioribus præferenda ſunt, quia conſtat inter iſta remedia notabilem intercedere differentiam; tunc ipecacuanha quæ tartaro emetico lenior eſt, anteponi debet. (Hujus doſis juxtà ætatem, vires, ſexum, & multas alias circumſtantias menſuranda eſt. In aquâ tepidâ, infuſione hordei vel chamæmeli præſcribebatur à clar. *Zimmermanno.*) D. *Tiſſot* in ſuo febrium bilio-

ſarum tractatu, tartarum emeticum in aquâ diſſolvit, deindè cum ſyrupo hunc edulcorat, & donec vomitus excitetur quâlibet horâ præſcribit. *Ruſſel* addebat ipecacuanhæ aliquot grana rhabarbari, quæ methodus valdè utilis erat ad moleſtias & anxietates auferendas. Emetica adminiſtrari poſſunt, quamvis adſit ſanguinis excretio, non illorum effectus, vel illam ſiſtunt, aut ſaltem illam imminuunt; contraindicantur quotiès adſunt herniæ, graviditas, ſtatuſque inflammatorius. Sæpiſſimè curam non abſolvunt ſola emetica; ad purgantia ſtrictè ſumpta, id eſt, ad cathartica deveniendum eſt.

Inter varia purgantia, huic morbo aptiora, depromuntur minorativa. Tamarindi, ſaliaque acida plurimùm valent; nam præterquàm quod evacuationes excitent, dolorum vim temperant, & degenerationem putridam coërcere poſſunt. Feliciſſimos obtinuit ſucceſſus clar. *Zimmermannus* ex tamarindis & cremore tartari ſimul exhibitis. Totiès reiteranda ſunt purgantia, quotiès materies putrida in inteſtinis hærere videtur. Non parùm laudantur pro potu, ſerum lactis, oleum amygdalarum dulcium, orizæ, aut ſeminum lini, hordei decoctum, cui ſæpiùs ſal tartari addebat *Zimmermann*.

Præſtantiſſimus ſemper fuit acidornm uſus qui putredinem ſufflaminant, & morbum tanquàm in her-

bâ ſuffocant. Fructus horæi huic dyſenteriæ ſpeciei apprimè conveniunt in decurſu, non verùm in convaleſcentiâ, quia horum uſus, ſtomachum poſt omnes affectiones gaſtricas neceſſariò corroborandum, debilitat. Teneſmum debellandi causâ peſſaria cum ſebo hircino, oleo, parvâque quantitate opii parata ſummoperè proficua, ut obſervavit D. *Brouſſonet*, hujuſce Univerſitatis Profeſſor celeberrimus.

Nullus eſt morbus in quo diæta rigoroſa magis conveniat ad ſanitatem ſtabiliendam, recidivaſque vitandas.

Præſcribitur ægris cibus & potus qui acrimoniam obtundere, & putredinem coërcere valeat. Contagioſum eſſe hunc morbum neminem latet: hinc neceſſitas, tùm in noſocomiis, tùm in caſtris renovandi aërem & operiendi feces dyſentericorum ad ſiſtendos morbi progreſſus.

Hæc ſunt, reipublicæ medicæ Patres ornatiſſimi, pauca quæ de dyſenteriâ putridâ apud autores fide digniſſimos deprompta dicenda habebam; felix nimiùm ego, ſi juveniles iſti conatus de vobis benemerentur.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ,
Univerſitatis Cancellarius.

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES-BAPTISTA BAUMES.

DISSERTATIO
MEDICA
DE ILEO,

QUAM Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo medico Monſpelienſi tueri conabitur

AUCTOR,

ELZEARUS PIUS CAVALIER Barjolenſis, è partitione dictâ *du Var*, liberalium artium magiſter, & jam dudùm medicinæ Alumnus. Pro trimeſtri Januari anni 1791.

Ad Gradum Baccalaureatûs conſequendum.

Felix, qui poterit morbi cognoſcere cauſas.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANÇISCUM PICOT, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

M. DCC. XCI

UXORI CARISSIMÆ

ET

IN ÆTERNUM COLENDÆ

D. V. C.

Conjux amantiſſimus
Cavalier.

ARGUMENTABUNTUR

D. D. PROFFESSORES REGII,

PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Regis in Sacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

GASPARDUS-JOANNES RENE', *Decanus.*

ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

FRANCISCUS BOUSSONET.

FRANCISCUS VIGAROUS.

HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

HENRICUS FOUQUET.

DISSERTATIO

MEDICA

DE ILEO.

SPECIMEN profectuum meorum exhibiturus, thema ſeligere conſtitui, quod ad pathologiam pertineret. Placet itaque ſectari hodiè materiem cujus phœnomena cor meum adeò perculêre, ut in mente meâ in æternum repoſta manſerint. Quid reipſâ atrocius dolore ſemper renaſcente qui ſocius eſt perennis vomitûs conſtantis unâ cum pertinaciſſimâ alvi obſtructione inibi hærentis, qui ileum exprimunt.

Variis inſignitur nominibus miſeranda hæc affectio. Ab arabibus dicitur iliaca paſſio; à latinis ſimpliciter ileus, eò quod pars ut plurimùm affecta inteſtinum eſt ileum. Perperè etiam volvulus, nec-non convolvulus, cum ileus,

abſque convolutione, vel intus ſuſceptione, & hæc abſque illo occurrat. Nuncupatur quoque chordapſum, quod chordarum expanſionem ſignificat à ſimilitudine, quià ſi manus abdomini applicetur, inſtar chordæ expanſum videtur. A *Blancardo* vomitus inteſtinorum vocatur. Quibuſdam ſtercoreus deſignatur vomitus, quia interdum fecum dejectio fit per os; ex dolorum tandem atrociâ, earumque fecalium materierum rejectione, & ex parvulâ ſanitatis ſpe, miſerere mei appellationem deprompſere, & clamitavere barbari.

Ilei cauſam ſpecificam ſeu particularem in præpoſtero ac inverſo inteſtinorum motu poſuere *Petrus Salius diverſus*, dein *Sennertus*, *Riverius*, *totuſque ferè clinicorum chorus*. Notum eſt inteſtina motu pollere naturali, mediante quo, ad inferiora ſenſim propelluntur chilus & feces; periſtalticus ille nominatur. Invertitur ille motus aliquandò à cauſis præter naturalibus meterialibus quarum in enumerationem deſcendere meum eſt, & ut inteſtinorum fibræ quæ à ſuperioribus verſùs inferiora contrahi debent, ad ſuperiora tunc contrahantur, & quæcumque in inteſtinis continentur, non verſùs alvum ſed verſùs ventriculum protrudantur: indè mali labe

Motûs hujus inverſionem tamen negavêre nonnulli medici, nempè *St. André*, *Haguenot* hujuſce licæi Profeſſor in æternum lugendus. Voluêre clari illi viri excretionis cauſam per os pendere à violentâ muſculorum abdominalium contractione. Ipſiuſmet inverſi motûs videtur eſſe irritatio quæcumque, vel obex inteſtinorum, ità ut hoc perſtante, non queant deorſùm moveri contenta.

Ex dictis Patet, quidquid inteſtinorum inverſionem excitare poſſit, pro cauſâ materiali volvuli haberi debet.

Ea igitur ileum producunt quæ diametrum canalis inteſtinrlis multùm minuunt, aut integrè obturant. Talia ſunt materia inflammatoria ſive inteſtinorum, præcipuè ilei, peritonæi, muſculorum abdominalium, ſive materia biliosa, acris, iiſdem partibus hærens, tubi etiam inteſtinalis calloſa craſſities, ejus anguſtatio à fecibus induratis, exſicatis, coacervatis, cujus exempla adſunt apud *Foreſtum* & *Galenum* ad quam diſponunt cibi multi, crudi, pingues, corrupti, fructus immaturi, caſtaneæ immodicè ſumptæ, abuſus fungorum, conchiliorum, fabarum, piſorum, miſpillorum, ſorborum, ingens ceraſorum cum nucleis copia. Teſtatur *Heers* ſe preſente, ad iliaci cor-

poris diſſectionem, ſponte inteſtina crepuiſſe, cum impetu erumpentibus exploſis nucleis.

Flatus etiam conſtituunt volvuli cauſam. Videre eſt exempla apud *Hippocratem*, *Wanderlinden*, *Sauvageſium*, *Rolſinkium*, *Foreſtum*.

Vermium exiſtentia in inteſtinis creberrimè ſuppeditat huic ſævo malo producendo. Teſtantur plurimorum auctorum obſervationes à lumbricis in ileo detentis, & in diſſectis cadaveribus repertis iliacam paſſionem fuiſſe productam

Pendet etiam à calculis vel ibi natis, vel ex hepate eò delatis, à glutine inſpiſſato, indurato, ab aquâ frigidâ potatâ, ſi dùm quis ſudat, eam largè abundèque ingurgitaverit. Evempla proſtant apud *Zacutum*, *Avenſoar* & *Zacchinum*.

Venenorum uſum ut familiarem ilei cauſam deprehendit *Nicander* qui in alexipharmacis damnat aconitum, ſpumam argenti. Fungos *Aurelianus*, lithargirum *Zachinus*. Exempla nonnulla ab arſenico apud *Foreſtum* & *Sauvageſium*.

Abſceſſus quoque, ſquirri, denique anus non perforata in infantibus, menſium hæmorroïdum ſuppreſſio, parietum inteſtinalium poſt vulnera ulcera, concretio, tumores meſenterii, pan-

creatis, utteri, ovarii, morbum hunc producere valent.

Legitur & in tranſactionibus anglicanis ileus natus à ſpaſmis, motibuſque convulſivis diaphragmatis & muſculorum abdominis.

Inter cauſas ilei numeratur interdùm, invaginatio, ſubſidentia, mutuus ingreſſus, intus ſuſceptio inteſtinorum & convolutio eorumdem, dum portio ſpaſmo contracta tenuis & anguſta reddita, in contiguam ejuſdem inteſtini partem ſæpè ad notabilem longitudinem ingreditur, ſicque liberum tranſitum per cavum inteſtini intercipit. Bis hoc publicè demonſtravit *Ruiſchius*. Hæc intus ſuſceptio nec uno tantùm loco in cadaveribus deprehenſa eſt, ut compertum eſt obſervatis *Boneti*, *Peyeri*. Pluribus in locis inteſtina tenuia ſic involuta vidit in cadavere puellæ convulſionibus mortuæ *Villiſius*.

Hernia qualiſcumque ſive inguinalis, ſive oumbilicalis, quàm ſubſequitur inflammatio, ileum producere valet, ſicuti patet ex obſervatis *Foreſti*, *Ballonii*, *Manget*, *Petit*.

Nonnulli exiſtimant hunc morbum æquè in tenuibus ac craſſis inteſtinis generari poſſe, quia in omnibus covulſio illa fieri, & ſic motus ille periſtalticus inverti valet. In hâc opinione verſatur *Peyerus*, æquè ac cele

berrimus *Barbek* qui vidit in cadavere Portionem inteſtini tenuis cum cæco ſe abſcondiſſe ultrà palmæ longitudinem, in craſſum.

Tenuia autem inteſtina frequentiùs inflammari quàm craſſa obſervationes confirmare videntur. Pars etenim affecta, omnium auctorum conſenſu ſtatuitur inteſtinum ileum, ut ultimum, ſic omnium longiſſimum, in latitudine verò uni digito tranſverſo ut plerùmque reſpondens: quâ propter cæteris quoque anguſtius eſt, undè certiùs dicitur inflammari.

In hoc morbo intolerabilis ille dolor, ut in diagnoſi explanabitur, medium abdominis, ſeu oumbilic lem regionem frequentiſſimè occupat, ubi naturalis inteſtinorum tenuium ſi us eſt.

Aperturâ cadaverum conſtat duodenum rariſſimè, jejunum rariùs, ileum ſæpiſſimè affici.

Craſſa inteſtina rarò affici creditur. Bis tamen iliacam paſſionem à coli inflammatione obſervavit *Dolæus*, quod & etiam vidit *Villiſius*.

Fortè etiam craſſorum inteſtinorum talis eſt conſtitutio ut minus facilè afficiantur quàm tenuia, cum ſtercoraceæ materiæ jam putridæ & acriori ſervandæ inſerviant. Præterea omne acre ingeſtum, vel morâ in ventriculo aut inteſtinis, tale redditum, primo noxam inferret tenuibus inteſtinis, antequam ad craſſa pervenire poſſet.

In debilibus infantibus lac injeſtum ſæpè aceſcit, coloſtro, caſeoſo, inteſtina infarciuntur quod morâ acrius factum, inteſtina tenuia rodit & inflammat, undè ileo & volvulo tot infantes pereunt, poſt diros abdominis dolores, uti omnes practici conveniunt.

Plurimis, qui tantùm admittunt ilei ſedem in tenuibus inteſtinis difficile imò impoſſibile videtur, quomodò, ex craſſis contenta venire valeant in ileum inteſtinum, uti etiam quomodo locum illum in quo volvulus hæret, ſuperare potuerunt. Verùm enim verò ſi conſideretur inverſo hoc periſtaltico motu ileum evacuari, cæci finem quàm maximè urgeri, & latera ejus diſtrahi, apparebit ex hoc fieri poſſe. Celeberrimus *de Haën* exemplum refert tympanitici volvulo necati, in quo, coli, cæci, ileique diameter adeò aucta fuit, ut *Bauhini* ne tertiam fortè aperturæ partem tegeret.

Signa quæ iliacam paſſionem declarant hinc & indè à practicis afferuntur quàmplurima & ſitu neceſſaria deſcribere hîc mei muneris eſt. Tardâ ſolent eſſe alvo, atque de ejus adſtrictione eos ſemper conqueri audiunt, & ità quidem ut magno quamvis conatu expellendi, nihil tamen ſecum excludant.

Cum volvulus aliquem corripuerit ; venter

durus redditur, nihilque intrà remittit. adhuc murmura inteſtinorum, & circa ventriculum, ab initio, ſentiunt dolorem, modò ſuprà oumbilici regionem, modò infrà. Dolor ille ſucceſſivè augetur, in principio per intervalla affligit; dein fixus, urens in eâdem parte conſiſtit.

In loco dolente tumor quando apparet renitens, oblongus, chordam tenſam referens.

Accedit conatus ad vomitum, dein vomitus alimentorum ipſe, ultimè ſumptorum.

Ructus quoque adſunt immanes, & flatus totum abdomen perepentes iliacos agunt, raroque iliacus invenitur qui flatibus liber, teſte experientiâ.

Ubi malum intenditur, dolor fit acutiſſimus & intolerabilis, & ægri vel dolorem, uno vel pluribus in locis, fixum permanentem, tenſivum aut pulſantem ſentiunt.

Progrediente morbo accedunt enormes vomitus, & tales quî non dum taxat cibum & potum, & humores ratione cauſarum diverſiſſimos, ſcilicet, bilioſæ, pituitoſæ, viſcoſæ, putridæ materiei, ſed & ipſum chilum, & non rarò ipſas feces rejiciant. Ipſa alvus interdum clauditur, ut ne acûs admittat acumen.

Cum ad extrema ventum eſt, accedit ſingultus & delirium, itemque nervorum diſtentio, &

gelidus ſudor, & tremor cordis, & ſincope, & materierum clyſterum rejectio. Ab iliacis rejectos fuiſſe clyſteres teſtantur *Solenander*, *Gorter*, nec-non ſuppoſitoria, qualem caſum mirabilem refert *Sennertus*.

Hæc eſt ſymptomatum cohors quæ ut plerùmque minori majorive gradu ileum concomitantur. Signa ea equidem, ratione diverſitatis cauſæ, diverſa etiam apparent.

Sibi peculiaria igitur habet quælibet ſpecies, exempli gratiâ :

Si ab inflammatione oritur hic morbus, cognoſcitur dolore acuto, febre validâ, urinâ rubrâ, rarâ, quandoque ſupreſſâ, ſiti intenſâ, reſpiratione anhelosâ, veloci abdominis inflatione, gravi ſingultu cum ſudore, interdùm convulſione celeri mali progreſſu, tandem aliis phlogiſticis ſymptomatibus.

Sin verò à flatibus, aut aliâ obturatione pendeat, tunc nulla eum concomitatur febris. A flatibus non ſunt dolores ità fixi, ſed facilè diſſipantur, & colica flatulenta imprimis multùm hic facit.

Signa intus ſuſceptionis incerta ſunt, eam verò ſuadent, ſi nullu alia cauſa præceſſit, ſi dolor magnus, continuans, diù in eodem loco immutatus hæreat, & ſi ibidem major ex anſio

cum aliquo motu notetur. Tùm etiam inteſtina arctè infrà & ſuprà conſtringuntur.

Volvulum ſigna offerre diſcrepantia ab herniâ docet *Gholius* : in hâc enim vomitus ferè unâ ſerie, ſine interruptione conſequitur & ventrem lapideam duritiem tactui exhibere obſervatur, qui in volvulo, ſemper tumidulus & expanſus eſt.

Si à fecalium materierum coacervatione originem trahit morbus, præcedit diuturna alvi adſtrictio, tactui inteſtina ſtercore turgida apparent, flatus etiam eructantur, & vomitio bilioſa & pituitoſa accedit.

Squirrum tandem adeſſe ſuſpicantur, ſi æger anteà de ponderis ſenſu, in loco fixo conqueratur, ſi per longius tempus, vix alvum deponat, ſi ſummè angatur, & revomat, quæ hoc tempore ſumpſerat, abſque ſtercoreo illo odore apparente in his quæ vomitu rejiciebantur poſt longum tempus.

In medium quoque afferre me juvat quædam ſigna quibus judicari videntur inteſtina quæ ileo afficiuntur. In tenuibus nempè inteſtinis conſiſtere morbum dicit *Galenus*, ſi vomitiones ſunt aſſiduæ ac vehementes, ſi potum continere nequeant ægri, ſi prorsùs nihil per alvum dejiciatur, ſi inteſtina altiori loco torminibus afficiantur

tur, & maximè, ſi ſtercus per os rejiciatur. Signa ea attigit *Celſus*, dicendo affectionem tenuium ſumi poſſe ex dolore ſuprà oumbilicum, craſſorum verò infrà illum. Sententiam *Celſi* amplecti videntur auctores quàm plurimi. Attamen ingenuè fatentur candidi practici, ſigna ea interdum fallacia eſſe, erroremque demonſtrâſſe cadaverum aperturam.

Magno periculo ſemper ſtipatur ileus, & niſi reſolvatur intra ſeptimum diem, occidit. Hoc vitii genus pueris familiare ſenibus rarius, ac penitùs exitiale. Attamen omnes ilei ſpecies non involvunt idem periculum.

Si ileus à fecibus induratis oritur, curabilem eſſe omnes conſentiunt auctores, alimenta enim & medicamenta quandoque tum aſſumit ac retinet ventriculus.

Quando à ſolâ flatuum obſtructione, ſalutis ſpes minor affulget, urinæ profluvio ſolvitur ac judicatur juxtà *Hippocratem*. Sperare ſalutem licet ſi purgans medicamentum ore ſumptum, alvum perumpens dejectionis initium præbet, etenim bonum ſignum ſi alvus ſolvatur; ſed & hæc non ſemper ſuperatum morbum ſignificant, cum ex loco inferiori cum excernere poſſunt ægri.

Ileus ab herniâ interdùm exitialis. Interdùm

minus etiam periculi eſſe ſolet, ubi dolor locum mutat, quàm ubi fixus is in unâ ſede hæreat.

Ileus ab inflammatione, paucis jam diebus lethalis. Lethalis omninò ſi à gangrænâ provenerit.

In infantibus acerbitate doloris convulſivi, dùm, ab acri materiâ inteſtina excitantur, mors ſequitur, antequam inflammatio aut gangræna naſcatur.

Si productus fuerit à mutuo inteſtinorum ingreſſu, ſanabilis modò, modò lethalis dicitur.

Iliacæ paſſioni, ſi ſpontaneus alvi ſeroſæ fluxus ingens ſuperveniat, aut acuta febris, brevi mors pulſat.

Si ileo ſupervenerit urinæ ſuppreſſio, ſtranguria, malum erit lethale. Huc ſpectant ſequentes aphoriſmi *Hippocratis :* quibus à ſtranguriâ oritur ileus, intrà dies ſeptem moriuntur, niſi copioſior effluxerit urina.

Idem *Hippocrates* : ab ileo ſingultus, aut convulſio, aut deſipientia, aut ventris inflatio, malum.

In ileo ventoſitas percrepitum inferiùs exiens, ſi multùm fætet, juxtà *Foreſtum* malum eſt. Exemplum tale vidit Romæ anno 1693 *Baglivius* in iliaco ſexagenario.

Si alvus ita conſtringatur, ut ne ſpecilli qui-

dem extremum admittat, ſtercora rejici oportet, & exitiale ſignum eſſe fatetur *Galenus*.

Si iliacis frigidis oboritur ſudor, mors in ollâ eſt, fatente *Sibizio*.

Tandem mortis futuræ ſigna ſunt ſequentia, reſpirationis difficultas, urinam faciendi impotentia, orta partim à fibrarum laxitate, partim à ſenſibilitatis defectu. Sudores frigidi, alvus perconſtricta, vomitus ſtercoreus denique ſubita dolorum mutatio vel ceſſatio.

Ad felicem hujuſce morbi curationem inſtituendam, cauſarum evolutionem perquàm eſſe neceſſariam, nemo cordatiorum medicorum inficias ibit. Quam autem ſæpiſſimè abſtruſum ſit, in hoc, cauſarum ſcrutinium, practici ſæpiùs toto pectore ingemiſcentes, experiuntur. Filo ſignorum ducti tamen intricoſo labirintho egredi poſſunt veramque viam pandere & à tramite fallaci averti. Ritè penſitatâ igitur verâ ac variâ causâ curationis cardo in eâ vertatur.

Si ab inflammatione inteſtinorum ortum ducat ileus, qui noſcendus venit ſignis jamjam relatis, ad venæ-ſectionem plus miuuſve repetitam, ratione ſymptomatum intenſitatis, & ætatis, virium, tempeſtatis, conſtitutionis, temperamenti, climatis, ſexûs, vitæ generis, &c.

Hyrudinum applicationem, in partem abdo-

minalem nimiùm ſæpiùs in praxi vulgari neglectam, & ad antiphlogiſtica omnigeneris ſive intùs ſive extùs adhibita, confugiendum.

Inter refrigerantes potus commendant practici aquam pulli, vituli, orizæ, hordei, graminis, ſerum lactis, emulſiones, & nitroſa.

Quantum uſum habeant clyſmata emollientia & anodina, ad compeſcendum nimium febris impetum, primo intuitu apparet: quapropter foliis & floribus malvæ, ſeminibus lini cæteriſque hujus-ce familiæ, magno cum ſucceſſu utuntur.

Hìc etiam balnea, parata cum plantis emollientibus & refrigerantibus quàm apprimè congruunt.

Molliſſima fomenta, præſertim ſi in craſſis inteſtinis ſuſpicetur morbi ſedes, loco admota dolenti, non ſunt negligenda.

Oleoſa & narcotica internè ſumpta, utiles præſtare effectus poſſe ſat monſtravêre *Sydenhamius* & *Trallianus*, ſed tantummodò poſt venæ-ſectionem liberaliorem, præmiſſaque præmittenda antiphlogiſtica.

Ad internam autem horum-ce remediorum adminiſtrationem, ſumma cautio ſummaque requiritur ſagacitas.

His prælibatis purgantia ſuadent clinici. Inter

purgantia

purgantia percelebrantur mitia, videlicet, caſſia, tamarindi maritati cum ſale epſomenſi, aut cremore tartari. Doloris cauſâ purgantibus anodina mixta exhibenda vult *Meadius*. Hæc eſt etiam ſententia *Tralliani*, opio purgans ſubjungere, ſi dolor admodum urgeat. Neceſſitate poſtulante, purganti iterùm paragogicum ſubſtituere ſicque alternis vicibus pergere, ſub attentione, an, quandò, & quâ doſi hoc vel illud, exhibere expediat?

Meritò quoque in ileo laudantur temperata veſicantia abdomini applicata. De hoc uſu veſicantium in humoribus derivandis maximè inter ſe diſſentiunt auctores, quidam ut *Celſus* & *Aretæus*, in partibus ab inflammatione remotis applicanda volebant. Alii verò jure meritòque, ſicuti *Pringle*, *Cullen*, *Quarin*, cæterique famâ inſignes ipſimet parti affectæ. Poſt ſecundam ſanguinis miſſionem, veſicantium admotionem, illicò parti commendat *Pringle*, eaque conſiderat tanquam antiſpaſmodica & antiphlogiſtica primi generis. Felicem veſicatium uſum in inflammationibus, pluriès habuiſſe teſtatur *Meadius*. In noſocomio *Sancti Eligii* hujus-ce urbis, ſtudioſi, & ego hùc ducti ſtudii amore & doctrinæ clinicæ, teſtes nunc ſæpè

ſumus proſperi eventûs parti dolenti veſicantis admoti, paribus ſub inflammationis caſibus.

Si à fecibus induratis, ceraſorum aliorumque fructuum nucleis inteſtina obſtruentibus, vel à materiâ craſſâ, viſcidâ, pituitosâ, natales trahit ileus, emollientia varia & relaxantia interna & externa præſcribenda ſunt, ut clyſteres emollientes, ſuppoſitoria; varia linimenta, fomenta in eumdem finem adhibuere nec neglexere balnea ex emollientibus, etiam ex ſolo oleo olivarum, ſi per ægroti fortunam liceat.

His-ce nihil proficientibus, ad purgantia medicamina deveniendum. Tum ſal epſomenſe in aquâ diſſolutum, in indicatione ſatisfaciendâ aſſumi poteſt. Sic à clinicis adminiſtrari ſolet: uncia una ſalis illius amari in libris duabus aquæ ſolvitur, ſolutionis hujus, omni quarto aut quinto minuto uncia dimidia propinetur.

Quibus non ſufficientibus tria aut quatuor grana tartari emetici aliquot unciis aquæ diſſoluta ano injiciantur. Noſtris diebus nimiùm oblivioni traditi fuere clyſteres tartaro emetico compoſiti, attamen ex eis quàm felices ſortiuntur effectus!

Ad enemata acriora adhuc ſenſim deſcendendum. Fumum igitur nicotianæ in inteſtinis validiſſimè in ſuflatum, omnium enematum effica-

ciſſimum eſſe aſſerit *Sydenhamius* : ope machinæ fumigatoriæ omni horá aut alterâ ano immiti poteſt. Si fortè obſtaculum quoddam immiſſioni fumi ſeſe offerret, videndum num feces obturent inteſtinum rectum, quæ convenienter removeri debent introductione digiti in anum.

Si enim exiſtat invaginatio tenuium, ingreſſus, intus ſuſceptio, convolutio, ad globulos plombeos vel mercurii confugere ſuadent nonnulli medici, ubi nec purgans fortius equidem, nec clyſter, nec aliud medicamenti genus opem tulit. Quâ methodo tamen obtentas eſſe plures curationes conſtat obſervationibus. Exhibere igitur ſolent hæc metalla, licet ea improbavêre *Wan-Swieten*; præmiſſo & deſuper hauriendo, aut juſculo pingui, aut hauſtu oleoſo, incipiendo à librâ ſemis aſcendendo ad libras duas, tres. Sic ſegerunt celebres Practici; ſic ſegerebat *Hoffmannus*, ſic plures ilei obtinuit curas.

Cum ſigna pathognomonica deficiunt ex quibus cum certirudine concludere poſſunt, an volvulus adſit, & ſi adeſt, an pars ſuperior in inferiorem aut inferior in ſuperiorem, eventus horum remediorum ſæpè ſæpiſſimè fallax erit. Imò in eo caſu ubi ſuperior intraverit, vix non ſemper lethalis, cum malum augeat, protrudendo inteſtinum ſuſceptum ulteriùs in proximam partem dilatatam.

Parum quoque ponderoſum hoc fluidum efficere valet, ſi intricata aut nodoſa in aliquo loco implicatio adſit, & in ileo ab herniâ incarcer.atâ magis nocere quàm prodeſſe.

Hinc omnia tentanda antequam hæc metalla exhibeantur, ad quæ temerario auſu ſæpè recurrunt nonnulli medici. Cautiùs igitur cum his mercandum, alias certò citiùs ægrotum jugulabis, & cum mors non ſequatur, ſequuntur ut plurimùm miri & inſuperabiles morbi nempè tremor in artubus & impotentia in manibus, & paraliſes familiares illis qui argentum vivum quotidiè ad ſua artificia adhibent.

In ileo ab herniâ producto curando, duplex eſt curationis ſcopus, in ſuam ſedem inteſtinum reponere, reſtitutum in loco continere.

Primæ indicationis cura exigit phlebotomiam, ſi adſit inflammatio, fomenta emollientia aquè ac litus ac clyſteres ſitum ſupinum cruribus inflexis. Omni ſtudio omni operâ ergo annitendum ut inteſtinorum fibræ relaxentur, inteſtinumque elapſum reponatur, reſtituaturque ope ſubligaculi aut bracherei perpetuò portandi.

Quandoque ad cætera auxilia deveniendum ſi ſit major reſiſtentia; præſcribenda igitur mediocria purgantia : etenim iliacæ huic paſſioni quò fortiora adhibueris remedia, ſive purgantia

ſive clyſteres magis irritantes, eo magis obſtruetur alvus, ob auctam ab illis fibrarum inteſtinalium criſpaturam & contractionem. Conducunt maximè hic anodina, emollientia & diſſolventia.

Vapores aquæ calidæ per ſellam perforatam ano immiti debent & pluriès in die repeti.

Glacies etiam ad mota in abdomen à nonnullis commendatur, feliceſque ex eâ eventus fiunt.

Inter fomenta varia zacutus luſitanus viam inteſtinorum aperuit, aliis nihil proficuis, ſtercore vaccino quàm recentiſſimo univerſæ ventris regioni applicato.

Suppeditat interdùm proſperum remedium cucurbitarum majorum in abdomen admotio. Ex earum applicatione infeliciter hodiè obſoletâ, in deſperato caſu, in caſ ùm tentatis omnibus remediis, ægregiam ſanationem obtinuit *Quarin.*

Quidam ut *Alexander Benedictus*, *Mercatus* &c., frigido potu ileum ſuperatum referunt. Clariſſimus *Home* inſperſionem aquæ frigidæ in abdomen, femora & crura nuda ſuadet, & alvum indè feliciter ſæpè ſolvi obſervavit; multa verò in præcipiti periculo rectè fiunt, alias omittenda.

Si ſpaſmus ſit ilei principium ſuperveniatque ileus poſt pavorem terrorem, cæteraque animi pathemata, tempore catameniorum illicò ſup-

preſſorum, ſuppreſſisve hæmorrhagiis narium conſuetis, ſeu hæmorroidibus, præmiſſâ tunc temporis venæ-ſectione, opii uſus quem commendat *Sydenhamius*, fit abſolutè neceſſarius. Hoc remedio ſpaſmos frequentiſſimè curavere practici, ſicque ab imminenti periculo plurimos liberâre ægrotos.

Balneorum quoque uſus ſecundum *Celſum* & *Fernelium*, hodiernoſque clinicos, maximi erit emolumenti.

Enemata etiam proſunt confectâ, moſcho, caſtoreo, & aſſa fœtidâ oleoque camphorâ impregnato.

Si à flatibus ortum ducat, recurrendum ad clyſteres primo emollientes, dein carminantes, & diſcutientes cum floribus chamæmelli, meliloti, ſeminibus aniſi, fæniculi, dauci, cuminis, ſimiliumque additis melle & oleo.

Medicamentum ad flatus diſcutiendos proprium eſt aniſum nuptum cum caſtoreo & aſſa-fœtidâ.

Decocto guaiaci multos per dies continuato, frequenterque injiciendo clyſteres, quàm plurimos curaſſe ægros teſtatur *Riverius*.

Ex venenis fontem ducente ileo, æger quàm citiſſimè, ad ſubſtantias venenorum deſtructivas, & quas ſuppeditavit noſtris temporibus, adverſus mineralia venena, nova chemica doctrina confugere debet.

Quibuſlibet debellandis appropriatum eſt remedium. Jamdudùm oleum, juſcula pinguia, lac ſemen lini, ſimiliaque, ſeu per os, ſeu per anum ſumpta, aſſueta fuerant remedia ad uſque diem fulgentem quo medicinæ horizontem ſol chemiæ fulſerit.

Tandem ſi à vermibus agglomeratis pendeat ileus, in uſum vocanda veniunt anthelmintica hùcuſque nota, v. g., helminthocorton, corallina, folia & flores perſicorum variis ſub formis uſurpata, & connubio juncta emollientibus & paragogicis, in dolore ſopiendo. Ad hunc finem conducunt flores malviæ, ſambuci, verbaſci, crocus & lac. Oleoſa etiam purgantibus maritata enecandæ familiæ verminoſæ idonea ſunt.

Tandem in omni ilei ſpecie, ſi dolor admodùm urgeat, ob metum inflammationis ut plerumque neceſſaria fit venæ-ſectio, æquè ac potio anthiemetica *Riverii*, ſumpta ut plurimùm ſub momento efferveſcentiæ, quemadmodum commendat illuſtriſſimus *Magbride.*

Huic potioni, vomitu admodum urgente maritentur paragogica & ſedantia, nempè theriaca recens, liquor anodinus mineralis *Hoffmanni*, tinctura thebaïca *Sydenhamii*, nec-non tinctura ſuccini vel caſtorei præprimis, ſi ſpaſmus & virium debilitas uno pede procedant. Sub quali-

cumque ilei genere oportet ut ptiſaonæ frigidæ aſſumantur ; valdoperè hic certè proſunt, limonum ſuco impregnata aqua, gallicè *limonade*, ſeu levis infuſio foliorum menthæ, quam laudibus extollit *Sydenhamius.*

Licet per illa quæ hac tenùs tradita fuere, dolor ceſſaverit, vomitus febriſque remiſerit alvuſque libera fuerit debemus tamen cogitare partem illam inteſtinorum, ubi morbus hæſit, diù adhùc retinere magnam ſenſibilitatem adeò ut denuò dolor, ſpaſmus, inflammatio recrudeſcere poſſint, ſi vel levis irritatio acceſſerit ab ingeſtis, vel acrioribus, vel difficilis digeſtionis. Omnia enim aſſumpta hùc venire debent facili negotio coquenda, & ideo *Sydenhamius* probè gnarus hunc ce morbum, præ aliis omnibus, in recidivam maximè pronum eſſe, reconvaleſcentibus ileo frigus & alimenta quæ duras feces generant, vitanda ſuadet ; & monet *Hoffmannus* ne iis alvus, aut mictus retineatur.

Cavendum igitur ne majori copiâ graventur cibi licet tenues & faciliimæ digeſtionis, & ideò parum ſimul, ſed repetitis vicibus dentur ut tempus concedatur diſtentis ſemper anteà enormiter inteſtinis, ut amiſſum robur ſenſim recuperare queant.

FINIS.

TENTAMEN
MEDICO-CHIRURGICUM
DE
ANEVRISMATIBUS,

QUOD Deo duce & Virgine Dei-parâ in Auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi tueri conabitur JOANNES-BAPTISTA LE GOUT, è civitate Port-Louis in Inſulâ Gallicâ apud Africanos, Artium magiſter, exercituumque Navalium Chirurgus ordinarius.

Pro Baccalaureatû.

MONSPELII,

Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

M. DCC. XCI.

ILLUSTRISSIMO
VIRO
PETRO POISSONIER
IN SACRO CONSISTORIO SENATORI
REGIS PRIMO E CONSILIIS MEDICIS
PROFFESSORUM COLLEGII REG
FRANCIÆ DECANO
MEDICINÆ MARITIMÆ ET
COLONIARUM
INSPECTORI GENERALI
OLIM EXERCITUUM
IN GERMANIA ARCHIATRO ET
NOSOCOMIORUM INSPECTORI
SOCIETATIS
REG MEDICÆ PARISIENSIS EX-PRÆSIDI
ACADEMIÆ REG SCIENTIARUM
PARISIENSIS
LONDINENSIS PETROPOLITANÆ ETC
SOCIO MERITISSIMO
TENTAMEN HOC
MEDICO-CHIRURGICUM
DE
ANEVRISMATIBUS
J. B. LE GOUT.
D. V. C.

TENTAMEN MEDICO-CHIRURGICUM DE ANEVRISMATIBUS.

ET si perfectam aſſequi nobis non liceat cognitionem affectionum, ex fluidorum alteratione pendentium; ſpes tamen felicis ſanationis adhuc lucet; è contra vero ſolidorum compage læſâ, optima eorumdem læſionum notitia, nullâ tenus conducit ad ſanitatem reſtituendam. Itaque in praxi, plerumque evenit, ut ex morbi naturâ plus minuſve cognitâ, non idcirco pendeat, certior vel incertior ſpes ipſius ſanationis conſequendæ. Hujus rei luculentum affert exem-

plum, anevriſma internum de quo agere nobis animus est; non miſſis tamen quæ ad externum ſpectant.

Tumor autem præſentiâ cujusdam quantitatis ſanguinis arterialis, in tunicis arteriæ incluſi, aut in vicinio diffuſi efformatus, anevriſma vocatur.

Fernel et Forestus primi contenderunt anevriſma fieri expanſione arteriæ, omnesque fere cum ipſis auctores conſenſerunt. Sennert vero Barbette et Willis, internæ tunicæ ab ruptione tantum modo efformari anevriſma exiſtimaverunt, externam vero dilatari. Illud equidem non impoſſibile videtur : ſed eos tamen falſi experientia arguit; probavit etenim ſectio cadaverum, arteriam in omni ſuâ denſitate fere ſemper abſciſſam inveniri.

Sæpe interna vaſa, communiter tamen et frequentius externa videlicet brachii et poplitis, morbus hic aggreditur, hinc nota diviſio anevriſmatum in interna et externa.

Ex diviſione vel expanſione tunicarum arteriæ, legitimi aut ſpurii anevriſmatis orta diſtinctio. Tertium genus utriusque particeps mixti nomine inſignitum obſervatum est. A. Monro, G. Hunter aliique auctores angli quartum agnoverunt, varicoſum videlicet rariſſimumque. Hujus

exemplum, saltem quod sciam, nondum galli attulerunt : locum habet si venam basilicam secando, aponevrosim bicipitis transeundo arteriam aperias subjacentem.

Si in ipsis arteriæ tunicis sanguis contineatur ; adest anevrisma legitimum : ut autem certius sanantia dirigantur media, illud imprimis considerandum, modus scilicet tumoris, qui vel totam peripheriam, vel latus solum occupare potest, si sit exterius. In anevrismate spurio è contra arteria divisa invenitur, et diffusus sanguis aut in telâ cellulari vicinâ, aut in ipsius arteriæ membranâ cellulari, et tumorem gignit arteriam haud attingentem.

Hanc anevrismatis speciem dividerunt practici in primitivum et consequutivum. Arteriæ autem divisionem consequuta est sanguinis diffusio, aut subsequuta propter alicujus causæ obicem.

Anevrisma mixtum semper est consequutivum. Oritur effusione sanguinis in sinum quemdam, parte lymphaticâ formatum et sensim dilatatum. Locum obtinere potest in eâ solum modo corporis parte in quâ pars membranacea sinus lymphaticos sustinendi idonea arteriam contingit. Nequeunt enim sinus illi resistere conatibus indesinenter impulsi sanguinis.

Si arteria et vena simul incisæ fuerint, coales-

cat exterior venæ sectio dum remanet aperta interior; si vulneris labia ad arteriæ sectionem adpressa cernantur, ita ut sese per venam effundens sanguis arteriæ, eam dilatet, varicisque formam assumat, inde anevrisma varicosum. His vero differentiis, ea adjicienda sunt, quæ ex volumine, vetustate, ætate, statu ægroti; quæ ex simplicitate, vel alicujus morbi complicatione, sive sit vel non anevrismatis causa oriri possunt.

Anevrismatis causa multiplex: spurii proxima, divisio arteriæ, unde sanguinis effusio. Legitimi autem, arteriæ parietum debilitatio, in quocumque loco accidat. quidquid ergo arteriam dividere potest, ut instrumenta secantia, pungentia, locum spurio dare possunt; anevrismatis legitimi causa remota quidquid tunicas arteriarum debilitare potest, ut ictus, casus, compressio, ligatura, spasmus, paralysis cujusdam arteriæ partis, contusio, distensio, imminutio denique motûs in aliqua arteriæ parte.

Anevrismatum externorum facilius dignoscitur causa quam externorum. Supra memoratis adjungi debent ad mentem WISSEMANI plethora si agatur de majoribus vasis seu de iis ab illis proxime procedentibus, otiosa dein vita, hydrargyri usus frequentior, calculus, vermes, partium

debilitas nativa , in corde valvularum tricuspidum et triglochinarum induratio, spasmi, in viciniis cordis tumor ingens, interclusio sanguinis, pulmonum tubercula, humor acris et corrodens, liquorum spirituosorum abusus, tussis, vomitus, nisus in partu vehementiores. Anevrismata frequenter concomitantur phthisis, orthopnea, asthma; sæpiusque cum eo occurunt, hydrops pectoris, mollium solidarumque ejus partium deformatio, costarum sterni, vertebrarum caries.

Notandum expansionem anevrismatis sæpissime in auriculis cordis locum habere, etenim sanguini quo vehementer dilatantur debilem admodum opponunt resistentiam. Laboriosæ corporis exercitationes, concussiones, contentiones, venerearum voluptatum usus frequentior, quo solida enervantur, et quidquid ea hebetare potest anevrismatum interiorum, et exteriorum causæ remotæ esse possunt, et disponentes quamvis possint alios morbos gignere.

Accretio motûs aëris in sanguine contenti ad mentem Ruisch anevrisma procreare potest; observationem affert mulieris cujusdam improvisâ, morte peremptæ « visum est, inquit, » cor ingens volumine, ejus sinus fere vacui » sanguine, aëre vero tume-facti qui ad aper-

» turam evanuit , apparuerunt sinus qui ad » modum vesicæ subsederunt. » Qui salsis acribusque vescuntur alimentis his sanguis inest vitiatus et nocivis infestus principiis : cum vero eorum quantitas multum superet proportionem quæ ea inter et alia sanguinem constituentia principia et presertim serum esse debet ; necesse est ut internas arteriarum parietes corrodant, rosionibusque ansam dent, ex quibus expansiones oriuntur.

Demonstravit pontificius archiater Lancisi in præstantissimo de corde et anevrismatibus tractatu, hæc oriri posse ex humoribus corrodentibus ; eâque explicat viâ, arteriarum spasmodicam affectionem, plerumque ut ipse notavit anevrismata præcordialium præcedentem, in iis scilicet in quibus serum abundat.

Lancisi primariam anevrismatum causam in spasmo vehementi reponit, hancque suam assertionem probare contendit palpitationibus anevrismata vulgo præcedentibus. Exemplum affert arthritici cujusdam anevrismate in aortæ curvaturâ laborantis ; huic humores quam maxime acres præsertimque bilis : inde juxta Lancisi irritationes, convulsiones, palpitationes, denique anevrisma : similem etiam observationem in medium protulit du Laurent quam eodem modo explicat.

Id ergo nec immerito anevrismatis causam esse peculiarem dicam omne quod motum sanguinis in arteriis præpedire potest, aut omne quod tunicas erodere vel quocumque de modo debilitare potest.

Anevrismate laborantis pulsus adest durus, plenus, sub sultorius, minimo motu anhelant, ad aucto fere suffocantur; rubescit facies, simul et obscure nigrum calorem induit. Impeditur etenim sanguis se se ex auriculâ cordis dextrâ effundendo in hujus lateris ventriculum et inde in arteriam pulmonarem, quando hæc arteria aut pulmones afficiuntur. Non quidem semper locum habet istud symptoma, palpitatio ex cumulato et coacervato sanguine in majoribus venis corde vicinis orta. Succedunt spasmi syncopæque, ex paralysi quadam producti quæ motus spasticos consequitur qui locum in palpitatione habuerunt aut sæpissime ex syncope oriatur, causa fieri poterit anevrismatis si momentaneo quodam pendeat impedimento motus in valvulis; si cartilagineam vel osseam ipsæ induerint naturam polypus circulationi sanguinis obices opponens: Tussis producit extentiores in præcordiis pulsationes quas facile manu ad regionem morbi positâ sentias, quasque in statu rerum sano et naturali aut sentire non datur aut

saltem multo remissiores. Genuinum caracterem suppeditant, et à quovis alio morbo discriminant, manûs admotio et exploratio, pulsatio exundans et prolixior in loco non assueto existens, pulsûs inæqualitas et intermissio; insuper elevantur costæ et sternum quandoque, cunctæ illæ partes deformantur; allata symptomata crescunt et adaugentur in dies; marscescit æger, nec ipsi amplius inest appetentia alimentorum, recedit somnus, dulcis malorum quies; in phthisim incidit moriturque brevi. Tumor anevrismatis quandoque immodice dilatata et attenuata se disrumpit, et in ultimo illo casu subita plerumque puris effusione perit æger.

Longe facilius partium externarum anevrismata dignoscuntur, spesque sanationis potior afful-get. Legitimum anevrisma sequentibus signis agnosces: plus minusve mollem et elasticum tumorem offert, juxta ægritudinis vetustatem, crassitiem, densitatemque coagulati sanguinis in eo contenti: si anevrismá vetus sensim crescit tumor nullam sæpissime in nativo cutis colore mutationem offert, atque dolore circumscribitur nisi vetustissimus. Tumori aurem admovendo, murmur quoddam auditur, quasi rivuli per fontis cuniculos decurrentis, percussiones sentiuntur, percussionibus pulsus isochroni: si vero supra

arteriam tumorem comprimas, non sentiuntur pulsationes, eo tamen sensibiliores quo recentius anevrisma et sanguis in eo contentus fluidior, obiter tamen observandum si adsint concretiones solum modo juxta tumoris parietes. In medio enim superest fistula quâ sanguis fluere totumque arteriæ spatium decurrere potest. Exempla affert LITTRE quibus constat primo apparuisse pulsationem, recessisse vero postea, inde nec immerito quidem, pulsationem necessarium anevrismatum symptoma non esse infertur. Signa ex circumstantiis ægritudinem præcedentibus, et causis productivis deprompta verum morbi caracterem, naturamque aperient certius et declarabunt : difficile quidem errabis, si variarum specierum tumorum pathognomonica signa anevrismatis tumori conferas : ex ejus volumine, figurâ judicare dabitur an totum arteriæ diametrum aut partem tantum occupet. Judicabunt enim tactus partis laborantis et causæ producentis recordatio. Si ex aliquâ extensione, aut alicujus contundentis corporis effectu oriatur, non immerito credam totum lædi arteriæ diametrum, aliter vero, ex parte solum offendi judicarem. Si oriatur anevrisma ex resectione aut punctione. v. g. acuminis scalpelli, vel ossium fragmentis ect. In hoc ultimo casu membranæ interiores arte-

riæ, quæ intactæ remanserunt, ex adverso tunicarum externarum veluti quamdam herniam ostendunt, si comprimatur tumor evanescit majori departe, sanguis enim per totum arteriam retrogreditur; in priori vero hypothesi, cum totum amplectatur diametrum tumor, si comprimatur decidit quidem, non vero tota evanescit: non inutilis distinctio, si præsertim consideretur non eamdem esse indicationem, et varium in utroqne casu exitum, ex mediis ad curationem adhibendis esse sperandum. De compressione dicam fusius ubi de curatione.

Si spurium autem primitivo superveniat, propria signa notabis. Si gladiò aut scapello vel alio quovis contundente instrumento incisa fuerit arteria, et tegumentorum vulneri incisio arteriæ respondeat, tum sanguis subsultim exilit, venarum sanguine magis purpureus; si comprimatur arteria, supra vulnus subsistit sanguis; si verò per textum adiposum divagetur, fit tumor, adestque anevrisma spurium. Idem quandòque cuti color, sæpius tamen immutatur, et lividam, nigram, subobscuram, variegatamque induit cutis. Extenditur verò tumor juxta majorem minoremve sanguinis in textu cellulari effusionem. Si mediocris sit tumor, tunc sentiuntur pulsationes, sed obscuriores quam in anevrismate legitimo.

Supra arteriæ rupturam, tumor per aliquod temporis spatium efformatus ex vulnere arteriæ quod priſtinæ ſanitati reſtitutum creditur, anevriſma mixtum declarat. Si comprimatur, cedit ut anevriſma legitimum; ſi verò infra digitos exiguus ſuperſit tumor, nihil aliud eſt quam ſacculus lymphaticus, coänoſus, in ſemet ipſo reflexus et coacervatus digiti preſſione. Hujus ortum et progreſſionem jam uſque memoravi; hæc igitur de varicoſo anevriſmate ſufficiant.

Multiplici ratione hujuſce diagnoſis inferenda, ſpecie videlicet, ſede, ſive internum, ſive externum anevriſma, vetuſtate, arteriæ parietum concretione quæ locum habere poteſt, ut experientiâ demonſtrant, rarò quidem anevriſmatis tumori ſpontaneo et abſque medicinæ ope ſanati. DD. Pelletan et Lassus, chirurgiæ profeſſores regii Pariſienſes, exemplum afferunt, Ephem. menſe maii 1790. Deinde parietum tumoris attenuatione, circumſtantium partium ſtatu, damnis tumori allatis, aut dum adhuc integer aut, aut poſt ejus ruptionem, alicujus denique morbi complicatione, non quidem ex anevriſmate pendentis, ultimo ægroti ſtatu variè edocemur.

1°. De ſpecie in genere: Gravis morbus anevriſma, ſi conſideratur ſub reſpectu mediorum

quæ ad perfectam sanationem ars sæpius adhibere compellitur, effectusve qui illud consequuntur, v. g. deformatio partis, difficultas in motibus, atrophia, et gangræna, quæ omnia ex anevrismate oriri possunt. Mortem quandoque infert, ratione scilicet circumstantiarum, parte arteriarum quas afficit. Omnibus utrinque paribus legitimum minus, spurium periculosum magis crediderim. In ultimo enim adest puris effusio, in priori tantùm reformidanda; sed utriusque adeò differt essentia ut de utroque diagnosis certa afferri non possit, quin simul omnia et varia symptomata afferantur, complicationesque variæ, quas fusè evolvere longius foret.

2°. De sede anevrismatis: Quoties externa chirurgorum remedia adhiberi poterunt, rebus utrinque paribus, minùs quam in casu contrario periculosum anevrisma, præsertim si extremas partes occupat: si verò cor aut vicina vasa majora anevrismate laborent, citius ociusve moritur æger, aut ex morbi effectibus, ut pectoris hydrope, asthmâ, phthisi aut tumoris rupturâ quâ extemplo occiditur. Minuere quidem et sistere, gradum progressusque morbi, certum ad usque gradum medicina potest, sed hanc anevrismatis speciem eradicare et penitus extirpare non valet.

3°.

3°. De vetuſtate : Quò recentius anevriſma ; eò sanationis spes potior affulget ; et vice versâ. Recens adhùc , exiguum , legitimum , sat diù tolerari potest , modò æger a contentionibus corporis abstineat , et fasciâ vulnus solertiùs involvat. Casus verò tristiores portendit crassum et inveteratum , quos arteriæ solùm ligaturâ aut membri amputatione tollere licet. Si arteriæ partem solùm occupat tumor , felicem ex remediis successum sperare licebit ; ex compressione scilicet , quæ sola efficaciter simul et evidenter operatur ; alia enim juvare quidem remedia possunt , non verò sanitatem restituere.

4°. De concretione aut imminutione parietum tumoris : Quò magis tenues parietes tumoris , eò citiùs , si saltem possibilis est , instat operatio. Si verò internum anevrisma attenuetur et parietes minuantur , de die in diem majus ægro imminet periculum , horaque suprema in propinquo est. Exercitatio etenim , etiam remissa et causæ quæ vel vasorum actionem motumque augere possunt sanguinis, tumorem facilè disrumpere , et mortem ægro inferre possunt.

5°. De damnis anevrismati in partibus circumstantibus allatis : In dignoscendo anevrismate , considerari debent partium mollium deformatio osscarum caries ut in sterno et costis , alteratio

formæ et figuræ cordis majorumque arteriarum truncorum; dolor, inflammatio ingens partium, in tela cellulari effusa fluida, gangrena non rarò hisce adjuncta; denique natura et species morbi anevrismati adjuncti seu complicantis, sive ab eo pendeat vel non, status subjecti, sani aut cachetici, juvenis, adulti aut senis.

Si consideratur hujusce morbi natura tanquam cor et vicinas arterias offendens et afficiens, aut externarum partium et præsertim extremitatum arterias; in priori casu chirurgicas operationes nullum afferre posse juvamen, nec adhiberi posse facilè deprehendes. : in secundo autem casu, nemo inficias ibit in plerisque casibus media chirurgica peritè adhibita bene multos sanitati conduxisse. Juvit etiam medicina chirurgiam firmans, et ab ea absque ægrotorum damno nunquam se-jungenda. Libri chirurgici exemplis abundant et observationibus. Nemo etiam nescit servatricem et medicatricem naturam ex se ipsâ curationem persæpè confeciſſe; sed exitum adeò faustum et rarum ab illa sola expectare ridiculum foret et periculosum. Medicus verò malorum non inoperosus spectator opitulari debet, auxiliaque ab arte in medium prolata adhibere.

Auxilia autem ab arte expectanda sequentia sunt : hæc est in cordis et majorum vicinarum

arteriarum anevrismatibus simplex et naturalis indicatio adimplenda ; ex-pansis et dilatatis videlicet partibus, vim ingerere sufficientem ut præcavetur ulterior dilatatio, et resistere possint illæ partes sanguinis percussionibus quas indesinenter experiuntur ; sed in re tam difficili, quæ media, quæ spes affulget?

A. Monro in observat. societ. reg. medicæ Edimburgensis, se invenisse refert partes quasdam tunicarum arteriarum ossificatas, et lapideis concretionibus incrustatas. Sæpe sæpius etiam ipsi occurrit arteriæ cujusdam tubus seu lumen ferè in integrum obstructum, tunicarum interclusione steomatosâ ; pus dein in textum cellularem effusum quæquidem notabilem admodùm in pulsu subsultum procreabant.

Ut autem quantùm fieri potest adimpleatur, mox allata indicatio, non applicanda compresio, nec aromatica, nēc tonica : transitoriè etenim operantur ; ægritudinem nedum minuant, augebunt, circulationem accelerando, quâ citius vividiusque tumor a sanguine pulsabitur. Ad tollenda autem circulationis obices, quæ prima igitur adimplenda esset indicatio ? quænam adhibenda media ? Si pendeat impedimentum illud a valvularum vel parietum vasorum induratione osseâ, aut polyposâ concretione, nullum

adest certum remedium, artisque vires, sub illo respectu, longè superat morbus; nec mederi similiter poteris, si prava pectoris conformatio locum anevrismati præbuerit. Etiamsi conjicere posse existimes ingentem tumorem in viciniis cujusdam vasi præmagni vel in telâ cellulari effusionem, primam esse causam, quâ etenim ratione certus evades? Illud suspicari solummodò ratio sinit, non verò certus fieri. Etiam si credas statum hunc aut minuisse aut delevisse potu diluente, pectori idoneo, humores dividente et attenuante, et remediis ad id genus morbi accomodatis, non ideo minùs perstabit anevrisma. Dum spes verò aliqua lucet non omittenda remedia. Superesset adhuc tueri augere sacculi anevrismatis elasticum motum; sed quam difficile sit illud consequi ex allatis jam rationibus patuit; aliam ergo viam inire, mediaque sanationis alia requirere debemus. Anevrismatis tumoris ulteriorem coercere oportet expansionem, minuendo videlicet, quantùm possibile est, vim et quanitatem pulsationum quas ex parte sanguinis experitur; id est, id omne adhibendo quod motum moderari et temperare potest. Hæc est autem curatio fucata seu medica: Hanc assequi licebit, si sanguinis acerbitatem minuere victu leni humectanteque studeas, li-

quores fermentatos, spiritibus redolentes, acria alimenta, salsa, aromatica, vasculare systema stimulantia prohibeas; animi pathemata removeas, imprimisque iram vehementem; dein vigilias et immoderatas exercitationes.

Observaverunt tamen Medici anevrismata etiam per otium crescere, inde moderatum ægris suaserunt exercitium; sed observatio ad majus probat durante otio anevrisma crevisse, non vero otium hujusce accretionis causam fuisse. Exercitium ergo si adhibeatur, moderatissimum esse debet. Laxetur alvus ægro ad vitandos nisus et contentiones; vena secetur interdum; levia alimenta præscribantur, temperantia et moderatio in cunctis suadeatur: his omnibus minuitur sanguinis redundantia, et motus ejus velociores, et in hoc statu diu vitam ducere potest æger, præsertim si anevrismatis parietes quo tempore dilatabantur indurati sunt, ut non rarò visum est, aut si occurrant coaguli sanguineo lymphatici, quamdam veluti cicatricem dilaceratis partibus inducentes; sanitatem tunc recuperare potest æger quamvis tamen illud sperare difficile sit.

Hæc curandi methodus internis non solùm applicari potest anevrismatibus, verùm etiam externis, ut medium auxiliare, si quidem

externa radicitus extirpari possunt, ut innumeris probatur exemplis. Inter sanantia media eminent compressio et operatio. Compressionis autem emolumenta inconcusso stabilivit modo nosocomii S. Spiritus Romæ chirurgus, D. Flajani, multis et faustissimis tentatis et consequtis sanationibus, quarum mihi summam nuperrime communicabat, non nullarum testis, D. des Genettes.

Medium illud antiquis notum, recentioribus laudatum, legitimo spurioque convenit. Facilè verò intelligitur locum habere non posse, in vulnere inflicto arteriæ, nisi sublato priùs diffuso sanguine. Tunc verò assumatur agarici frustulum, vel chartæ ob uramentum ciceris formam adæquantis; sustineatur vulnus fasciis gradatis et ita elevatis ut partes membri laterales non comprimantur, visque fasciarum solum arteriæ punctum urgeat comprimendum, partemque membri ex diametro oppositam. Haud facilè quidem hanc indicationem præcisè adimplebis; non longè tamen aberis, si id munus prescripto modo attentè studiosèque obeas.

Ex compressione sperari potest arteriæ obliteratio. Cognitio anostomosium vasorum declarabit per quas partes sanguini novam viam aperiri potest, proderit indicando quas partes com-

pressio urgere debeat, quas non. Advertere non inutile erit hanc compressionem locum habere non posse, nisi in casu in quo infra punctum compressionis existit, sustentaculum seu fulcrum sufficiens, quod non semper adest.

Ad anevrismatis ligaturam adhibendam, compulerat hæc ultima ratio, medium superiùs allatum prohibens. D. le Comte, chirurgus Parisiensis; medio illo extremo abhorrebat; sed quodnam aliud adhibendum? Motu continuo systolæ et diastolæ indesinenter agitatur arteria, et labia vulneris divelluntur; ipsi ideo impossibile visum est ea internectere, sicut in aliarum partium vulneribus licet; medium ideo quæsivit arteriæ coercendæ et hemorrogiæ sistendæ idoneum. Pennæ caule usus est utrinque aperto, ex uno latere secundùm longitudinem resecto, intus tæniolâ vestito; hunc in canalem arteriam læsam circumduxit, incisâ scilicet parte et detectâ arteriâ. Adnectuntur dein huic tubulo fila quatuor, unæquæque extremæ parti introducitur arteria, et constringuntur fila: hoc medio coercentur arteriæ motus, coalescuntque vulneris labia.

Hæc methodus a peritissimo chirurgo Brestensi, unâ semel vice adhibitâ, ipsi successit; ast verò arteria posteà rupta est, ejusque extre-

mitates è canali recedentes retractæ sunt. Utilitas in hoc tamen medio inest, à ligaturâ non expectanda; enim verò obliterabitur, aut in integrum, aut in parte tantùm arterialis, tubus, coangustatione videlicet allatâ cicatrici vulneris arteriæ. In hoc ultimo casu, facilè persentitur illius methodi utilitas; sanguine etenim adhuc per arteriam fluente non reformidatur gangræna; in priori verò, antequam compleatur obliteratio, sanguinis adhuc paululùm fluit nutrioni membri sufficientis; dilatantur autem arteriæ collaterales, et majorem sanguinis quantitatem fluere ſinunt.

In spurio tantùm anevrismate adhibendum est medium D. LE COMTE; in legitimo non convenit. In illo adhibenda compressio modo usitato, ita tamen ut solus comprimatur tumor: requiritur adhuc ut sit recens et mediocris voluminis. Si parietum arteriæ pars tantummodò afficiatur, speranda in brevi sanitas. Applicentur panni gradatim tumori, postquam ex eo in arteriam sanguis pulsus est digiti compressione, plurimo fasciarum ambitu; huic fasciationis speciei alia subrogata est, tabulæ videlicet loris et fibiis devinctæ.

Ad flexuram brachii situm anevrisma, ope fasciationis nomine PONTON, sanavit abbas BOURDELOT. Quid quid verò agatur, opportet

semper tumorem solum et partem membri oppoſitam comprimere, quantùm licebit, quod aſſequi facilè dabitur, ſi ſufficientem pannis gradatis altitudinem, tabulis verò latitudinem præbeas.

Si totam arteriæ dimenſionem occupat tumor oblongus, hujus altitudo minuatur, alioquin creſceret ſuperficies, ſubſederet enim et circum circa ſanguinis divageretur; in hoc tamen caſu, utilitas quædam percipi poteſt ex globulo quodam comprimente in modum cochlearis cavato et efformato, ut in eo collocetur tumor, et ex omni parte comprimetur; hac ratione ipſi creſcendi via tollitur, et compellitur ut in ſemetipſum redeat. Penitùs eradicari poteſt anevriſma ſi cavum globuli comprimentis minuas ſimulatque minuitur tumor. Si ex parte oſſis quod fulcri vices gerit arteria complanata eſſet, tunc verò, ut facilè intelligitur, requiritur extenſio quædam ſuperficiei anevriſmatis, quod fieri poteſt lato et comprimente impoſito corpore.

D. Billard, in portu Breſtenſi chirurgus, primarius et profeſſor regius, anevriſma ad flexuram brachii, caſtaneam adæquans, ex venæ ſectione ortum ducens ope pulvilli concavi optimè ſanavit; octo diebus exactis, tumorem paululùm pulvillo anguſtiatum, faſciâque multo-

ties obligatum sensim minuentem vidit; in eadem instauranda fasciatione semper incubuit, et opportunè quidem: instruerat enim pulvilli carum pauxillo gossy-pii; tumor de die in die decrevit, et ægrotus brevì pristinæ restitutus est sanitati. Hanc curationem etiam juvârunt otium et conveniens diæta. Eâdem ratione, anevrisma spurium consecutivum in axillari dextrâ ex gladii vulnere obortum sanavit: tumorem in omni ejus superficie supra dicto pulvillo texit, et evanuit; superfuit tamen parva durities, grumus forsan ex sanguine coacervato.

Si vetus est, et dolorem afferens tumor, non valdè utilis est compressio, nisi ad disponendum operationi, vasorumque collateralium distensionem juvandam, quod multùm operationi favet. Hæc medendi ratio proposita fuit pro varicosis anevrismatibus; sed suadet Hunter naturæ medicatrici morbum hunc non periculosum committere: compressio etenim multam ægro affert molestiam, locumque doloribus et inflammationi præbet aliter non orituris.

Ultimum tandem medium est operatio, seu arteriæ ligatura. Arabes medici à remotissimis temporibus unâ tantùm usi sunt; Ætius verò duabus; viderat enim sanguinem redire per extremam inferioremque partem arteriæ divisæ;

aliunde harum necessitatem didicit ex frequentibus cadaverum sectionibus : duas ideo jussit ligaturas afferri, quod ab omnibus, anatomesque præsertim peritis præceptum observatum est. Si ad graves morbi sequelas attendamus, facilè videmus quam necessariæ sit anatomes cognitio, adversùs quam tamen invehi ignarissimos homines quotidie videmus. Non sufficit etenim cognitio sitûs et dimensionis trunci arterialis partisve colligandæ ; habenda insuper notitia ramorum qui ex trunco oriuntur, aut supra aut infra partem ligandam jacentium. Hac viâ sibi ob oculos ponit chirurgus quâ viâ fieri potest nutritio membri, et circulatio infra partem affectam. In flexura brachii, anastomoses superficialis arteriæ et profundæ à brachiali, recurrentes radiales et cubitales iter sanguinis indicant. In poplitis flexurâ anastomoses arteriarum articularium, tum superiorum, tum inferiorum, sese dilatando vices gerent ligatæ et obliteratæ arteriæ popliteæ.

Si autem infra illius divisionem jaceat anevrisma, seu in tibiali posteriori vel anteriori, antequam ligamentum interosseum perforet ; arteriaque intacta remaneat, recurrit eadem circumstantia ; ac si in brachio anevrisma adesset, infra divisionem brachialis in radiali et cubitali.

Veteres parum gnari anostomosium arteriarum pelvis cum ramis profundæ et circumflexæ, et horum cum perforantibus, in anevrismatibus cruris, membri amputationem suadebant. Partium autem cognitio impulit D. D. MORAND et GUATTANI ut ligaturam suaderent. Ultimus ille observationem protulit anevrismatis in dextro inguine, quod per compressionem, aperto prius sanavit. Simile exemplum habuit M. A. SEVERINUS, actuale cauterium ad hibuit, visque ignis hæmorragiam omnino compescuit; certior tamen ligatura et compressio super os pubis. His igitur observationibus probatur ligaturam non autem membri extirpationem in anevrismate femoris adhibendam.

Hæc autem est operatio: unâ aut aliâ incisione detegendæ arteriæ causâ institutâ, ligato verò tum supra tum infra tumore anevrismali, tollenda tunc tumoris pars superior: quod si anevrisma sit vetus et ingens suppuratio reliqua aufert. Nervos principes ligare sedulo vitabis. Si tamen nervi puncturam in transeundo acu reformidas, nervum simul cum arteria ligabis. Illud commendant MOLINELLI et VALSALVA quoties vel minima difficultas adest: uterque enim nervi puncturæ accidentia tribuunt, quæ solent ligaturæ tribui. Ad præcavendum

illam puncturam invenit J. L. PETIT, acumen complanatum ad extremumque perforatum ad recipiendos filos. Utilima sane hæc inventio, si præsertim ad morem D. POUTEAU, membrum inflectas et arteriam attolas.

Celeberrimus illius acuminis inventor, docet etiam quo tempore decet anevrismata ligare quæ compressione sanari non potuerunt : suadet vero compressionem semper adhibere tanquam certissimum medium dilatationem arteriarum collateralium producere, et sic ad operationem prædisponere. Peractâ autem operatione, medendum veluti in communi et simplici vulneri. Adhiberi debent fomentationes calidæ et aromaticæ : hanc indicationem adimplent, cineres et arena calidi etc. Non nisi pos t aliquot dies subsequuntur arteriarum pulsus ; at vero si calorem servat membrum nec superveniant phlictenæ non desperandum sane, quin affulget sanationis spes. Denique membrum amputari non debet chirurgus nisi gangrenâ in integro afficiatur : alioquin ut recte monet HEISTER « crudele est, periculosam sectionem instituere, ubi blandiori modo curare possimus ».

Auxiliaria media sunt, diæta, venæ sectio ad pulsuum frequentiam, et ad ægri vires et temperamentum accomodata ; potus diluens et re-

frigerans, alimenta levia : nec unquam è mente excidat ad vulnus semper respicere : hujus autem status mutationes et modificationes in regimine indicabit.

Hæc sunt PROFESSORES REGII quæ medico-chirurgice de anevrismatibus conscripsi. Ampla mihi sane patebat materies tum quoad morbi expositionem, tum quoad observata et curationem. Pauca quidem habui sed tamen ita ut per exempla tutius quam per præcepta pateret iter. Omissis, nævis, et erroribus pro consuetâ humanitate vestrâ benigniter indulgeatis.

FINIS.

TENTAMEN
MEDICUM
DE
CARDIALGIA,

QUOD Deo duce & auſpice Dei parâ in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur Auctor JOANNES - JOSEPHUS - LUDOVICUS-GUILLELMUS CABANES, è loco *Belmon in partitione de l'Aveyron*, in Univerſitate Toloſanâ Artium Magiſter & medicinæ jam-dudùm Alumnus.

Pro Baccalaureatûs Gradu conſequendo.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

M. DCC. XCI.

AVUNCULIS
PRESBYTERIS
RELIGIOSISSIMIS
ANTONIO
CABANES,
GABRIELI
CABANES,
STUDIORUM PRIMITIAS
ADDICTISSIMUS
J. J. L. G. CABANES
EX PATRE NEPOS
D. V. C.

ARGUMENTABUNTUR

D. D. PROFFESSORES REGII,

PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Regis in Sacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

GASPARDUS-JOANNES RENE', *Decanus.*

ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

FRANCISCUS BROUSSONET.

FRANCISCUS VIGAROUS.

HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

HENRICUS FOUQUET.

JOANNES-BAPTISTA-THIMOTHEUS BAUMES.

TENTAMEN
MEDICUM
DE CARDIALGIA.

INTER morbos œconomiam animalem perturbantes, haud minimi ſane eſt momenti cardialgiâ, quæ mentem æque ac corpus graviter afficit. Dolor vehemens in ſcrobiculo cordis, cum anxietatibus, & reſpiratione difficili hunc morbum denuntiant. Non eſt in corde dolor, ut multi illud exiſtimant, ſed in ventriculo magno ſenſibilitate prædito, & præcipuè in ipſius orificio. Etenim perſentitur dolor acutiſſimus in ea parte quæ cartilagini xiphoideo correſpondet. Dolor etiam deprehenditur in diaphragmate, in muſculis abdominalibus ſpaſtice contractis, & in dorſo ubi muſculus diaphragmatis minor adhæſionem ſuam nactus eſt.

Duo ſunt veræ cardialgiæ genera; flatuoſa

& ſpaſmodica. In primâ mirabili modo intumeſcit ventriculus, flatuſque & metus ex eo prorumpunt. Is morbus infantes præcipuè aggreditur. In poſteriori vero, ſeu ſpaſmodicâ tantâ vi contrahuntur fibrillæ ventriculi, ut in ſemetipſum contorquetur viſcus illud.

Signa diagnoſtica & proppropria flatuoſæ, ſunt ſpirandi difficultas, à flatibus in ventriculo detentis & functiones diaphragmatis lædentibus; metus frequentes, dolorent placant; ſed vel læviſſimo potu vel cibo aſſumpto renaſcitur.

In ſpaſmodicâ vero ſive convulſivâ, viget anxietas ingens, virium proſtratio, ſollicitudines, frigus atque tremor extremitatum, ſingultus, atque ſæpè vomitus. Ubi à veneno ingeſto graviora ſymptomata imminens periculum prænuntiant. Gravi capitis dolore torquetur æger, obſcuratur viſus, raro dormit, diris in convulſionibus & deliriis immergitur, difficillime ſpirat; frequentes ſunt cordis palpitationes, debilis durus atque intermittens eſt pulſus, urinæ demum & alvi ſuppreſſiones. Illa cuncta gravem comitant cardialgiam, addas etiam frigi ſudores circa entremas corporis partes.

Nihil mirum ſi tantas poſt ſe trahat ſtrages ventriculi affectio. Tantum etenim imperium hujus viſceris in reliquum corpus agnovit *Vanhelmont*, & hoc loco ſedem posuerit animæ ſenſitivæ & archæi, cui omnia fere tribuebat

in morbis, & morborum curationibus. Accuſatior vero anatome rectius nos edocet; pendent illa à mira connexione nervoſâ ventriculi cum cæteris partibus. Octavum par etenim nervorum per pectori viſcera longe lateque vagans pulmonibus, œſophago, mediaſtino, cordi, ventriculo hepati, ſpleni meſenterio dein ac renibus ramulos diſtribuit, ſolum plexus œſophageos & coronario-ſtomachicum, & cum nervo intercoſtali pulmonarium, cardiacum, hepaticum, ſplenicum, renales ac meſentericos, in quibus denique diſparet, conſtituit.

Quo gravior eſt cardialgiæ cauſa eo graviores ſunt dolores & ſymptomata graviora, & vice-verſâ.

Cauſæ præcipuæ ſunt diſpoſitio hyſterica, irritatio & frige factio ventriculi, cibi & medicamenta acria, vermes & ſaburra bilioſa in primis viis, ſuppreſſio evacuationum conſuetarum, diatheſes metaſtaticæ, magna vitia in hepate & ventriculo.

In hiſtius morbi therapeiâ, maxime attendendum eſt an morbus iſte originem ducat ex humoribus ſive ſalivâ circa ventriculum magnâ quantitate detentis, & bilem æruginoſam, corroſivam atque porraceam efficientes uti frequenter hypocondriacis, vina acida potantibus ſive fructus immaturos ædentibus evenit. Tunc abſorbentibus, ſive acrimoniam humorum mu-

tantibus utendum eſt, uti ſunt oculi cancrorum, aqua hordeacea ſucco amigdalino cum ſyrupo papaveris albi linito. Adhibenda tantum-modo venit phlebotomia quoties in ventriculo adeſt magna phlogosis vehemens dolor & febris; in cæteris circumſtantiis raro convenit. Parum conveniunt emetica atque purgantia; aſt quando iis utendum, imminuenda eſt eorum actio lænientibus atque ſedativis ut illud commendat *Lieutaud* in praxi medic. » Les vomitifs & » les purgatifs ſont ſans doute les remedes » les plus propres à enlever tout ce qui eſt » contenu dans l'eſtomac; mâis il n'eſt pas » toujours permis d'en uſer, & l'on eſt ſou- » vent obligé d'en émouſſer l'action par des » calmens «. Adhibenda ergo veniunt lænientia atque ſedativa, quemadmodum ſunt aqua confecta ex pullo gallinaceo, emulſiones, oleum amigdalinum, valerianæ, moſchus, camphora, &c.

Lænientia quoque & temperantia exterius appoſita verſus cartilaginem xiphoideum fauſtum ſæpe producunt effectum. Hæc autem omnia tanquam palliativa habenda ſunt.

FINIS.

TENTAMEN
MEDICUM
CIRCA
HYDROPEM ASCITEM,

QUOD tueri conabitur

AUCTOR,

THOMAS LAFARGUE, Vazatensis apud Aquitanos, liberalium artium Magister, et jamdudùm hujusce incliti Ludovicæi Alumnus.

Pro Baccalaureatûs gradu consequendo.

Non est in medico semper relevetur ut æger
Interdùm docta plus valet arte malum.
OVID. lib. I.

Deo,
Nationi,
Legi,
Regi.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis Univerſitariſque Medicinæ Typographum unicum.

Die quindecimo Januarii anno 1791.

AVUNCULO

SUO DILECTISSIMO

RICHARD,

DOCTORI MEDICO

UNIVERSITATIS MONSPELIENSIS,

NEC-NON

REGIÆ SOCIETATIS

MEDICINÆ PARISIENSIS SOCIO,

Prima hæc artis Medicinæ tentamina in innumerorum in se beneficiorum amorisque sinceri, infiniti, et perpetuæ gratitudinis, monumentum,

D. V. C.

Obsequentissimus gratissimusque nepos,

LAFARGUE.

Parva quidem fateor pro magnis munera reddi,
Primitias dedimus quas noster agellus habebat
Quales ex tenui rure venire solent.

TENTAMEN MEDICUM

CIRCA

HYDROPEM ASCITEM.

SUB hydropis vocabulo intelligenda venit collectio materiæ aquosæ præter naturam in quadam corporis parte. Illius morbi varia offeruntur genera quæ pro loco morboso nomen peculiare accipiunt: v. g., hydrothoracis, hydrocelis, hydrocephalis, etc. Ast hic de hydrope ascite tantùm quædam mihi exponere animus est. Ascites est tumor abdominalis spheroïdes libere fluctuans, ab humore in illius capacitate collecto, oriundus. Causæ à quibus derivatur, variæ sunt multiplicesque. Quantitas seri sive ex suppressione transpirationis originem ducens, sive elementum aquosum nimiâ quantitate in solidis

vigeat, hunc procreare valet. Illi hydropici evadere poſſunt qui potum nimium tepidæ calidæve aquæ ingurgitant, deindè et etiam viatores, messores qui se affatim, visceribus æstuantibus, aqua replent frigida. Illud autem vitium commune est quibus laxior solidorum compages, sanguis dissolutus : subsequitur quandoque morbos in longum protractos. Huic morbo obnoxii evadunt qui in paludosis aut in quolibet humido solo vitam degunt : pariter in ascitem maximè proclives fiunt qui duris viscidisque utuntur cibis, motum exercitationemque parvi faciunt, negligunt : nulla ætas nullusque sexus ab hoc morbo immunis, attamen feminæ naturalium suppressioni evacuationum magis obnoxiæ, præterea complexionis tenerioris, frequentius ab illo vexantur quam viri, præsertim si perventæ ad ætatem in qua parere desierint. Senes adhùc, huic magis quam juvenes propensi evadunt et denique bibacissimi, helluones (Sydenham) sæpiùs hoc morbo quam cæteri mortales conflictantur. Ducit etiam ortum à polypis in corde, vel in majoribus vasis, ab illorum anevrismatibus vasorum, et à pravo corporis habitu lumen vasorum arctante ; à jecore, à liene mesenterioque malè affectis sæpè derivatur ascites, à plethora pariter nascitur. Sanguinis depravata constitutio huic morbo originem dat. Sicut et variolæ, rubeolæ, puris resorptio : à materia quandoque rheumaticâ, arthriticâ, herpeticâ et scabiosa retropulsa : etiam à febribus intermittentibus, quartanis præcipuè, aut nimis diù tolleratis aut intempestivo

corticis peruviani usu suppressis, adstringentibus venenis frequens ascites oritur. Retentæ evacuationes aut nimis profluentes sæpè in hydropem finiuntur. Tandem affec.iones nervosæ moralesque illum producere queunt. Monro refert historiam feminæ hoc morbo tentatæ immediatè post dolorem nimium ex morte ipsius filii, obortum.

Causæ recensitæ occasionem tantùm hydropis genesi præstant; eam vero non esentialiter constituunt. Ac proindè vim indicantem non exercent, sed quid indicetur ipsæ prænuntiant. Causa hydropis quæ congruentem therapeïam indicat, est illa quæ proximè aquarum effusioni in textu celluloso vel in cavitatibus corporis ansam præbere valet. Hujusmodi effusionem promovet quidquid in vasis lymphaticis actionem absorbentem imminuit. Si enim plus generentur aquæ quàm vasis limphaticis exsugantur, earum colectionem et indè natam hydropem fieri necessum est. Jam vero multiplices sunt causæ vel humorales vel nervosæ quæ vim absorbentem vasorum lymphaticorum alterare, imminuere, suffocare possunt, quæ totidem novam expostulant curandi methodum.

Hujusce morbi existentia ex sequentibus ſignis deducitur. Adest tumor abdominalis sphericus, gravans qui è loco in locum facilè transit. Si hypochondrium dextrum, v. g., cum manu pulsetur dum sinistro altera manus applicetur, fluctuatio liquoris in abdomine contenti, persentitur. In morbi principio debilis, pallidus videtur æger atque languidus, leviori exercitatione anhelans fit;

præsertim adventante nocte, pedes cruraque intumescunt, manè verò sensim sensimque evanescit ædema. Deniquè morbo inveterascente, accedunt dyspnæa, urinæ parcæ, rubræ, fœtidæ, lixiviosæ, nullus sudor, perspiratio nulla, anxietas; alvus nonnunquam sicca, nonnunquam diarrhæica, etc. Liquor in abdomine contentus magis ac magis acredine ejus increscente, primo originem dat febriculæ lentæ, mox acutiori: siti intensissimæ: tussi molestæ: calori siccitatique cum morbo adaugentibus. Etiam illud tale serum cum sanguine sociatum, eresipelata iis similia quæ putridis in febribus videntur, procreare potest. Tunc orthopnæa ferè semper apparet ob aquæ copiam diaphragmati incumbentem, undè naturalis ejus motus sufflaminatur præcipuè dum æger decumbit, hanc ob causam stare ac sedere cogitur; ast quæcumque ejus sit positio, nulla gratiosa aut meliùs tolerabilis evadit.

Facilè ille morbus ab hydrope cistico distinguitur. Nam hic sensim incipit et lentè admodum incedit: venter æqualiter non tumet, circonscriptus apparet tumor cujus figura, in adverso corporis situ vix mutatur, in omni parte æquè sensibilis non est fluctuatio, verum quod contra evenit in ascite, et etiam pariter mutatur tumoris locus prout in hoc vel illud latus æger decumbat: præterea in cistico, ut in ascite (nisi ille cisticus hydrops valdè inveteratus evaserit) urinæ non sunt crassæ, lateritiæ et paucæ; haud scrotum apud homines, magna labia apud fe-

minas tument, nec partes superiores graciliores evadunt ac contabescunt, nec inferiores fiunt ædematosæ : tandem functiones naturales citius in ascite quam in hydrope saccato depravantur, undè quasi dicere est, in ascite adesse primario diathesim generalem hydropicam, in saccato vero dispositionem localem esse. Discrepat autem ascites à tympanitide in eo quod in isto venter percussus, tanquam tympanum sonum edit, idem parum fluctuat, sed leve murmur ac quendam veluti rugitum exhibet; si tumor prematur digito nullum impressionis remanet vastigium, nisi morbus iste cum anasarca sit sociatus, etc. Dissimilis se se offert ab ovarium hydrope quod in hoc tumor novus semper alterutri apparet lateri tantum morbido, et in ascite contrà, ut superiùs jam exploravimus, totum æqualiter distendit abdomen. Ab illo uteri facilè etiam dignoscetur quod in isto semper supprimuntur purgationes. Differt ab anasarca ceu leucophlegmatia ascites, quia illarum ædematosæ fiunt intumescentiæ, totum corpus convolventes ac telam occupantes cellularem, cutis color pallido-lividus apparet, urinæ magis naturales quoad quantitatem qualitatemque. A graviditate denique differt quod nulla présentiatur fluctuatio, cutis color ferè naturalis remaneat, quod mammæ tumescant, in ascite vero flaccescant; quod adhuc in in illo catamenia plerumque fluant; autem raró in graviditate.

Prognosis hujusce morbi debet differre pro illius causis plus minusve intensis, diuturnitate,

ætate, sexu, viribus, ægri temperamento. Major curationis affulget spes in adolescentibus quam in senibus qui sæpè sæpiùs huic morbo succumbunt. generatim quo magis subjectum ab ascite correptum, viribus naturæ fovetur, eo minùs timendum habet; hinc qui temperamentum habent firmum viresque integras, minùs iis temperamento debili donatis morboque diuturno exhaustis, periculosè ægrescunt. Si morbus à constitutione humida originem trahat, haud inveteratus sit exitum portendit faustum. Si cachexiæ sit sequela, curæ ast lentæ adest spes. Hydrops à cordis anevrismatibus aliorumve majorum vasorum pendens, insanabilis nobis videtur; etiamsi levari possit. sed recidivus fit morbus quod malum juxtà medicinæ parentem. Hydrops qui pro causa agnoscit viscerum obstructiones abdominalium, sæpè lethalis evadit; sic et etiam si pendeat ab humore purulento sanguine immixto, v. g., à pure cujusdam ulceris absorpto. Si vero proveniat ab humore peculiari voluto cum sanguine ut scabie, herpetibus, etc. bonum est. Malum si ex organorum siccitate sicut videre est apud senes, bibaces, etc. Hydrops ex suppressis evacuationibus enascens, curabilis. Spes jucunda adhùc elucebit ubi sana videntur viscera, respiratio haud difficilis, sitis moderata, tussis nulla, lingua vix sicca. Ast purpureæ aut lividæ cutis efflorescentiæ, sitis intensa, fœtor oris, febris lenta, urinæ cruentatæ pessima evadunt signa, et sæpè sæpiùs presso pede sequitur mors. Denique ubi ascites

cum anasarcâ, aliove morbo sociatus aut post purgationes adauctus, vel cedens medicinæ denuò revertitur, maximo et etiam donatur periculo.

Ut methodus curativa felices producat effectus tres indicationes generatim, adimplendæ veniunt, quarum prima spectat expulsionem aquarum in abdomine contentarum ; secunda expulsis aquis, emendationem et posteà sublationem causarum quæ easdem colligi egerunt : tertia tandem viscerum solidarum que partium debilitatis, sæpè ascitis causæ semper effectus, correctionem. Priori scopo omnia subveniunt evacuantia quæ sedulè considerantur in interna et externa. Ad interna pertinent hydragoga, emetica, diuretica, sudorifera, absorbentia. Inter externa valent vel discutientia, vel sensibiliter evacuantia.

In usu hydragogorum quæ ad ascitem debellandum valent, memorantur jalappium, iridis succus, elaterium, gummi gutta, crocus martis aliaque ejusmodi : vel alia minore virtute donata ut tamarindus, cassia, sirupus spinæ cervinæ à Sydenhamio laudatus. (Ille vir parca sed repetita dosi hydragoga prescribebat). Dari debent debili ægro cum stomachicis, hydragoga ; enim sola atoniam adaugendo noxia forent. Emetica quæ propinantur, sunt præsertim hypecacuanha, kermes minerale, tartarus emeticus, etc. Inter diuretica, recensentur potissimum quinque radices aperientes, mille pedes, vinum lixiviatum, terra foliata tartari, tandem cantarides sed fractissima dosi. Si illorum usus æquè certum posset sortiri effectum ac priorum, et ægro magis arrideret,

illimet catharticorum emeticorumque anteponendus foret. Sudorifera suo modo lento, minoris efficaciæ censenda sunt. Sola ad internum assumpta minori vigent virtute nisi externis juventur. Attamen si cum diureticis maritentur valdè prodesse queunt dummodo virium prostratio non stet. Absorbentia denique, juncta prius aromatibus et corroborantibus, deinceps victui sicco salino, sollicitæque potus abstinentiæ utilia evadunt, aut insensibiliter humores diflando, aut spongiæ instar absorbendo.

Non tantum usurpantur præsidia interna sed et etiam externa, inter quæ annumerantur discutientia quæ aquam collectam sine non nullâ aperturâ novâ, educunt; sivè id actum evadit per pororum cutis ampliationem, sive pellendo in vasa absorbentia: qualia sunt omnia tam actu, quam potentia calida, spirituosa: frictiones siccæ, aromaticæ: balneum siccum, sudatorium: calor solis, arenæ, furni, fumi animalium, etc. Lieutaud aliique medici plus fidunt sudoribus per medicamenta externa excitatis, quam per interna. Apud nosologiam Sauvagesi reperitur observatio meritissimi Professoris Domini Broussonet circa hydropem ex transpirationis suppressione ortum in quo pro illius curatione omnia alia remedia in vanum tentata fuere. Ille celeberrimus Professor vidit ægrum in tota corporis superficie ulcerosum qui postquam sudaverit copiosissime ob furni calorem, obstersa visa fuerunt ulcera et penitus convaluit.

Vero inter externa quæ aquam eliminant se

proferunt paracentesis, vesicatoria, fonticuli, setacea, in usu quorum summa adhibenda est prudentia ne ulceribus provocatis, suppeditatur gangræna. Datur tamen quædam hydropis species in qua paracentesis omnem curationis paginam adimplere valet, illa nempè quæ pendet ab aucta vi inhalante systematis limphatici. In hisce casibus generatur hydrops propter collectos vapores humidos quos ex atmosphæra trahant vasa absorbentia (HALLER).

Extractis aquis. evecti evadunt effectus morbi non semper causæ quas evellere ostendit secunda indicatio. Non hunc eodem modo attingemus scopum, ast benè pro diversitate causarum quæ morbum generant; igitur interdum id perfici potest per emetica, purgantia, interdum adstringentia, interdum corroborantia, nonnumquam stimulantia.

Viribus languentibus solidarum partium, evectis aquis, ablatis causis, subveniendum est. Tunc ad eas restaurandas eximii præsidii remanet vinum medicatum ex aromaticis; roborantibus, adstringentibus. Primum tenet gradum illud paratum ex cinnamomo, cortice cascarillo, peruviano, marte, etc.; etiam et potissimum regimen rerum non naturalium. Sedulò animadvertendum est nùm debilitas sit causa collectiouis aquarum, nùm verò sit tantùm ipsius adjuncta comes. In primo casu de viribus refocillandis præcipuè curandum est; in secundo de evacuandis aquis. Semper enim contrà primariam et essentialem morbi causam congruis auxiliis est eundum.

Hucusque de therapeia generali egimus ; occurrunt tamen casus in quibus peculiaris adhibenda est. Sic v. g. si à sero absorpto proveniat effusio, sivè ob illius nimiam quantitatem, sivè ex suppressa transpiratione, hydrops curationem vult peculiarem prout absorptio celera aut lenta fuit. Si celera, diluentium usus et diureticorum frigidorum ; serum lactis nitratum, mineralia acida, præsertim spiritus nitri adhibentur ; et etiam ad promovendam transpirationem, balnea tepida, sudorifera, frictiones. Si vero lenta evacuari debet serositas purgantibus sat activis ut sennâ, jalappio, agarico, rheo : si illorum usus protrahatur, cum tonicis misceantur. Diuretica calida v. g. salia genistæ, absinthi ; cardus benedictus, baccæ juniperi utilitate vigent, idem dicendum est de aquis mineralibus de Plombiers, de Bourbon-Lanci, ect. Si à fibra laxa pendeat iste morbus, tùnc primis viis turgentibus, emetica ex hipecacuanha præsertim desumpta, prescribi debent, posteà purgantia leviter tonica, tandem aperientia per quoddam tempus. Post evacuationem primarum viarum, accipienda veniunt tonica ut vinum generosum, alimenta bona et sicca, et etiam stomachica amara sicuti rheum, cortex peruvianus, radix gentiana, myrrha : attendamus ut parum bibat æger (1). Quædam leguntur apud RIVERIUM aliosque autores exempla ægrotantium qui ad sanitatem redierunt prò potûs abstinentia. Æqui-

(1) Potio non ultra danda quam ut vitam sustineat ; optimaque est quæ urinam movet, Cels. lib. 3, cap. 21.

tatio relativè ad vires ægri et etiam deambulatio utiles evadunt. Magno cum successu adhibentur cum pannis frictiones, poros aperiunt, transpirationem adaugent multumque sublevant ægrum. Unctiones oleosæ aliquoties prodesse queunt. Quando a plethora ortus fuit hydrops, phlebotomia mirabiles multis in casibus obtulit effectus. In ascite sequelâ obstructionum abdominalium, purgantia activa per quoddam temporis spatium, præscribenda sunt : viscerum ædema minuunt, ut elaterium, gummi gutta, succus iridis : SYDENHAMIUS propinabat infusionem croci metallorum à dosi semiunciæ usque ad duas. Si hæc remedia non succedant, confugiendum est ad aquas ferruginosas præsertim vitriolisatas. In hydrope ex resorptione puris cujusdam ulceris, cauteria ; depurantia v. g. borraginis, fumariæ succus : ex herpetibus, scabie (2) attenuandus est humor qui cum sanguine circuit, cutis relaxanda, organorum secretoriorum activitas augenda, balnea tepida, serum lactis aperiens cerefolio, fumariâ ; cauteria, vesicantia ut profluat humor, maxima utilitate vigent. Preparationes antimoniales, sulfurosæ optimè conducunt, sicut et etiam ptisana ex lignis sudoriferis præsertim ex gayaco. Ex suppressa sanguinis evacuatione naturali, revocandus est fluxus : ad hoc in principio morbi

---

(2) Innumera se se obtulerunt exempla in quibus multi hydrope orto à scabie retropulsâ, laborantes qui, frustrà aliis tentatis auxiliis, tantùm assumptis scabiorum tunicis, in sanitatem fuere reducti : nàm evanuit hydrops statimut scabies pullulaverit.

sanguinis missio, hyrudinum applicatio periodica locis convenientibus tum in feminis tum in viris, balnea, serum lactis conducunt; posteà aperientia magis activa ut sal genistæ, tartarus chalibiatus præsertim preparationes ferruginosæ et tandem emmenagoga vim habentia ut matricaria, aristolochia rotunda, absintium, aloe. Si ex affectione nervosa pendeat, diluentia frigida, balnea tepida, emulsiones, narcotica etiam sed parca manu plerumque valent: in pari circonstantia plures ægri à solo lacte nutriti, in sanitatem redierunt.

Si remedia supra recensita nihil profuerint, ad paracentesim deveniendum est. Hic mihi sufficiat operationem indicare: illius descriptio legitur apud autores chirurgiæ nonnullos, Dionis, Ledran, ect. Scarificationes, vesicantia, cauteria utilia evadere queunt; ast tutior paracentesis prevalet. Attamen adsunt circonstantiæ in quibus institui nequit ut in ultimo morbi stadio quià tùnc ob acrimoniam aquarum, statumque viscerum pessimum, præcipiti cursu sequeretur mors.

Causa morbi superata, ne iterum revertatur cavendum est. Hunc scopum attinget medicus mediis jam in ultimo paragrapho therapeiæ generalis assignatis.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

D. D. PROFESSORES REGII,

PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Regis in Sacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

GASPARDUS-JOANNES RENE', *Decanus.*

ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

FRANCISCUS BROUSSONET.

FRANCISCUS VIGAROUS.

HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

HENRICUS FOUQUET.

TENTAMEN MEDICUM

DE

PLEUROPNEUMONIA INFLAMMATORIA,

QUOD, divinâ aſpirante gratiâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo medico Monſpelienſi, argumentantibus ILLUSTRISSIMIS PROFESSORIBUS REGIIS D. D. P. J. BARTHEZ, Univerſitatis Cancellario; G. RENÉ, Decano; A. GOUAN, Pro-Decano; F. BROUSSONET; F. VIGAROUS; H. L. BRUN; H. FOUQUET; ad primam appollinarem lauream conſequendam, publicis ſubjiciebat diſputationibus, AUCTOR RAIMONDUS ARDUSSET, Vazatenſis, in novâ partitione dictâ *Département de la Gironde*, olim apud Aquitanos; in almâ Burdigalenſi Facultate liberalibus in artibus jam laureatus, celebris hujuſdem urbis Muſei ſocius, nec-non in hâc-ce ſaluberrimâ Univerſitate medicâ jam-dudum Alumnus, pro trimeſtri januarii anni 1791.

MONSPELII,

EX TYPIS JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI,

Quicumque artem medicam integrè adſequi velit, primùm quidem temporum anni rationem habere debet, deindè ventorum. Hipp. *de aër. loc. & aq.*

AVUNCULO. SUO. CARISSIMO.

ET. COLENDISSIMO.

AMICO. INTEGERRIMO.

ANDREÆ. FUMAT.

PRIMUM. È. MUNICIPALIBUS. VIRIS.

NUNC. ADMINISTRATORI. APUD.

VAZATENSES. DIGNISSIMO.

Tuum ergà me, Cariſſime Avuncule, memori animo recolens amorem, primum juvenilis calami, in arte medicâ conamen, lubenter ad te defero. Mihi enim non ſatisfeciſſe putarem, ſi tempus illud quod mihi nunc ſuboritur votis meis accomodatiſſimum, prætermitterem, abſque publico ergà te monumento. Ah! quàm doleo, me modo digniori non poſſe juſtiſſimas promere teſtificationes! Verum quale eſt ſcriptum conſecratumque tentamen, tanquam publicum meæ ergà te gratitudinis teſtimo-

nium, benigno accipias lumine, te obteſtor. Felix ego, ſi id à te obtineam! Felicior, ſi me etiàm ſemper amicum habeas illo ſtudio. quo me hactenùs tàm liberaliter es proſecutus! Quod mihi erit reliquum, pro tot tantiſque, ſitienter appeto, ut per longam adhuc annorum ſeriem quam clementiſſimè ſpiritu fruaris. Vive itaque felix! Vive ſoſpites incolumeſque dies! Quo animo ergà te, nunquam non perſeverabit,

Addictiſſimus & reverendiſſimus ſororis filius.

RAIMONDUS ARDUSSET.

NATIONI,
LEGI,
REGI.

TENTAMEN MEDICUM

DE

PLEUROPNEUMONIA INFLAMMATORIA.

TOT interque tantas ac propè infinitas morboſorum affectuum copias, quæ hominum ſanitati quotidianas ſtruunt inſidias, nullæ frequentiùs occurrunt, quàm inflammationes genuinæ, queis pectus obſeſſum tenetur, queiſque modo tàm præcipiti luctuoſa parantur funera. Haſce morboſas affectiones tironis viribus accommodatiores, utpotè omnibus cognitas, nec-non à clar. viris de re medicâ optimè meritis perſpicuè delineatas, pro tentamine prodeunte in lucem, evolvere mihi eſt animus. Aſt rerum concatenatio & horum elucidatio, quæ ad theoriam & curationem referuntur, tot in medium duxere lites, ut ſæpè ſæpiùs incœptum illud titu-

bantes terruerit vires ingenii, quod nec tractationum conſuetudo, nec, quâ opus eſt, eruditio ornant. Verùm eximiis Auctorum obſervatis innixus, ſicuti & lectionibus hac in ſcholâ quotannis luculenter explanatis, incipiam. Intereà tamen, ſi illuſt. Prof. ſpecimen illud quod rudi tremulentâque manu ſum aſſecutus, haud benè expoſitum judicetis, ſi quid inter legendum vobis occurrerit minùs benè conditum, ſanæque Medicinæ minùs conſonum, mihi mearumque virium tenuitati, ignoſcatis, vos enixè rogo.

Diù multùmque fuit diſputatum, de inſtituendâ pleuritidis ac peripneumoniæ differentiâ. Alii *Hipp. Riviere*, *Van-Swieten*, *Lieutaud*, *Selle*, experientiâ duce teſtantur, binos illos affectus planè eſſe diverſos, diverſamque ſedem, pulmonem nempè & pleuram occupare, ita ut ſola pleura ſæpiſſimè inflammatione afficiatur, illæſo pulmone, aut ſaltem ita leviter affecto, ut morbus illius partis dici nequeat. Undè fit pleuritis, cùm pleura, & peripneumonia, cùm pulmo inflammatione laborat. Alii, *Servius*, *Sydenham*, *Hoffmann*, *Macbride*, *Triller*, *Cullen*, *Tiſſot* contendunt, ſuamque ſententiam auctoritate, ratione & experientia confirmant, in omni pleuritide ferè ſemper pulmonem cum pleurâ inflammari, & vice verſâ, fluxione in utramque partem facilè decumbente. Quidquid ſit de variis illis opinionibus, quid immoraremur? Lubenter enim poſſumus fateri, pleuram, illæſis pul-

monibus, pulmones, illæsâ pleurâ, pulmoneſque ſimul cum pleurâ, inflammatione poſſe laborare. Aſt cum ſymptomatibus cuilibet affectui propriis morbi ſedem difficillimum ſit diſtinguere, cùm & inſupèr, noto jam mali fomite, nullum ferè ſit ac eſſentiale diſcrimen in ratione medendi; cùm tandem laborante pleurâ, pulmones facilè in conſenſum trahantur, & vice versâ, affectis pulmonibus, morbus ad pleuram uſque protendatur, quid nobis erit impedimento, quin, illa, aliave pars inflammetur, ad *pleuropneumoniæ* denominationem deſcendamus ?

Pleuropneumoniam veram ſeu inflammatoriam ſævire teſtantur omnes, quotiès pectus laborat dolore lateris modò acuto, pungitivove, modò obtuſo, gravativo, ad inſpirationem adaucto, agminatìm ſtipantibus thoracis oppreſſione, tuſſi nunc ſiccâ, nunc humidâ, faciei rubore, acutâ febre, pulſu modò celeri, duro, tactumque ſerranti, modò parvo, molli. Quæ omnia, morbo furente, furunt.

Quibus ſignis pleuropneumonia præſens cognoſci poſſit, vidimus. Sequitur jam, ut de variis ipſiuſmet ſpeciebus, pauca dicantur. Humidam enim & ſiccam, veram & ſpuriam, ſymptomaticam & idiopaticam hanc affectionem dixerunt Auctores. Ubi ergò ab initio morbi ſputa per tuſſim educuntur, qualiacumque demùm hæc fuerint, dicitur *humida*. Si verò nihil, vel per exiguum expuitur, non ſolùm in morbi principio, ſed etiam

in ipſius progreſſu, ita ut ſicca, inaniſve tuſſis ægros vexet, *ſicca* vocatur. Ubi verò, membana ipſa coſtas internè ſuccingens, ſimulque pulmonum ſubſtantia inflammatione afficiuntur, *vera* nuncupatur: è contrariò, cùm ſuperiores his partes, integumentiſque externis magis vicinæ vexantur, *ſpuria* appellatur. Quandò à materie prægreſſi morbi in corpore ſtabulante, ſuboritur, *ſymptomatica*; hinc bilioſæ, gaſtricæ, rheumaticæ, catharrales & aliæ catervatim enaſcuntur, quæ omnes longè diſcrepantes, pro circumſtantiis conſtituunt morbos varios, variamque proindè ſibi vindicant medelam, ut optimè nos docent *Sauvages*, *Huxham*, *Stoll* & *Vigarous*, Practicus feliciſſimus, Univerſitatiſque Profeſſor clariſſimus. Quandò morbi cauſa, à primo ipſius morbi exordio, in locis intercoſtalibus hæſit, non verò in aliâ corporis parte priùs nata, dein relictâ priori ſede, has partes occupavit, tunc eſt *idiopatica*, ſeu primaria affectio. *Van-Swieten.* De hac tantùm ultimâ ſum dicturus, tùm ob paginarum anguſtiam, tùm quod frequentiſſimè per agros bacchatur & urbes.

Nunc de cauſis agendum eſt. Huc referuntur omnia quæcumque valent anſam præbere inflammationi tùm pleuræ tùm pulmonum; quæque omnia eò acriùs aſſurgere notum eſt, quod diatheſis inflammatoria in ſanguine jam ſit ſtabulans. Dudùm ab *Hipp.* fuit annotatum: *frigidum ventum*, *ſiccum dolores coſtarum & pectoris excitare*, aph. 5, lib. 3.

Et alio in loco : *tempore hiemali & vernali* (ubi hæc viget tempeſtas) *pleuritides ac peripneumonias maximè fieri*, & *quidèm vehementiſſimas*. Verum illud & conſtans illius parentis Medicinæ ſucceſſores ſuis obſervatis comprobavere, quòd iis, qui acri rigente gelu, flanteque boreâ, excalefacto corpori *frigidam* ingerunt, pleuritico morbo pectus inflammatur. Hinc tot bajuli, venatores, ruſtici, milites, curſores, aurigæ, equiſones, operarii, idque omne genus hominum lethales pœnas luunt, quod à valido labore incalentes, nudo ferè corpore quieſcant, gratamque auram frigidiuſculam ſitienter captent. *Van-Swieten*, *Triller*, *Tiſſot*. Hinc plures ab eâdem causâ homines è vivis ad Acheronta ruunt, quàm peſte, fame, bello. *Sydenham*. Non minùs luctuoſa perpatiuntur funera à potu videlicèt perfrigido, cum eo ſe proluunt, ſudore multo dimanantes, atque ex itinere, vel foci calore, vel exercitatione quâlibet excalentes. Innumera apud Practicos occurrunt, quæ hæc confirmant. Nunquàm, inquit *Van-Swieten* : pleuritides ac peripneumonias magis ſævas, & citiùs lethales vidi, quàm à potu gelido affatìm hauſto. Juvenis, pilæ luſu dùm excaleſceret totus, hauſtis hauſtu repetito gelidiſſimis aquis, intrà trihorium lugendâ purpuream animam efflavit pleuritide. « Cette maladie (l'inflammation » de poitrine) eſt fréquemment produite par la » boiſſon froide, quand on a chaud ; & alors elle » eſt quelquefois ſi violente, qu'on l'a vue tuer

» le malade en trois heures ; un jeune homme » mourut au pied de la fontaine même où il s'étoit » déſaltéré., *Tiſſot* » Memorabile eſt exemplum apud clar. *Boërhaave*, de juvene qui potu gelido ore propinato è ſuperis ſubitâ ferè nece fuerat peremptus. Sexcenta adhuc ſtant alia, quibus diræ enaſcuntur thoracis affectiones. Etenim anni tempeſtas, epidemia regnans, ſuppreſſio evacuationum, retroceſſio humorum ad cutem prorepentium, motus immodici, ſaltus nimii, veneris abuſus, animi pathemata, protractæ vigiliæ, & deniquè quæcumque ſanguinis velocitatem, fibrarumque tenſionem adaugere valent, inter millena, annumeranda veniunt, quæ facilem ſemitam pandunt lupo mox ovili ſævituro. Pro causâ verò pejore morborum lateris habuerunt Auctores, copioſam vini ingurgitationem, ac præprimis ſpirituum fermentatorum abuſum. Equidèm exclamat *Triller*: frequentiſſimas & acerrimas perpatiuntur pectoris affectiones, qui potui ſpirituoſiori, præſertim vini ſpiritui, plùs juſtò per vitam indulgent. « Les miſérables, dit *Tiſſot*, qui ſe livrent à l'ivrognerie » & à la boiſſon des liqueurs ſpiritueuſes ſont ſujets » à de fréquentes inflammations de poitrine, qui » ſouvent les emportent à la fleur de l'âge. »

Obſervationibus variis variorum haud infimi ſubſellii auctorum edocemur, non omnem ætatem diris mulctari pectoris inflammationibus. Monuit enim *Hipp. pleuritidem ac peripneumoniam non fieri*.

antè pubertatem. (*Coac. prænot.*) Interim tamen quandòque licet rariùs, & junioribus hic morbus contigit, aſſentientibus *Van-Swieten*, *Fouquet*, Lycæi, Prof. illuſt. Ob eamdem rationem, robuſtiſſimos præ debilibus, exercitatiſſimos præ otioſis, macilentos & ſanguineos præ obeſis & pituitoſis, viros præ ſequiori ſexu, juvenes præ ſenibus, adoleſcentes præ junioribus pleuritidi ac peripneumoniæ obnoxios vivere obſervavere *Sydenham*, *Van-Swieten*, *Stoll*, & præſertim *Triller*, ut videre eſt in eruditiſſimo ſimul atque utiliſſimo tractatu, quem de *pleuritide* conſcripſit; & reverà in his rigida vaſa, robuſta, contracta, humoreſque denſi, acriores & celeriùs moti; in iſtis verò, ſolidorum laxior compages, humoriſque pituitoſi in fluidis prædominium obſervantur.

His ità perpenſis, hariolari certò poterit medicus, ægrum pleuropneumoniâ verâ laborare, ſi abſque multis prægreſſis prodromis, ſubitò morbus ingruat, frigore valido cum anxietate, angore, per aliquot horas perdurante, tragædiam ordiens. Frigus ſubſquitur calor horripilatione recurrente nonnumquàm intermixtus. Apparent intereà dyſpnea, doloroſa ſenſatio tùm uniùs, tùm alteriùs lateris, oppreſſio pectoris, in dorſum decumbendi neceſſitas, tuſſis nùnc ſicca, nùnc humida, & plerumque ſtriis ſanguineis immixta, facies rubra, quandòque flavo-rubra, oculorum emicatio, lingua alba, ſicca, oris, labiorum, totiûſque habitûs cutis ſiccitas,

ariditas, halitûs calor, ſitis, cephalalgia, urinæ parcæ & flammeæ, alvus nulla, aut rara & reſiccata. Pleurâ magis quàm pulmo inflammatione laborante, dolor lateris acutus, pungitivus, fixus ut plurimùm & circumſcriptus, licet ad ſcapulas quandòque protendatur. Pulſus celer, durus, ſerrans, parvus haud rarô per oppreſſionem; lentus verò & mollis, ſi pulmo magis inflammatione mulctetur. Febris uno tenore pergens, cum levi ut plurimùm ad veſperam intenſione, abſque intermixtis horripilationibus. Talia hæc ſunt, quæ ſub irritationis tempore inhorreſcunt, quæque ſubindè ſilente, ſilent, aut ſeditioſiùs exacerbantur, acriùs inſurgente clade.

Aſt verò, licet hæc omnia ſymptomata ad veram ſeù phlogiſticam pleuropneumoniam pertineant, nihilominùs quandòque medicus in hoſtem mox pugnaturus, diù multùm hærens ac ſuſpenſus tenetur, ſollicitè ſecùm diſputans, nùm morbus ſit billioſus, an inflammatorius; non enim, obſervat clar. *Stoll*, ea ſemper morborum pectoris ratio eſt, ut non multa inter ſe communia habeant, nec alter alteriùs perſæpè ſpeciem præ ſe ferat. His in anguſtiis, quid erit medentium, inferiùs, in curatione ſcilicet in medium ſum prolaturus.

Intereà ut ſecura pleuropneumoniæ genuinæ diagnoſis inſtituatur, ſequentia ſimul erunt perpendenda: ſcilicet aëris conſtitutio; epidemia regnans; ſigna ſuperiùs dicta; præcedens ſtatus valetudinis; nonnullaque alia apud auctorem jam citatum jucundè delineata.

Pleuropneumoniam genuinam, ut jàm dictum, morbos inter accutiſſimè furentes uno ore recenſent auctores. Stadia enim varia percurrens, tertio, quinto, ſeptimo, aut nono die, nonnunquam, vel in mortem, vel in ſalutem terminari obſervatur. Aſt prognoſim quàm ſit difficillimùm ſtabilire! Undè exclamat *Baglivi : ô quantùm difficile de morbis pulmonum certum dare præſagium!* Dantur tamen ſigna quædam, queis vel ſalutis ſpem, vel ultima poſſumus ominari. Igitur, ſi jam adhibitâ medicatione tempeſtivâ, dolor lateris, oppreſſio, dyſpnea, tuſſis minùs ægrum moleſtant, remiſſiorem morbum ſignificant. Si è contrariò dolor ſit vehementior, anhelitûs major difficultas, tuſſis ſiccior, itemque febris, cujus hæc omnia ſunt ſatellitia, acerrimè ſæviat, periculoſum tunc morbum opportet exiſtimare. *Riviere med. pract.* Reſpirationem quàm maximè in his affectibus pulmonum obſervandam eſſe volunt quam plurimi in arte viri clariſſimi. Docet enim *Baglivi*; illam præcipuè, ac ferè unicè in morbis pectoris perſcrutandam. Hæc ſi, prava fuerit, aït *Stoll* : Timè ſemper, etſi omnia reliqua eventus exoptatos portendant. « La difficulté de » reſpirer indique ſur-tout le danger. Si le ma» lade ne peut reſpirer avec une certaine facilité; » que quand le tronc eſt élevé, ſi, dans cette poſi» tion même, la reſpiration eſt très-difficile, on » peut aſſurer que le danger eſt éminent. » *Cullen*, *trad. par Boſq.*

Morbi cauſam minui, felicemque inſtare reſolutionem novimus, ſi cum ſputo ſat magnâ copiâ excreto, flavo, cum pauco ſanguine mixto, ſatque liberè intrà tertium diem prodeunte, minuantur dolores manifeſtumque levamen ægri percipiant. Apud *Hipp.* etenim legitur : *omnia ſputa mala eſſe quæ dolorem, non ſedant*; *omnium vero optima eſſe illa, quæ dolorem ſedant. prog. aph.* 51. Verùm videtur & contingere cauſam morbi materialem, loco motam, per aperta vaſa, quibuſdam in locis corporis, laudabili cum ægri levamine, viam invenire. Perſcrutante enim manu verſatis practicorum operibus obſervare datur, in morbis acutis inflammatoriis, utì & in pleuropneumoniâ materiæ morboſæ perturbationes quandòque poſſe fieri per ſudores, urinas, alvum, hæmorrhagias ſalutari cum levamine malorum. Sic optimè *Triller* annotat : plerùmque ſervari pleuriticos beneficio naturæ, neglectâ etiàm ſanguinis miſſione, ſi intrà primum & quintum diem, ſanguis purpureus & floridus affatìm de naribus profluat ; dùm plerùmque è ſuperis abeunt ægrotantes, nigro, fœtido affluente ſanguinis effluvio. Adſtipulatur etiàm clar. *Tiſſot* monens : « il ſurvient quelquefois des ſaignemens » de nez, même après pluſieurs ſaignées, qui ſont » très-favorables, & qui ſoulagent ordinairement » beaucoup plus que les ſaignées ; mais il en » ſurvient quelquefois d'une eſpèce de ſang noir » & corrompu, qui annoncent la mort. » Sic apud

clariſſimum *Macbride* legere datur : « une ſueur » douce, copieuſe, générale, accompagnée de la » diminution des ſymptômes fébriles, & qui arrive » dès les premiers jours de la maladie, en arrête » quelquefois la marche. » Sic illuſt. *Stoll* ſe quandòque obſervaſſe teſtatur, apparatu crudo in inteſtinis ſtabulante, diarrhæam lenem ac moderatam, vehementiori illo paroxyſmo, quò pleuritis plerùmque orditur, emotam, ad alvum ruiſſe, molimine naturæ perquàm ſalutari. Aſt verò, hæc levis diarrhæa non hic confundenda venit, cum illâ alvi perturbatione perniciem ægri jugulo intentante, in quâ anacatharſi ſuppreſsâ, viribuſque morbo humi proſtratis, retentrix facultas ventriculi ac inteſtinorum ferè anihilatur : his enim vocabulis talem per alvum factam evacuationem damnavit *Hipp. pleuritide aut peripneumoniâ correpto alvi profluvium malum*, *aph.* 2, *ſect.* 7. Nonnulla ſunt adhùc hoſtilis materiæ è loco motiones, quæ modò cum infelici, modò cum proſpero eventu enaſcuntur; eventus autem bonus creditur illius metaſtaſis, ſi ad talem corporis fiat partem, cui minori cum periculo poteſt inhærere. Sic ab interioribus ad exteriora, bonum; à pectore verò ad cerebrum, malum; celeri enim pede ſubſequuntur ſyncopes, delirium, phrenitis, & nonnunquàm intrà paucas dies, imò & horas, mors. Cæteroquin, ubi humerum, ſcapulas, dorſum dolor occupat, læta eſt prognoſis; omneſque ferè ſani ad ſuos redeunt, ut

ſuis confirmant obſervatis *Van-Swieten* , *Triller* (1). Quoàd pulſum , *Stoll* , *Fouquet* , *Selle* , *Tiſſot* parvum , mollem & debilem voluere periculoſiſſimum. Parvum verò frequentem & durum affirmant lethalem *Lomnius* & *Galenus. De pulſu* , *lib.* 5.

Tandèm ut omnia , quæ tùm bonam , tùm malam prognoſim adimplent , per paucis complectar, quid ſequentia ex *Hippocrate* collecta , in medium proferre vetat ? *Sunt autèm hæc bona , morbum ipſum facilè ferre , ex facili ſpirare , dolorem ſedatum eſſe , facilè ſputum extuſſire , corpus æqualitèr molle & calidum apparere , ſitim non habere , urinas , dejectiones , ſomnos & ſudores , ſingula bona ſuccedere : hæc ſi contigerint , non morietur homo.* È contrariò : *quibus pleuriticis ſtrepitus ſputi in pectore eſt , pulſus exilis , dyſpnœa erecta , delirium , facies triſtis , oculus morbi regii colore infectus , ac caligine obductus , hi pereunt. C. præn.*

His omnibus æquâ lance perpenſis , medico ad hoſtem extrà muros expellendum ſeſe accingenti, incumbendum venit , ut humorum circulantium copiam , impetumque furentem eorumdem in loca

(1) Diebus decembris ultimi , in noſocomio hujuſce urbis , gallicè *Saint-Eloy* dicto , plurimos inter ægros pectoris morbo inflammatorio laborantes, militem egomet vidi pleuritide verâ læſum , cui ſexto morbi die , dùm metaſtaſis , relictâ priori ſede , ad ſcapulas aderat , omnia ſubindè bona contigerunt. Non paucis exactis diebus , ſolitâ medicatione factâ , ſuos ſanus repetiit.

inflammata, quantociùs minuat : per amplum ergò vulnus, largam venæ-ſectionem quàm citiſſimè celebrari jubeat, iterandam poſt aliquot horas, ſi res poſtulat, manu tamen in genere parciori. Quamvis autem ſanguinis miſſio in morbi principio præprimis conferat, tamen quandòque adultiori jam morbo, ſcilicet ſub quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, nonoque die, ſi in exordio fuerit neglecta, aut inſufficienter celebrata, cum fructû ſanguinem de venis miſſum fuiſſe conſtat; notabile eſt exemplum apud *Hipp.* qui *Anaxioni* ſecuit venam octavâ morbi die, vel quòd citiùs non fuerit vocatus, vel quòd in pleuritide crudiſſimâ, quæ undecimo die vix coqui cœpit, morbus tulit inducias. Haud minori fortunato cum eventu *Hipp.* veſtigia legentes nonnull auctores *Van-Swieten*, *Triller*, *Tiſſot*, &c. Ineunte etiam die nono, peſſima dùm ſymptomata, metùſque ſuffocationis ingruunt, evacuato ſyſtemate ſanguifero, ad vitam quandòque revocant ægros eluctantes inter mille mortis propinquæ imagines.

In morbis inflammatoriis pleriſque, ſanguis è venâ eductus obtegitur in parte ſuperiori inſulæ pelle craſſâ, albâ, tenaci. Hæc pellis *phlogiſtica cruſta* nuncupatur. Quamdiù illa cruſta albicans in ſanguine profuſo conſpicitur, tamdiù ſtatuere medentes quamplurimi venam ſecandam eſſe. Quàm autem infida ſit illa indicatio! quàm ſola cruoris inſpectio ad therapeiam parùm conferat! equidem; in laterali

morbo biliofo rheumatico cruſta apparet craſſior uplurimùm, & major ita ut parum, aut nil fermè nonnumquam craſſamenti adparuerit. *Stoll* ; « Il » arrive ſouvent, diſent *Macbride* & *Tiſſot*, » que dans l'inflammation de poitrine la plus vio» lente, cette croûte ne ſe forme jamais. » Certa ſide hunc *corium phlogiſticum* obſervaſſe teſtantur *Van-ſwieten*, *Barthez*, Univerſiratis Cancellarius illuſtr. tùm in pleuriticis, tùm in ſaniſſimis hominibus, quibus ob cauſam quam appellabant *prophylacticàm*, vena ſecabatur. Sic ergò, ut latex purpureus pleno effluat rivo, non tantummodò ab illâ pleuriticâ cruſtâ medicus ſe gerat, ſéd potiùs à concurſu variorum ſymptomatum, ſcilicet à doloris & febris intenſitate, ſtatu virium, calore arido, tuſſi ſiccâ, ſputorum coctorum abſeutiâ, pulſu dùro, difficultate reſpirandi, quæ quamdiù vigent, tamdiù viget ſolvendi, emolliendi, & maſſam ſanguineam minuendi indicatio. Aſt autem, fractâ jam phlogoſeos intenſitate, ſolutove morbi, impete primo, ſi natura per ſputa criſim incipiat moliri, venæ-ſectionibus valedicendum, ni ſigna refervefcentis adhùc inflammationis, ut febris fortior, reſpiratio moleſtior, ſanguine nimis tincta excreta materia, &c. hoſpitantem adhùc in pectore indicent inflammationem, & iterùm jubéant ferro debellare. Quinimò etiamſi phlebotomia in morbi exordio præſtantiſſimum ſit auxilium, vitalis tamen laticis prodigus non adeò pebet eſſe medicus, ut in illo effundendo diutiùs.

d

quàm par eſt, immoretur. Incaſſum enim hiſce largis ſanguineis evacuationibus, fractis jam ægrorum viribus potiùs, quàm morbo, hoſtilem materiam in coctïonem reſolvere conaretur; & reverà, vis vitæ nimìs dejecta, muneri fungendo impar, priùs oneri ſuccumbet, quàm opus ſuum aggrediatur. Vitali igitur profundendo latici non fuſiùs indulgendum. Talis enim *ſanguinaria* medicatio, virium accerſens ruinam, febrile incendium alit, & ut aït poeta :

Multas præſtantes animas acherontis ad oras
Præcipites dedit ante diem.
Hom. Iliad.

Hinc ſanguini parcendum, & ſimul ſunt præſcribenda quæ orgaſmum ſanguinis compeſcant, ut larga potuum refrigerantium copia, emulſiones nitratæ, vapores aceti puri, ſuccus aurantiorum acidulus, decocta hordei, avenæ, cum oxymelle, vel melle ſimplici aut ſambuco, quæ calidè crebrò, ſed parvâ copiâ hauſta humoris ardorem, ebullitionem cohibent, & omnibus ſimul favent ſecretionibus. Sic enim *Huxham* de hiſce hauſtibus : « Toutes ces potions ſatisfont parfaitement à l'indi- » cation, étant bues chaudes & à pluſieurs repriſes : » par ce moyen une grande partie de la vapeur reſo- » lutive de ces liqueurs rafraîchiſſantes & humec- » tantes, paſſe dans les poumons & dans leurs » vaiſſeaux, délaie & humecte la matière qui les » obſtrue. » Enemata hìc pariter conveniunt,

quæ dùm liberam alvum ſervant, cavent-ne conſtipatione calor adaugeatur, cephalalgiam, abdominis dolores leniunt, derivationem que humorum è pectore cient. Haud minori cum effectu hìc quoque pediluvia poſſunt adhiberi.

Primariâ medicatione jam adhibitâ, cùm materies aliena mobilis effecta, ob lentorem, aut vim vitæ nimis dejectam ſputando educi nequit, pulmoneſque ſub pondere gravat, convenit medicamento movente, attenuante, ſtimulante viribus vitæ debilitatis ſuppetitas ferre, ut ſecretiones & excretiones quæ ob morbi vehementiam, diuturnitatem, prægreſſaſve largas, ſanguineas evacuationes languent, admoto pectorantium ſtimulo reſuſcitentur. Hunc in ſcopum medicamina è tartaro ſtibiato, oxymelle ſcillitico, kermete minerali, aliaque hujuſmodi adhibeantur, illâ tamen doſi, ut nec vomitum, nec alvum movere queant. Quinimò in exhibendo kermete minerali, itemque propinandis quibuſcumque expectorantibus ex claſſe mineralium, non prænaturè agendum cenſet eruditiſſimus *Stoll.* Rebus enim jam in vado propè modùm poſitis, medicamen expectorans maturiùs ac par eſt exhibitum, novos febriles motus, doloſo ſub cinere latitantes excitat, venæ ſectione compeſcendos: undè in illud incurritur diſcrimen, ne cùm jam in laticem vitalem latiùs peccatum eſt, nimiùm vis naturæ proſtrata, munus ſuum iterùm ſubire recuſet. Itaque, ut perpaucis cum clar. *Stol*

dicam; quamdiù aliqua adhuc inflammatio adeſt, etſi ob celebratas ſanguinis miſſiones, multùm à ſuo vigore remiſerit; quinimò, quamdiù vel prudens ſuſpicio, metuſque eſt, ne denuò phlogoſis recrudeſcat, in emollientibus, refrigerantibus, ſolventibuſque ſolis inſiſtendum, damnanduſque eſt intempeſtivus remediorum ſputa moventium uſus.

Nunc verò, ſi à quâcumque causâ anacatharſis, aliæve criticæ perturbationes, ſubitò ſufflaminentur; ſi & interim peſſima referveant ſymptomata, angor, dyſpnea, dolor pectoris, in aperto verſatur æger diſcrimine, & nonnunquàm hac in re præcipiti, fit anceps medicus. Gravem enim, ex commiſſo in ratione medendi errore, noxam ſequi neceſſum eſt. Et reverà: quàm alto ſe mari committat, ventorum lubibrium, fluctuumque præda, ſi ubi vis vitæ, *debilitate verâ*, molem ulteriùs promovere haud potis ſit, educat ſanguinem certiſſimè non reum! Hic enim ambobus utique brachiis complectenda veniunt cardiaca, roborantia, ſtimulantia, ut decocta corticis cum camphorâ, infuſa radicis ſerpentariæ virginianæ, contrajervæ, angelicæ, & præſertìm veſicantia ſuprà ipſummet pectus oppoſita, quæ dùm lævi ſuccuſſione viribus ſtimulum addunt, dehiſcens & jamjàm ruiturum ædificium ſæpè numerò ſuſtentant, unica propè modùm fulcra, at imparia ſæpè. Cùm verò, *valentibus adhuc vitæ viribus*, materia hoſtilis tumultuariè impetum, & pleno agmine faciat, quid vires acerrimœ can-

tharidum, ſtimulique alii poſſunt! Pugio plumbeus in leonem! Qui clavâ herculeâ debet excipi, methodo antiphlogiſticâ. Potiùs ergò, *Stoll* aſſentiente, irruenti hoſti cedendum pauliſper eſt, & ſpatia amplianda, ne intrà anguſtias concluſus, ſibi ipſemet exitum præcludat. Hunc in ſcopum, ſanguinis miſſione, cautâ utiquè manu, & parcè & per vices & demùm potu fotuque emolliente ad doloris ſenſum adplicato, vias expedire conandum eſt. Quædam ſunt auxilia alia, ad eundem effectum commendata, ut ſanguiſugæ, cucurbitulæque ſcarificatæ, quæ ſcapulis, dorſo admotæ, ad extùs cient humumores, ſanguiniſque plethoram localem minuunt, ut felici confirmavere praxi *Van-Swieten*, *Riviere*, *Huxham*, *Vigarous*.

Aſt verò, ſi medicamica tempeſtivè fuerint adhibita, ſi prædicto æger uſus fuerit regimine, morbuſque tandem ad ſolutionem perveniat, criſi naturali, quæ fit ut plurimùm ſeptimo, octavo, nono, vel undemo die, tunc temporis medicus moliminum medicatricis naturæ ſolummodò ſit ſpectator, non ità tamen otioſus, ut ægrotanti non debeat ſedulò invigilare. Caveat enim, ne diuturno decubitu, ſtragulorumque coacervatorum tepore, tepidiſque, ut mos fert, potibus, ſudores admodùm pernoxii moveantur. Caveat, ne aër frigidiuſculus in conclavi identidèm refocillatus, recta ægrotantem feriat. Caveat, ne citiùs arceantur procul potus refrigerantes, aqua pulli vituli, cremores orizæ,

hordei, panis, aliaque hujuſmodi. Caveat, ne reliquæ hoſtiles, præmaturo purgante pharmaco, per anum everrantur. Caveat, cùm ægri ex hoc morbo reconvaleſcentes facillimè relapſum perpatiuntur, præcipuè, ſi paulò pleniùs quàm fert ventriculus, nutriantur; caveat, inquam, ne in regulas diæteticas peccetur; amaricantium verò & ſtomachicorum remediorum ope vires coctrices, quas morbus atque ipſa morbi medendi ratio fregerant, jubeat corroborare.

Tandèm, dicenda adhùc reſtant aliqua, quæ medentem in varias trahunt partes, ſollicitèque ſecùm diſputantem, nùm pleuropneumonia ſit bilioſa, nùm inflammatoria, nùm ex utrâque compoſita. Nonnunquàm enim annotante clar. *Stoll*, adeò cauſa mali eſt obſtruſa, & ſunt quandòque adeò complicata ſymptomata, ut tot argumenta pro illâ, quot pro iſtâ pugnent. His in rerum anguſtiis, medicus quam partem, quot-vè conſilium arripere debeat dubius fluctuat: delicatiſſima enim in praxi medicâ ea res eſt, ubi ob periculum ſummè præceps in arenâ conſilium capiendum. Attamen, cùm quid moliri oporteat, curtam ac indirectam materiæ medicæ ſuppellectilem potiùs habere juvat, quàm nullam, aut comtam, aut ancipitem. Igitur, ut potè utrique morbo ex æquo convenientia, ſequentia poſſunt adhiberi, potus copioſi cum melle, aceto & ſale medio quodam; tempeſtivus clyſterum uſus; exiguæ venæ-ſectiones; & quædam

alia, quæ forsàn aliquid ſuggerunt, undè novam poteſt venari indicationem. Verùm, inquit idem *Auctor*: quemadmodùm in multis aliis, ità etiàm in hocce caſu evidentes canones non poſſunt ſtatui; prudens omnium quæ ægrotum ſpectant & adcurata æſtimatio, quam uſus artis aſſiduus, varius, judicioſus, multaque medicatio comparaverunt, agendorum in re præcipiti rationes ſecuriùs ſuppeditabunt.

FINIS.

DE BILE
DISQUISITIONES
PHYSIOLOGICO-CHEMICÆ,

QUAS

In Auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpeſſulano proponebat Auctor

Spiritus - Stephanus - Joannes - Alexander GUEYRARD, *Telonenſis.*

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Magni omninò res fuit naturæ latebras dimovere, nec contentum ejus conſpectu introſpicere & in Deorum ſecreta deſcendere.

SENEC.

MONSPELII,

Ex Typis JOSEPHI - FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI.

PATRI. COLENDISSIMO

FILIUS. OBSEQUENTISSIMUS

S. S. J. A. GUEYRARD

D. V. C.

DE BILE

DISQUISITIONES

PHYSIOLOGICO-CHEMICÆ.

LIQUOR viſcidus, amarus, flavo-vireſcens, qui in vaſis biliariis hepatis inque fellis veſiculâ reperitur, bilis nuncupatur.

In cyſticam & hepaticam diſtinguitur. Cyſtica in veſiculâ felleâ ſedem habet; hepatica verò, diſperſa apparet in ductibus hepaticis.

Putarunt quidam auctores, hepaticam cyſticamque bilem inter ſe naturâ differre, ſed ut poſteà videbimus, abſimiles tantùm ſunt, amaroris, acrimoniæ, coloris, lentoriſque majori gradu, quo cyſtica, ob in veſiculâ moram, donatur.

Hîc ſub duplici reſpectu, chemico ſcilicet, & phyſiologico, bilis conſideranda venit. Primùm ipſius characteres chemicos neotericis chemiæ peritis illuſtratos perſcrutari conabimur; deindè quo modo liquor ille formetur, & quonam ſit uſu in homine ſano aggrediemur.

CAPUT PRIMUM.

Bilis conſideratio chemica.

SECTIO PRIMA.

Analyſis bilis.

§. I. A. Balneo mariæ diſtillata bilis (1), phlegma præbet nec acidum, nec alcalinum, facilè putreſcens, & tunc moſchi odorem induens (2).

B. Extractum quod ex eâ operatione obtinetur, in aquâ omninò ſolubile fit. Igni in cornutâ ſubjecto, phlegma flaveſcens alcalinum obtinetur, oleum animale empyreumaticum, multum carbonatis ammoniacalis, fluidum elaſticum acido carbonico & gazhydrogeneo mixtum.

C. Poſt operationem remanet ſpongioſus carbo, carbonatem ſodæ & phoſphatem calcareum continens.

§. II. Bilis ſpontanea decompoſitio in atmoſpherâ undecim grad. cal. *Reaum.* ſequentia offert.

---

(1) Bilis vocabulo, in genere, bilem cyſticam audimus eum hæc facilius comparari poſſit, magiſque fit in experimentis chemicis recepta.

(2) Cartheuser, *mat. med.* p. 464. Mead *of poiſons* & recentius Fourcroy, *élém. de chimie*, t. 4, p. 347, édit. 3.

Brevi putreſcit odorem fatuum nauſeoſumque ſpargit, colore mutatur, precipitantur albidi floculi, viſciditatem amittit, ſuccedit fœtidus odor qui ex longeviori putrefactione moſchum redolet (3).

§. III. Aqua bilem diſſolvit.

§. IV. Diſſolvitur etiam ab alcaliis.

§. V. Acidis coagulatur. Percolatus liquor, eva-

---

(3) Jamdiu obſervatum fuit alteratam bilém moſchatum odorem ſpirare. Vide GRULICH, *cholegog.*, p. 48. RAMSAY *exp.* 25 & 26. BOERHAAV. p. 431. ALSTON p. 35. LINN *amœnit. acad.*, & recentius FOURCROY *élém. de chymie* t. 4, édit. 3, p. 348.

Bilis extractum, elapſo ſatis longo temporis intervallo in vaſis accuratè conditum moſchi ſuavem diffundit odorem, (*Encyclopéd. de Génève, art. BILE, p. 68.*) SCROEK *de moſcho*, tincturam jecoris lupini parem acquirere odorem obſervavit; quod fit etiam apud ſubſtantias animales bile impregnatas: ſic HOMBERG (*Mém. de l'acad. des Scienc* 1711, p. 44.) refert ſtercora humana moſchum olere, ſi aqua orbentur. PECHLINUS imo vidit aquam à fecibus extractam, odore ſimili donari poſt diſtillationem decies repetitam, *obſerv.* p. 325. Notandum etiam ambram griſeam nihil allud eſſe quam ſcybala *Phyſeteris macrocephali* (*cachelot*) ut apprimè viderunt clar. SWEDIAUER. *Acta anglica* 1783, pars 1, n°. 15, & DONADEI *journal de phyſique* 1790.

Vaccinum ſtercus moſchatum odorem exhalat. Jubentur phtyſi laborantes, in bovinis ſtabulis aliquamdiu manere Ibi reſpiratum aer, idoneum illis eſt non ſolum propter humidum miti calori junctum, ſed videtur etiam moſchatus odor multa tunc efficere virtute antiſpaſmodica, imprimis cùm pendet phtiſis à causâ nerveâ, vel ſaltem cum hujus generis affectionibus comitatur.

porationis ope ; ſalis neutri cryſtallos præbet acido adhibito, & ſoda, quam continet bilis, efformatas, ut egregiè vidit *Cadet*. Super filtrum remanet coagulum ſpiſſum, viſcoſum, amarum & inflammabile.

Hîc quædam exempla harum alterationum bilis cum acidis, referemus.

A. Acidum ſulphuricum bili immiſſum coagulum præbet viride-obſcurum, percolato liquore ſulfas ſodæ obtinetur.

B. Acidi ope, coagulum flavum, & nitras ſodæ.

C. Acidi muriatici auxilio, coagulum dilutè viride & murias ſodæ.

D. Acidum acetoſum bilem etiam decomponit & obtinetur acetas ſodæ.

Ex clar. *Fourcroy* recentibus obſervationibus, coagulum illud cujuſcumque acidi ope obtentum, ſpermatis-ceti naturam accedit (4) ; etenim ſuper prunas intumeſcit, liqueſcit & inflammatur, alkoole diſſolvitur & cum acidis ſapones efformat.

§. VI. Salia neutra bili immixta putrefactionem præpediunt (5).

§. VII. Olea & gummi bili immiſcentur.

---

(4) Jam dixerat Hartman coagulum illud ceræ ſimilem eſſe.

Differt à reſinis vegetabilibus in eo quod ad calorem 40 *grad. Réaum.* liqueſcit.

(5) Vidit clar. Fourcroy bilem poſt calefactionem minus putreſcentem eſſe, quod fit etiam de lacte. Tribuendus ille effectus alterationi materiæ albuminoſæ ab igne tunc effectæ.

§. VIII. Facile ethere diſſolvitur.

§. IX. Solvitur etiam alkoole, attamen præcipitatur pars albuminoſa. Diſſolutio illa non decomponitur ab aquâ uti tincturæ reſinoſæ vegetabiles.

§. X. Ex præmiſſis concludere fas eſt cum celeberrimis neotericis chemiſtis, bilem ſaponem animalem (6) eſſe, multùm aquæ continentem, pecu-

---

(6) SCHROEDER (*opuſc. med. t. 2, p. 501 & ſeq.*) & poſt eum alii, ſaponaceam bilis indolem negârunt, ſed illorum aſſertionem confutant recentiorum in arte chemica verſatiſſimorum experimenta. Aliundè probatur bilis ſaponacea natura ex quotidiano in artibus uſu...... « C'eſt une » vérité que les teinturiers même n'ignorent pas : il y a » long-temps qu'ils ont obſervé qu'ils ne pourroient » jamais faire prendre la teinture aux laines récentes, » parce qu'elles ſont fort graſſes, s'ils n'avoient ſoin auparavant de les laiſſer tremper dans une leſſive urineuſe » & bilieuſe, juſqu'à ce que tous les pores de la laine » ſoient purgés en quelque ſorte des matières poiſſeuſes & » rances qui les bouchent; & ils s'y prennent auſſi de la » même manière, avant que de teindre les étoffes tâchées » d'huile, & principalement ces fils de ſoie qu'on tire des » capſules glutineuſes qui ſe trouvent dans la bouche des » vers-à-ſoie, patce qu'en effet la glu qui ſe prépare dans » les petits vaiſſeaux inteſtinaux de ces capſules, enduit » ces fils d'un liniment viſqueux qui ne ſe marie point » avec l'eau. La myrrhe, la réſine, les gommes bdellium, » ſagapenum, opoponax, la gomme lacque, les peintures, » les fards, toutes ces matières, broyées avec de la bile » ſur une pierre de porphire, ſe détrempent facilement » dans l'eau; & bien des choſes qui ſeroient inutiles autrement, deviennent par cet art propres à deſſiner, à » farder, &c. *Encyclopédie de Genève, art.* BILE *p.* 63.

liare aroma, albumen, oleum ſpermatis ceti naturam accedens & carbonatem ſodæ.

§. XI. Clar. *Cadet* & *Vanbochaute* inſuper obſervarunt ſalem, quem ſaccharo lactis analogum putarunt: ſed ut recte adnotavere cel. *Fourcroy* & *Chaptal*, veriſimilius eſt ſubſtantiam illam eamdem eſſe ac materia foliacea quam in calculis biliariis obſervavit *Poulletier*. Quod plenius probatur recentiſſimis obſervationibus clar. *Fourcroy*. Vidit enim bilem, independenter à coloranti materiâ ſpermati ceti propè analoga, aliam quoquè continere ſubſtantiam ſpermati ceti omninò ſimilem, quam obſervaverat *Poulletier* in calculis biliariis & quæ iiſdem præcipuè originem præbet.

Ut compleantur quæ de bilis conſideratione chemica dicenda ſunt, hùc eſſentialia de calculorum biliariorum analyſi referemus.

SECTIO SECUNDA.

Analyſis calculorum biliariorum.

§. I. Plures obſervatæ fuerunt calculorum biliariorum ſpecies, non ſolùm formâ ſed etiam texturâ differentium. Illi vero qui chemiſtarum attentionem potiùs moverunt cryſtalliſationem aliquam modò lamelloſam (7), modò ſtriatam offerunt.

---

(7) Calculi biliarii lamelloſi in homine tantùm obſervati fuerunt, ſed in bove nuper eos detexit clar. Fourcroy.

§. II. Clar. *Poulletier de la Salle* primus eorum characteres chemicos inveſtigavit, viditque calculos biliarios lamelloſos in alkoole ſolubiles eſſe; ſed aliquantò poſt ſolutionem, ſpontè præcipitari lamellulas tenues lucidas & cryſtallinas; quas acido benzoïco analogas ſuſpicavit (8).

§. III. Denuò chemicam calculorum biliariorum analyſim ſuſceptus eſt cel. *Fourcroy* (9), viditque,

A. Alkool libras duas pene ſufficere ut mitis caloris ope, calculorum biliariorum in pulverem redactorum diſſolverentur unciæ duæ.

B. Diſſolutionem percolatam calidam flavo-vireſcentem colorem offerre; brevì cryſtallos albas formâ cryſtallis acidi benzoïci concreti ſimiles, quæ collectæ, aliæ percolationis ope, drachmæ unius circitèr pondus habuerunt.

a. Cryſtalli illæ igni ſubjectæ brevì liqueſcunt, volumen amittendo, & tunc ad ſtatum liquoris flavi unctuoſi, oleoſi, odorem ceræ liquidæ ſpargentis deveniunt. Liquor ille ſi diutiùs in igne remaneat omninò evaporatur, ipſiuſque loco invenitur macula flavo-brunnea; ſed ſi miti calori tantùm exponatur, vaporem album præbet, odore acri donatum tanquam olea combuſta. Refrigera-

---

(8) Pauciſſima fuit Illa ſubſtantia in calculis à clar. Poulletier inveſtigatis: etenim illius grana tantùm aliquot obtinuit ex drachmâ unâ.

(9) Vide *annales de chimie*, tom. III. p. 242.

tionis ope obtinetur maſſa concreta, brunnea, ſicca, fragilis, in lamellas lucidas diviſibilis.

b. In frigidâ aquâ inſolubilis eſt materia illa, ſed liqueſcit in ebullienti abſque mixtione; etenim ad ſuperficiem ſurgit; refrigerio concreſcit.

c. Alkalia fixa cauſtica liquida frigida eam diſſolvunt, verumque ſaponem efformant. Ex his probatur, oleoſæ naturæ eſſe illas concretiones.

C. Acido nitrico diſſolvuntur calculi biliarii abſque calore & abſque effervefcentiâ. Diſſolutionem illam decomponit aqua, ex illâque precipitat floculos, laminaſque cryſtallinas abſque alteratione.

D. Alkoole calido partim diſſolvuntur calculi illi (10), ſed maxima pars, refrigerii ope, ſub ſtatu cryſtallino præcipitatur.

§. IV. Ex his patet analogiam maximam eſſe inter ſpermaceti & ſubſtantiam illam cryſtallinam. Suſpicatur clar. Fourcroy concretiones illas in veſicâ felleâ efformari cum materia ſpermari ceti analoga, quæ pars conſtituens eſt humorum hepa-

---

(10) Juxtà clar. Gren alkool, etiam calidum, diſſolvere nequivit biliarium calculum quem experimento ſubjecit; parvas cryſtallos tantùm ex illo ſeparavit, in fluido ſuſpenſas. Vide *annal. de chimie t.* 5, *p.* 186. Cæterum vanâ ſpe arriperentur qui exactè perſimiles ex quorumlib c biliariorum calculorum fines ſemper obtinere vellent; cum non ſolum juxtà laminarum diſpoſitionem inter ſe diſcrepent, ſed etiam juxtà variorum principioru& conſtituentium proportiones quorum tamen eſſentia fere eadem eſt.

tis (11), nimis abundat ut in bile diſſoluta remaneat. Putat inſuper calculos biliarios vulgatiores, qui bilis inſpiſſatæ aſpectum habent, concretionem formationemque ſuam debere oleoſæ illius materiæ præſentiæ.

CAPUT SECUNDUM.

Bilis conſideratio phyſiologica.

SECTIO PRIMA.

Formatio bilis.

§. I. In hepate formatur bilis, ubi originem præcipuè trahit è ſanguine à venâ portarum allato, advehit enim vena illa ſpiſſum ſanguinem ab omento & meſenterio, & tenuem à liene : jecurque penetrans in ramos varios exiliſſimos dividitur.

§. II. Sanguinem etiam accipit jecur ab arteriâ hepaticâ quæ à celiacâ originem trahit, quæque ibì minorem locum habet quàm vena portarum etſi valdè ramificetur.

§. III. Infimæ partes alterutriûs, cum glome-

---

(11) Eandem ſubſtantiam ab hepate humano à decem jam annis ſiccato extraxit clar. Fourcroy- Vide *annal. de chimie*, t. 3, p. 120.

rulos implexibus ſuis formarunt (12), in venulas deſinunt quæ, poſt curſum, undequâque congregatæ, ramos venoſos majores efficiunt, venæ cavæ inferiori ſubnectendos.

§. Ex his glomerulis naſcuntur minimi ductus, pori biliarii dicti, exitum præbentes bilioſo humori à ſanguine ibi ſecreto (13); qui omnes, cum in unum convenerunt, communem ductum hepaticum creant quo bilis è jecore eliminatur.

§. V. In jecur ergò adducitur ſanguis variè modificatus ex variis partibus; ſanguis ſcilicet meſen-

---

(12) Putavit MALPIGHIUS eos glomerulos acinos glandnloſos eſſe cavos ſecretorios (*de viſc. ſtruct. p.* 11 *edit. Lond.*) *de hepate* Argent. 1775. Et J. F. BLUMENBACH, *inſt. phyſiolog. p.* 297.

(13) Clariſſ. FOURCROY & VAUQUELIN, veram bilem gelatinamque è bovis arterioſo ſanguine extraxêre. Hæc ſunt eorum verba.... « Voici comment nous retirons » l'une & & l'autre de ces ſubſtances. En faiſant coa- » guler au feu du ſang uni à un tiers de ſon poids » d'eau, il ſépare du coagulum qui ſe forme, un liquide » qui donne par une évaporation ménagée, u n ſuc ſi » maniſeſtement anaogue à la bile de bœuf, que ſans » être prévenues, pluſieurs perſonnes l'ont reconnu à » la couleur, à l'odeur, à la ſaveur; & que d'ailleurs » il en préſente toutes les propriétés à l'analyſe chimique. » Le ſérum expoſé à la chaleur après avoir été mêlé » de moitié de ſon poids d'eau, ſe coagule en partie. » La portion de liquide qui ne ſe coagule pas, con- » tient de la gelatine qui ſe prend en gelée par le » refroidiſſement; elle eſt mêlée de muriate & de car- » bonate de ſoude » *annales de chimie*, t. 6, p. 181.

tericus & omentinus qui in infimo ventre ob moram, lentorem eſt adeptus ; celiacus ſanguis , arterioſi vividiſſimi characteres præbens , & lienoſus quem tenuiſſimum norunt omnes.

§. VI. Credere pronum eſt natales trahere bilem, 1°. à parte rubrâ & pingui ſanguinis maximâ denſitate donati quem præbet alvus inferior ; 2°. attenuatum lienis ſanguinem obſtructionibus adverſari quæ fieri poſſent ob nimiam humorum hepaticorum lentorem (14) ; 3°. celiacæ ſanguinem , hepatis nutritioni dicatum eſſe (15).

---

(14) Hewson (*in opere poſthumo circa rubras ſanguinis particulas*) cenſet glandulam conglobatam lienem eſſe, globulorum rubrorum ſanguinis formationi dicatam. Sed inter conglomeratas glandulas rectiùs annumerari debet, etenim, 1°. Nulla in liene obſervantur vaſa excretoria, 2°. Limphatica vaſa accipit, ſed non primarium locum ibi tenent, tanquàm in hepate & aliis glandulis conglomeratis ibi adſunt ut ſeroſos humores abſorbeant qui per poros inorganicos in textu celluloſo exhalantur. Probabilius eſt, lienis uſum eſſe ſanguinem tenuem hepati præbere, qui nimium ſanguinis omentoſi meſenterericique lentorem amendet ; & reverâ videmus animalia arte liene orbata, hepatis obſtructionibus maximê obnoxia eſſe , ut rectè ad notarunt Lorry , Hallerus & alii.

(15 Suſpicârunt plurimi, ex arterioſo ſanguine ſegregari bilem , ſed rationi magìs congruum eſt è ſanguine venoſo portarum ſecretionem illam præcipuè fieri ; etenim arteriæ hepaticæ ligatio ſecretionem bilis non impedivit. *Vid. Encyelop édit. Genev. Art bile* , *p.* 61.

§. VII. Quod diximus de origine bilis ex ſanguinis parte pingui & coloranti, egregiè illuſtratur dictis clariſſimorum *Lorry*, *Fourcroy*, *Thouvenel*, cujus ultimi verba refferre juvat. . . « ce qui » donne encore beaucoup de poids à cette opinion » du changement *de la partie colorante* du ſang » en celle de la bile, & de l'emploi d'une cer- » taine quantité de *matière graſſe* pour la con- » fection de l'une & de l'autre, c'eſt que l'on » remarque que chacune de ces trois ſubſtances » domine excluſivement dans les divers *tempé-* » *ramens graiſſeux*, *ſanguins bilieux*, *&c.* ou ſuc- » ceſſivement dans les différentes conſtitutions ma- » ladives; que tout ce qui peut favoriſer la réſo- » lution de la graiſſe, cauſe une ſurabondance » de *cruor* ou de *bile :* que tout ce qui empêche » la formation, ou détermine l'expulſion de la » partie rouge, diminue la production de la par- » tie jaune; & enfin, que tout ce qui accélère la » dégénération de la première, augmente la quan- » tité de la ſeconde. Dans les *complexions graiſ-* » *ſeuſes*, preſque tout l'aliment ſe tourne en huile, » & va ſe loger dans tous les recoins du tiſſu » cellulaire; le ſang ſe forme lentement & en » petite quantité. Dans les *tempéramens ſanguins*, » la plus grande partie de la graiſſe eſt employée » pour la compoſition de la matière ſaline, huileuſe » ou ſucrée, qui, par la ſucceſſion du procédé de » la chylification, & hors de l'état de lactation

» proprement dite, ſe produit dans chaque ani-
» mal, & ſert enſuite à la confection du ſang :
» auſſi voit-on que les animaux les plus *laiteux*
» ſont en même-temps les plus ſanguins. Dans les
» *tempéramens bilieux*, la dégénération du *cruor*
» va plus vîte que ſa production ; le foie mange
» pour ainſi dire tout le ſang & toute la graiſſe.
» Enfin, dans les *tempéramens phlegmatiques*,
» dans les ſujets languiſſans, cachectiques, le ſang
» eſt ſéreux, peu coloré, quelquefois laiteux,
» le tiſſu cellulaire ou adipeux imbibé d'eau, la
» véſicule du fiel remplie d'une humeur muqueuſe
» à peine amère, d'autres fois douceâtre, ou bien
» blanche & laiteuſe. — Ce qui ſe paſſe dans le
» *fétus* confirme encore tout cela. Dans les pre-
» miers temps de ſa formation, le ſang & la bile
» ſont ſans couleur, & l'on ne trouve pas de
» graiſſe dans la membrane adipeuſe. Enſuite la
» matière rouge paroît & ſe développe peu à peu,
» & la bile acquiert de la couleur. La teinte ordi-
» nairement rougeâtre, & la ſaveur douce de cette
» dernière, annoncent bien qu'elle dérive de la
» partie colorante du ſang, à peine altérée dans
» cette ſecrétion. » *Mém. ſur la ſanguification*,
pag. 51 & 52.

§. VIII. Bilis ſic à ſanguine in hepate ſecreta in duodenum dimanat ductus choledochi ope. Sed cum chimo infarcitur duodenum, clausâ tunc choledochi

ductûs viâ (16) per cyſticum ductum advehitur in veſicam felleam, ubi cyſticæ bilis characteres induit; adeò ut cyſtica bilis non in veſiculâ originem trahat, ut voluerat *Malpighi*, qui glandulas veſicæ felleæ & ductûs cyſtici & hepatici tanquàm bilis fontes conſpiciebat: ſed ut optimè vidit *Seger*, vacua reæanet illa in cane vivente poſt ductûs cyſtici ligationem; mucus tantùm tunc invenitur.

§. IX. Contenderant nonnulli bilem in veſiculam venire per ductus peculiares rectè ab hepate ad illam vergentes. Sed in homine adhuc certè non conſtat de illorum ductuum exiſtentia (17), quamvis apud plura animalia obſervati fuerint ſcilicet in *cane*, *tigride*, *cato-pardo*, *lutrâ*, *urſo*, *fele*, *putorio*, *porcello-guineenſe*, *hiſtrice*, *glire*, *ſimio*, *melle*, *echino*, *lacerto*, *torpedine*.

§. X. Ex his faciliùs concipi poteſt quomodò apud

---

(16) Choledochus ductus dum unitur duodeno, non ſtatim in hoc viſcere oſtium ſuum pandit, ſed inter tunicas ejus aliquandiù ſerpit adeò ut infarcto duodeno, comprimantur choledochi parietes, impediaturque bilis exitus.

(17) Galenus, Jassolinus, & poſt illos multi alii, eos ductus in homine vidiſſe coutendunt. Bianchi diſtinxit eos in *cyſt-hepaticos* & *hepato-cyſticos*. Sed clarè non ſatis patet illorum exiſtentia. Cenſent Pechlinus, Ruischius, Hallerus, &c. Vaſa ſanguinea minima pro ductibus illis accepta fuiſſe. Si verè viſi ſint illi ductus in quibusdam hominibus, putari poteſt naturæ luſus eſſe, qui tanquam leges conſiderandi non ſunt.

quædam

quædam animalia quorum ductus cyſticus in duodenum immittitur ab hepatico disjunctus (18), bilis tamen in cyſtide inveniatur, ut fit in pluribus avium ſpeciebus, quales ſunt *phœnicopterus*, *ſcops*, *anſer*, *falco*, *platea*, *ibis*, *ciconia*, *corvus*, &c. apud quos etiam ex ipſo hepate ductus unus vel plures in cyſtidem immittuntur. Vidit *HALLERUS* in piſcibus & amphibiis teneros meatus ex hepate in cyſtidem venire, v. g. in *raïâ*, *accipenſere*, *dentice*, *murænâ*, *ſalmone*, *torpedine*, *milvo*, &c.

§. XI. Bilis in veſiculâ felleâ conſiſtentiam, amarorem, coloremque acquirit, 1°. ob abſorptionem à vaſis lymphaticis effectam (19), quos juxtà clar.

---

(18) Vidit VATHER, in quodam homine, cyſticum ductum ab hepatico disjunctum uſque in duodeno. *Cat. muſ. propr.* p 93.

(19) Cum vaſa limphatica hepatis inter illa numerentur quæ faciliùs oculis ſe præbent, prima etiam viſa ſunt; refert clar. MASCAGNI eorum notitiam, lacteorum meſentericorum inventum præceſſiſe; ſed omnia quæ de vaſis limphaticis hepatis noſcebantur, valdè obſcura inordinata que fuerant, uſquequò ſedulus ille limphaticorum obſervator, ſyſtematicum illis ordinem præbuerit ſicut aliis humani corporis limphaticis partibus. Vaſa iſta hepatica, maſcagnianâ methodo injecta, conſiderare nobis licuit demonſtrante Peritiſſimo anatomiſtâ, Doct. *Jallaguier*, qui de almâ Univerſitate Monſpeſſulanâ multum meruit, dum in ſuis lectionibus jam à duobus annis completum ſyſtema limphaticum juxtà clariſſ. MASCAGNI ordinem patefecerit. Expetandum certè in univerſitate iſtâ ubi à PECQUETIO, illuſtrationem primariam accepit ſiſtema illud, magis ac magis illuſtratum iri anatomiſtarum ſuorum laboribus.

MASCAGNI accipit veſicula fellea à ſecundâ tertiâque ſerie ramorum lymphaticorum lobi dextri hepatis ; 2°. ob extravaſationem partis tenuioris bilis per poros inorganicos (20).

SECTIO SECUNDA.

Uſus bilis in homine ſano.

§. I. In uſu bilis quàm lucidè niteſcit ſagax naturæ œconomia ! Hoc fluidum, quod velut quoddam ſanguinis reſiduum excrementitiale haberi poſſet, priuſquàm ejiciatur, ad perficiendam digeſtionem magnoperé concurrit.

---

(20) HEWSON, FORDICE, CRUIKSANK (*Anat. des vaiſſeaux limphatiques du corps humain*, p. 25.) Conſentiunt bilem in mortuo animali per poros inorganicos cyſtidis felleæ extravaſari, ſed in viventi negant. Ex Clariſſimorum HUNTER & MASCAGNI, obſervationibus ita non ſit » cum ſimiles obſervationes, ait MASCAGNI, in animalibus » viventibus inſtituerem ut plurimùm partes eidem veſiculæ contiguas flavo colore leviter perfuſas, videre » mihi contigit, rariùs verò eodem colore prorsùs » immunes obſervavi. Hæ obſervationes in hominum » cadaveribus multis etiam à morte horis pluriès inſtitutæ non nunquam bilis per veſiculæ poros tranſitum » denegatum obtulerunt. quod profectò vel denſiori tunicarum veſiculæ texturæ, vel muco tenaciùs ejuſdem » internam ſupetficiem oblinienti, vel auctæ bilis craſſitiei, aut demùm harum conditionum complexui referendum eſt. *Vaſ. limphat. hiſt.* p. 15.

§. II. In duodeno immixta chylo, quem vi ſaponaceâ, tenuiorem ac uniformiorem efficit, fermentationi acidæ obſtat, quod comprobare videntur puerorum dejectiones quæ, propter bilis inertiam, acidum odorem perſæpè teferunt, aliquandòque veluti caſeoſæ emittuntur, minùs æquò elaboratæ; horum etiam color minùs eſt intenſus, quod pariter apud ictericos adultos obſervatur. Quibus verò bilis abundantior eſt ac melioris notæ, his excrementorum color intenſior, ejuſque acritate inteſtinorum robur motuſque periſtalticus augentur. Nec mirùm ſi ictericorum laxior tubus inteſtinalis obſervetur.

§. III. Bilis non penitùs per ſcybala evadit, ſed pars tantùm colorans, quæ craſſior; partes verò tenuiores abſorbentur, nutritioni aptandæ.

§. IV. Cenſuerunt quamplurimi auctores bilem in ventriculum afferri, ut gaſtricæ digeſtioni opitularetur; quæ ſententia experimentis nec obſervationibus ſatis comprobatur. Ad munia quæ hoc fluido tribuerunt fungenda, planè ſufficit ſuccus gaſtricus. Obſtat pylorus intromiſſioni ejus in ventriculo, ad quem pervenire nequit, niſi per motus vehementes antiperiſtalticos, ut in violentis vomitionibus obſervandum venit.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

TENTAMEN MEDICUM DE RACHITIDE.

Quod, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

Auctor;

Ludovicus Dupont, è Municipio la Grollière apud Lemovicenſes, artium Magiſter, Studioſorum Ludovicæi Commiſſarius.

Pro Baccalaureatûs gradu conſquendo.

LA NATION,
LA LOI,
ET LE ROI.

MONSPELII,
Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

1791.

CARISSIMO PATRI

NEC-NON

TENERRIMÆ MATRI,

Has in Arte Medica primitias, in perpetum amoris gratitudinis, ac reverentiæ monumentum,

D. V. C.

Additiſſimus & ſubditiſſimus
filius

L. DUPONT.

TENTAMEN MEDICUM

DE

RACHITIDE.

INTER diverſos morbos ſyſtematis mucoſi vel lymphatici mens mihi fuit rachitidem tractandam ſeligere.

Varia nomina diverſi auctores huic morbo tribuerunt, ſed omnes ex uno tantùm ſymptomate illa deducere videntur; Angli *Rickets* vocarunt, alii in quibuſdam Europeæ partibus morbum Anglicum, aliis ſub nomine magni hepatis nota fuit hæc affectio, Latini rachitidem ſeu morbum ſpinæ appellarunt; illa ultima acceptio, etſi omnibus

aliis impropria ſit cum auctoribus celeberrimis *Stoll* , *Sydenham* , *Van-Swieten* & aliis nobis remanet.

Decimo-ſeptimo ſæculo ſyſtema mucoſum imperium ſuum magnâ vi exercebat ut conſtat ex ſcriptis auctorum illius temporis. Tunc omnes morbi ad hoc ſyſtema pertinentes novum activitatis gradum acquiſiverunt , tunc morbus venereus, tunc rachitis ſæpiſſimè diatheſi pituitoſo complicatus & quem apprimè deſcripſit illuſtriſſimus *Gliſſon* , in tempore ſequenti novi eſſe videbantur, quia tunc frequentiſſimè ſæviebant.

Rachitis omni ætate apparet , ſed præprimis amat ætatem infantilem , & tempore primæ dentitionis. Narrat *Stollius* circà pubertatem hunc morbum obſervaviſſe , ſed in ſolis fermè puellis.

Symptoma iſtius morbi præcipua & communia ſunt : infans minùs alacer eſt , corpus aliquandò pulchrum , ſed relaxatum habet , caput molle valdè magnum , ſutturæ inter ſe disjunguntur , frons protuberat , genæ etiamſi boni coloris molles ac flaccidæ ſunt , dentes tarde & difficile prorumpunt, flavi , cinerei , nigreſcentes apparent , collum graſſile eſt , ſæpiùs longum , ità ut vix caput erectum propter illius pondus ſuſtinere poteſt , amplæ venæ

jugulares & oculis apparent carotidarum pulſationes, cum his ſequnntur ſæpè ſæpiùs ſtupiditas; ſomnolentia, hydrocephalus, convulſiones, verùm cum hæc omnia capitis phœnomena deſunt, & rachitis in reliquo ſyſtemate oſſeo imperium ſuum exrendit & caput ſanum; tunc ingenium præcos, exquiſitam ſenſuum omnium facultatem poſſidet & ut vulgare adagium, pro illius ætate nimis ſapit. In hoc affectu thoracis ſtructura vitioſiſſimaeſt, introrsùm vel extrorsùm elevatur ſternum, coſtæ male curvatæ, intropreſſæ & eorum extremitates tuberoſæ & nodoſæ ſunt ſicut & clavicularum, ſpina dorſi tumefacta diverſas inflectiones patitur, ſcapulæ elevatæ, & cum hac vitiosâ thoracis formatione apparent tuſſes, cathari, ſuffocationes, & in flore ætatis ſæpiſſimè phthiſis lethalis. Nunc ſi perpendamus reliquas corporis partes videmus pueros hoc morbo affectos habere hæpar præ-magnum, inteſtina ampliora, glandulas generatìm tumefactas, aliquandò textum mucoſum repletiſſimum, epiphyſes oſſium extremitatum tam ſuperiorum quam inferiorum tumefactas & corpus oſſium relativè graſſile & exiguum. oſſa extremitatum inferiorum magnam curvitatem affectant in ſenſu illorum curvaturæ, ſed ad hæc omnia junguntur voracitas, paralyſes & febris lenta

nocturna corpus uſque ad mortem alterat & poſt fatum corpus rachiticorum ſuam mollitiem & flaccilitatem conſervat. Dividitur rachitis in acquiſitum & hæreditarium, in endemicum & in deuteropathicum, ſicut & in originarium. Quidquid ſit de iſtis diviſionibus quæ ad praxim conducere poſſunt diximus tantùm; apud auctores exempla uniuſcujuſque diviſionis reperiuntur.

Cauſæ hujuſce morbi, vel ſunt pro catharticæ vel proximæ, ſed ſi perpendamus phœnomena hunc morbum in ſtatu ſimplicitatis concomitantia cauſæ prædiſponentes obviæ ſunt. Inter hæc eminent omnia quæ debilitant ſyſtema tonicum, ut ex parentibus debilibus vel libidinoſis, vel ſenibus naſci, habere matrem ſub tempore graviditatis veneri nimis indulgentem, vel potibus diluentibus ſicut & otio nimis utentem, nutricem cui cathamenia non deficiunt, cujus lac eſt nimis ſeroſum ut notat *Cullen*, os fætens, gingivis, & dentibus male ſe habens, ſudore grave olens, dentitio difficilis, conſtitutio aëris humida, habitatio in locis paludoſis, habitus eſculorum farinoſorum non fermentatorum, uſus aquæ calidæ, decubitus nimis protractus, ſicut & otium; hæc ſunt præcipuæ cauſæ, fatentibus auctoribus, ad hunc affec-

tum diſponentes; ſed ſi cauſam proximam conſideramus, quot & quantæ diſputationes ad illius indagationem inchoatæ ſunt. Alii ad luem veneream degeneratam referunt, alii ad acidum quoddam prædominans oſſa emolliens, alii aſſerunt quoddam peculiare miaſmum, ſed nos cum *Stollio* maximam extenſionem illius propoſitioni dando putamus cauſam proximam eſſe in nimio exceſſu virium ſyſtematis nutritionis & in debilitate relativâ ſyſtematis nervoſi; & reverà quid nobis indicant omnia ſymptomata ſuprà memorata, ad quem effectum cauſæ prædiſponentes ducunt niſi favent ſyſtemati nutritionis, ſed ad curationem deveniamus; remedia hùc uſque adhibita ſententiam noſtram confirmant.

Hæc remedia vel ſunt diætetica, vel chirurgica, vel pharmaceutica; præcipua præcepta diætetica, hæc ſunt ad ſex res non naturales pertinentia, ergò ſi in locis humidis habitat rachiticus, ſubitò fiat habitatio in loco edito, vel ſicco, ſi nutrix malis conditionibus prædita ſit, mutetur, pariter non longius remaneat in cubili neque in otio, ſed deambulet, evitet pultes non fermentatas, ſicut & nutritionem nimis debilitantem, ut lac nimis ſeroſum, aqua tepida, ſed ſeligat roborantia eſcula

inter quæ non negligendus eſt uſus vini generoſi moderatus ; lintea ſicciſſima & pura ſint. Nunc ad chirurgiam vertamus, inter hæc primum locum occupant balnea frigida quæ roborando cutem, roborant ſympathicè partes interiores etiam ex *Hippocrates*. Et Angli ut videtur apud *Cullen*, apprimè decantaverunt, frictiones cum pannis laneis fumo aromatorum imbutis, tùm in ſpinâ & aliis partibus ut commendat in ſuis prælectionibus illuſtriſſimus *Brouſſonet* : tunc conveniunt fonticuli, veſicantia, cauteria actualia & cætera exutoria, quæ evacuando directe textum cribroſum tonum fibris imprimunt. Inter remedia pharmaceutica etiamſi aliqua ab auctoribus ut ſpecifica poſt illarum explicationem cauſæ proximæ laud arentur, tamen ſi illorum virtutes ſpectemus facilè introſpiſſimus omnia tendere ad fibram corroborandam, præcipuè ſuadentur omnia abſorbentia, ut cancri, chælæ, creta, magneſia, &c. &c. à plurimis auctoribus, nos pariter cum illis admittimus, ſed illorum effectuum explicationem ab eis propoſitam rejicimus, quia etiamſi abſorbeant primarum viarum acida, non poſſunt eumdem effectum in ſecundis viis producere ; putamus ergò agere per illorum virtutem tonicam, idem dicendum eſt de rubia

tinctorum. Tunc conveniunt emetica fractâ doſi, kina, rheum rhabarbarum, & omnia alia tonica quæ impreſſionem ventriculo imprimunt, & corroborant omne corpus. Fere unquam conveniunt in rachitide purgantia proprie dicta, quamquam frequenter venter tumeſcet, quia tumor ventris ut ſuperiùs diximus non â ſordium conjeſtione provenit. Attamen propter illorum virtutes tonicas aliqua cum cautelis adhiberi poſſunt ſicut & clyſteres ejuſdem generis.

Hæc ſunt PATRES VENERANDI, ~~quod~~ quæ propter temporis anguſtias & vires meas judicio veſtro ſubjeci.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

TENTAMEN
MEDICUM
DE HEMOPTHISI.

Quod Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Ludovicæo medico Monſpelienſi tueri conabitur

AUCTOR,

Michael-Alexander Constand, è loco du Malzieu, è nova partitione quæ dicitur, *Département de la Lozère*, artium liberalium magiſter, nec-non jam-dudùm in alma Univerſitate Monſpelienſi medicinæ Alumnus. Pro trimeſtri 1791.

Pro Baccalaureatûs Gradu conſequendo.

MONSPELII,
Apud Joannem-Franciscum Picot, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

M. DCC. XCI

CARISSIMO AVUNCULO SUO,

JOANNI-PLACIDO CONSTAND,

Malxivii Parocho propter juveni, orbato patre ſemper præſtita officia paterna,

TENERRIMÆ MATRI,

NEC-NON

MICHAELI DEROZIERES DE LA CHASSAGNE, Doctori medico Monſpelienſi clariſſimo, cauſidico diſſertiſſimo novæ partitionis quæ nunc dicitur, Département de la Lozère, *adminiſtratori integerrimo, dulci, ſincerâ amicitiâ mihi devinctiſſimo.*

HAS in arte hipocraticâ primitias.

D. V. C.

M. A. CONSTAND.

TENTAMEN MEDICUM DE HEMOPTHISI.

HEMOPTISIS nomine donant medici ſanguinis è pectore per os rejectionem, cum tuſſi, citra febrem inflammatoriam.

Hujus morbi hiſtoriam, ut cum methodo, perſpicuitate, pro virili parte pertractemus, hunc ordinem dicendorum ſervabimus; ad formandam diagnoſim, varia phœnomena hemoptiſi peculiaria, morbis hemoptiſi conſimilibus ceu cæteris, ſanguinis rejectionibus quæ fiunt per os ſuaque propria referemus, varias quibus frequentiùs producitur cauſas recenſebimus, è cauſis deductam prognoſim conſtituemus, ſingulæ cuique cauſæ adaptatam curationem inſtituemus.

Phœnomena in hemoptiſi obſervanda: ſanguis educitur cum tuſſi, floridus, ſpumoſus: ad

hæc quandoque accedit calor, dolor, anxietas circa pectus, ſpiritùs anguſtia.

Contra è ventriculo ſi prodeat ſanguis, cùm vomitorio conamine, abſque tuſſi, copioſus, plerumque niger, alimentorum portiunculis commixtus ejicitur. E faucibus, naribus, ſi ſtillet ſanguis, tunc circà fauces percipitur titillationis ſenſus, ſanguis ſcreatu everritur, tuſſis, ſi quæ ſit, mechanicè excitatur, ſanguinem, uti fit in hemoptoe, ſecum non adducit.

Demùm è gengivis, palato, aliiſve cavitatis oris internis partibus ſi manet ſanguis, tunc ejicitur ſimplici expuitione, inſuper ex introſpecto ore, digitorum admotione, facillimè innoteſcit hæmorragiæ ſedes.

Multiplici, quam apud varios auctores ſortita eſt hemoptoes, diviſioni ſuperſedentes, illam tantùm diſtinguemus in idiopathicam & ſympathicam.

Idiopathicam, (hanc vocamus quæ topicæ pulmonum affectioni debetur) ratione cauſarum iterum diſtinguemus in accidentalem & conſtitutionalem, prioris nomen obſtinet quæ ab accidenti quodam, ictu ex - gr. lapſu ex alto, niſu ſuſtinendis oneribus, &c. producitur: conſtitutionalis, ſi vitioſæ conformationi, pulmonum innatæ infirmitati, labi hereditariæ, debetur.

Sympathicam dicimus, cujus cauſa & ſedes

à primariâ cujuſdam organi affectione ad pulmones vi ſympathiæ pertinente, repetenda eſt. Hujusmodi hemoptoes quam frequentiſſimas obſervare eſt. Pleraque ſanguinis ſputa proſapiæ abdominalis eſſe docet obſervatio. In hoc caſu, morbi ſecundarii oblitus, fontis deuteropathicæ curationi unicè intendat medicus, quam ſi obtinuerit, pulmonis conſanationem, ſputi cruenti ceſſationem ſæpiſſimè ſimul aſſequetur.

Quoad prognoſim: hanc è cauſis, ratione habita ſubjectorum conſtitutionis, deductam conſtituemus.

Varias igitur, quæ ſputo cruento ſæpius anſam dant, cauſas recenſere incipiamus.

Hæ ſunt: vociferatio nimia, riſus immoderatus, cantus, clamor, tubarum, aliorumque artis muſicæ inſtrumentorum, vulgo gallico nomine, *inſtrumens à vens* inflationes, exercitium validius, ictus, lapſus ex alto, frigus vehemens ſubito ſuſceptum, balnea nimis frigida, orationes elata voce diutiùs protractæ, ſpirituoſa meraciora largiori manu ſumpta, victus acris, labor animi pertinacior, jejunia diutiùs prolata, vigiliæ immoderatæ, graviora animi pathemata ira, mæror, ſpes deluſa potiſſimum, coïtus, manustuprationis exceſſus, herpetica, ſcabioſa mala arte retropreſſa materies, ad pulmones delata, ſaburralis colluvies, bilioſa, pituitoſa intra ventriculum in-

teſtina deliteſcens , hæmorroïdalis , menſtrua ſupreſſa purgatio , prava corporis conformatio , ſtatura procera , juncea ; caput gracile , genæ roſeæ , collum longum ſcapulæ inſtar alarum prominentes , planum , anguſtum pectus , pulmonum innata infirmitas , labes hereditaria.

Hemoptiſi potiſſimùm obnoxii ſunt juvenes à decimo ſexto ætatis anno ad trigeſimum quintum , virgines quæ , ut illud ſpigellianum uſurpem , ut junceæ videantur , rivali ſtudio, quàm arctiſſimis veſtibus pectus in anguſtias cogunt , ignaræ ſe anguſtando thoracem , labi, marcorique januam aperire : ſartores, ſutores, illi demùm qui ob eam quàm profitentur artem , eos quos peragunt labores inclinati capitis , introrſum incurvati corporis ſitum conſtanter retinent. Apud ejusmodi homines ob ſyſtematis gaſtrici minùs pervium aditum , fit humorum inæqualis diſpenſatio , eorumque ad ſuperiora juxtò major refluxus.

Hemoptiſis , quæ nullâ prævià ſubjecti diſpoſitione , ab accidentali quâdam causâ merè producitur faciliùs cæteris curatur , ſemelque curata rariſſimè , aut vix unquàm recidivæ periculo ſubjacet. Difficiliùs ſanatur quæ laboribus animi pertinacioribus , veneris exceſſu , gravioribus animi pathematibus , merore , ſpe deluſa potiſſimùm pendet , hanc ſæpiſſimè ſolet excipere tabes. Graviſſimum portendit pericu-

lum à retroceſſa herpetica, ſcabioſa materie, hujuſque ad pulmones facta metaſtaſi, oriunda hemopthoes, niſi quæ, haud morâ ab inimicâ materie liberetur pulmo, indomandam minatur thiſim. Vix curationem admittit quæ vitio conformationis, labi hereditariæ debetur; dat interdum inducias, ſed ſecuritatis ſpe non lactent ægrum, læviſſimo victûs errore in eſpectato ægro recrudeſcit, incautum opprimit, in thiſim præcipitat. Minus periculoſa, hæmorroïdali, menſtruæ quæ ſuccedit ſupreſſæ purgationi hemopthoes, hujus ceſſationis obtinendæ reſtitutis ſupreſſis evacuationibus affulget ſpes.

Ad curationem deveniamus. Ex dictis, cùm hemoptiſi tot diverſæ faveant cauſæ, patet nullam certam curationis methodum aſſignari poſſe; nunc hanc nunc illam, pro datâ causâ ſeligat medicus, amplâ materiæ medicæ ſupellectili hîc ſanè inſtruendus. Varias igitur ſuprà recenſitas hemopthiſis cauſas hic revocare juvat, ſingulæ cuique ſua adaptanda therapeia.

A gravi caſu, lapſu ex alto, niſu ſuſtinendo oneri illata hemopthoes curatur per ſanguinis miſſionem pluries repetitam, per methodum antiphlogiſticam. Sanguinis miſſionis iterandæ ex pulſu pleniore, celeriore effecto, calore in pectore adaucto, majori ſpiritùs anguſtiâ deſumenda indicatio. Antiphlogiſticæ methodi par-

tes ſunt, ut ab omni motu ſeſe abſtineat æger, nulli rei ſollicitus in abſolutâ quiete permaneat, à loquendo, quantum fieri poteſt, caveat; pro omni victu ſolummodo utatur potu diluenti, demulcenti; ex. gr. aquâ pulli, vituli; per totum morbi decurſum, clyſterum emollientium ſæpè ſæpiùs repetito uſu ſervanda alvina libertas.

Ab æſtuante ſanguine victu acri, ſpirituoſorum abuſu hemoptiſi maximè conducunt diluentia temperantia, ut ſunt ſerum lactis, aqua pulli, vituli, victus dulcis.

Ab exhauſto ſanguine jejuniis diutiùs protractis, vigiliis immodicis, laboribus animi pertinacioribus, gravioribus animi pathematibus, veneris exceſſu, ortum ſi duxerit, tunc in ægri patientia, debitæ dietæ perſeverantia curationis tota reponitur ſpes. In hoc caſu, lac potiſſimùm aſininum miros quandoque producit effectus. Juſcula temperantia, demulcentia expullinâ carne pulmone vitulino, arietis corde cum endiviæ, dentis leonis decocto confecta, utiliſſima præſtant, utatur æger cibis boni nutrimenti, ex juniorum animalium, pulli, vituli, agni carne paratis, quàm pauciſſimo ſale, aromate conditis. Ab omni conditurâ, ſpirituoſo quocumque, ſtudio præſertim nocturnis horis, re venerea ſeſe abſtineat. Ab omni gravi affectu liberum ſeſe ſervet.

A retrocedente herpeticâ, ſcabioſâ materie, hujuſque ad pulmones facto decubitu ſi pendeat, tunc, pro urgentiâ caſus, præmiſsâ ſanguinis miſſione, præmiſſo multo potu diluenti, de liberandis pulmonibus & ad priſtinas ſedes revocandâ inimicâ materie, cogitandum eſt : in illo caſu balnea calida, vaporoſa, veſicantia priſtinæ ſedi mali applicata maximè conducunt.

Hæmorroïdali, menſtruæ ſupreſſæ purgationi quæ ſucceſſit hemopthoes, nullam aliam, quam, quæ evacuationum ſupreſſarum reſtitutioni intendit, curationis methodum admittit. In primo caſu, ſcilicet hemopthoes à ſupreſſis hæmorroïdibus, maximè conveniunt, diluentia aperientia, clyſteres, ani margini hirudinum aplicatio. In ſecundo caſu, ſcilicet hemopthoes à ſupreſſis menſibus, vivido quodam animi affectu, frigore ſubito ſuſcepto, in aquam frigidam pedum immerſione illata ſi fuerit ſupreſſio, reſtitutionem menſtruam maximè juvant pediluvia calida, emollientium ſuper hypogaſtrium aplicatio, venæ-ſectio è ſaphæna inſtituta.

A fomite bilioſo, pituitoſo, in ventriculo, inteſtinis deliteſcente ſi pendeat, cæteris ſputi cruenti ſpeciebus dicatam methodum curationis reſpuit, hæc curanda per ſolventia, emetica, purgantia.

Demùm hemoptoem cui favet vitioſa conformatio, labes hereditaria radicitùs curare ſi non ſit penès medicum, hanc tamen ſedare, à phthiſique prohibere per plures annos quandoque obtinet parcis phlebotomiis per vices repetitis, & vivendi ratione ſummoperè antiphlogiſticâ de quâ hic redeunt quæ dixi, ubi de hemopthoe ab exhauſto ſanguine agebatur.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

D. D. PROFFESSORES REGII,

PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Regis in Sacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

GASPARDUS-JOANNES RENE', *Decanus.*

ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

FRANCISCUS BROUSSONET.

FRANCISCUS VIGAROUS.

HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

HENRICUS FOUQUET.

JOANNES-BAPTISTA THIMOTHEUS BAUMES.

TENTAMEN MEDICUM

DE

PLEURO - PERIPNEUMONIA GASTRICO-BILIOSA.

Quod Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

Andræas Cayrouses, ex urbe Saint-Coſme, in Partitione *de Laveyron*, Liberalium Artium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ Alumnus, anno 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

LA NATION,
LA LOI,
ET LE ROI.

MONSPELII,

Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

1791.

Nec ore alieno indicta, neque omni plane dubio atque errore experta, hic proferre credo.

Selle, introd. ad rudim. pyret. meth.

ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D.

CLAUSEL DE COUSSERGUES,

HÆC prima in arte medicâ rudimentâ nomini tuo conſecrando opportunitatem arripui, tua beneficia, erga me meamque obſervantiam ac gratum animum publicè ſignificandi. Vale & mihi favere indeſinenter pergas.

Obſequentiſſimus & addictiſſimus
ANDRÆAS CAYROUSES.

Dabam Monſpelii die
24 Martii an. 1791.

emetici, refracta admodum doſi, cui jungitur catharticum quodvis.

Plerumque verò primarum viarum ſaburra ventriculi inteſtinorumque parietibus cruda tenaxque adhæret, ità ut, per evacuantia facilè moveri evacuarique non poſſit. Tunc juxtà præceptum *Hippocratis* (cum corpora purgare velis fluxilia reddere oportet) potu aquoſo, mellito, ſaponaceo, acceſſente ſalino, ſolvenda eſt materia illa & dein evacuanda.

Expectorantia in hoc morbo maximè proſunt, ad nimis craſſam materiem incidendam, ac proinde ipſius favendum expectorationi. Non omni tempore ſed præſertim ſub fine morbi, quando pulmones ſputorum pondere gravantur ob languentes ſecretiones atque excretiones, tum ex morbi diuturnitate, tùm ex remediorum debilitantium applicatione, adhiberi debent, interquæ palmam merentur kermes mineralis, oximel ſcilliticum, & ſolutio rartari emetici, ea tamen doſi exhibita, ut nec alvum nec vomitum moveat.

Juxtà *Stollium* kermes mineralis aqua non ſolubilis, in mixturis pectoralibus exhiberi non poteſt. Quia inquit: etiamſi vaſculum, quo medicamentum continetur, probe concutiatur, tamen inæqualis portio, & ſæpè nihil omninò kermetis æger accipit donec cum ultima doſi mixturæ totam kermetis, in fundo hærentis portionem hauriat. Facillimè vera vitari poteſt periculum illud, ſi kermetis por-

tionem quam in ſingula doſi exhibere volumus, in vehiculo quodam, v. g. in cochleare vini, juſculi, præſcribimus.

In pleuro-peripneumonia bilioſa veſicantium uſus in genere præſcribendus eſt, niſi tanta ſit virium proſtratio, tanta debilitas, tantaque ſolidorum inertia, ut omnes excretiones ſecretioneſque langueant pulmoneſque ſputorum pondere graventur, tunc veſicantia utilitatem eximiam præſtant, ſequendum autem *Stolli* præceptum & tanquam rubefacientia, non tanquam ulcerantia applicari debent, cum effectum tonicum non vero evacuativum expoſtulet.

In iſto morbo ſanguinis miſſiones præmittendæ nunquam ſunt, niſi præſens aliqua inflammatio eas poſtulet. Qui enim, nulla exiſtente inflammatione, morbi curam venæ-ſectionibus inchoant, morbum graviorem reddunt. His enim inſtitutis pectus validiùs opprimitur, ſpiritus difficiliùs trahitur, thoracis dolor, aliaque ſymptomata aggravantur.

In malignam ſi tranſierit pleuro-peripneumonia gaſtrico-bilioſa, in uſum vocanda ſunt veſicantia, cardiaca, roborantia, ſtimulantia præſertimque antiſeptica, qualia vinum, infuſio radicis ſerpentariæ virginiæ, arnicæ, angelicæ, decoctio corticis peruviani, cum camphora. Malignam vocamus illam ægrorum conditionem, ubi vis vitæ admodùm dejectapulſu arteriarum & cordis vere debili proditur.

Convaleſcentiæ tempus, ſollicitudinem de regi-

mine non minimam exigit, relapſum enim facillimè patiuntur ægri, dùm in regulas diæteticas peccant. Ut vero vitetur periculum illud, vires coctrices à morbo, atque ipſa morbi medicatione fractæ, ope remediorum ſtomachichorum, tonicorumque firmandæ ſunt, ſemperque caveat medicus, ne plenius quam fert ventriculus nutriantur convaleſcentes.

Dùm copioſiori diarrhæa æger jam morbo debilitatus, magis adhuc enervatur, & ſputa ſupprimuntur reprimenda eſt alvus. Hunc in finem, optimo cum effectu applicantur veſicantia, ſinguliſque horis, exhiberi poteſt pulvis compoſitus ex grano dimidio kermetis mineralis & quarta parte grani laudani puri triti cum pauxillo ſacharri. Laudanum enim pernitioſos ſpaſmos inteſtinorum ſolvit, naturæ turbos ſædat, dùm kermes mineralis vires reficit.

Hæc eſt morbi curatio, dùm is ſimplex, nullique alteri junctus cernitur. Non raro autem vera adeſt ſimul inflammatio, quâ morbus inflammatorio bilioſus redditur; tunc præter ſupra dicta colluviei bilioſæ ſymptomata, accedunt ſigna inflammationis, v. g. dolor vere pungens acutiſſimuſque, ſitis morbo reſpondens, pulſus arteriarum & cordis durus & plenus, ſputa aut nulla, aut ſtriata ſanguine hoc in caſu ſedulò expendendum eſt quodnam in corpore vitium, bilioſum an vero inflammatorium, magis urgeat, practicus ei primo occurrere debet quod magis urget. Ubi conſtitutio inflammatoria

prævalet, ſtatim venæ ſecanda eſt, & hoc peracto, evacuantia in auxilium vocanda ſunt. Quo magis autem colluvies turget, eo parciori ſanguis mittendus eſt, ſed ad evacuantia confugiendum, dein pro varia indicatione varias in exhibendis remediis ordo obſervari debet.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

DISSERTATIO MEDICA

AN

PLEURITIDI PHLOGISTICÆ VENÆSECTIO.

Quam Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, publicis ſubjiciebat diſputationibus

Auctor,

Hyppolitus André Civis Ruthenenſis partitione Aveyron apud Aquitanos, Liberalium Artium Magiſter, & jàmdudùm Medicinæ Alumnus, anno Libertatis ſecundo 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Principiis obſta, ſero Medicina paratur cum
Cum mala per longas invaluere moras. *Ovide.*

Nationi,
Legi,
Regi.

MONSPELII,
Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI,

DILECTISSIMÆ MATRI

NEC-NON

FRATRI CARISSIMO

AD URNAM COLENDIS

QUID *mihi dulcius ? Quid jucundius ? Quam veſtris ſub auſpiciis in lucem edere prima hæc laborum in Medicina redimenta quæ*

Amor vovet amori

Reverentia offert virtuti

Gratus animus rependit benevolentiæ ;

HYPPOLITUS ANDRÉ.

Dabam Monſpelii , die 11 *Januarii* 1791.

DISSERTATIO MEDICA

AN

PLEURITIDI PHLOGISTICÆ VENÆ-SECTIO.

Sedes morbi.

NEMINEM fugit plurimùm anteponendam eſſe morbi deſcriptionem ejus definitioni. Illud nos edocent *Hippocrates*, *Aretæus*, *Lomnius*, *Sydenham*, *Stool* aliique plurimi, qui morbos ſemper deſcripſerunt. Aliundè eò magis valet circà pleuritidem deſcriptio, quò ex ſede morbi partìm deſumatur definitio; porrò de illo objecto diſſentiunt adhuc Auctores; licèt tamen plevram, inflammationis capacem, judicemus, teſtantibus aperturis cadaverum pleuriticorum à *Swietenio*, *Morgagnio*, *Lieu-*

taudio, *Haënio*, *Stoolio* tentatis : undè cogitandum juxtà nos, *Servii*, *Hoffmani* & *Trilleri* obſervatis, rarò inflammatione ſolam corripi plevram, ſalvis pulmonibus ; idcircò, cur pleuritis ſicca, ſedens juxtà *Stool* in plevrâ propriè dictâ, obſervatione quotidianâ non commonſtratur. Concludendum igitur in errorem verſari omnes, qui ſemper in plevrâ, aut muſculis intercoſtalibus aut membrana adipoſa collocari pleuritidem, ſimul & etiam qui in pulmonibus ſolummodò affectionem jacere contendunt. Veritatem attigiſſe ſolus mihi videtur *Morgagni*, quandoque in plevrâ, quandoque in muſculis intercoſtalibus, quandoque in pulmonibus, quandoque in plurimis harumce partium, quandoque in cunctis, inflammationem, vigere, opinans.

Deſcriptio morbi.

Pleuritis vera, ſeu phlogiſtica, duo ſymptomatum genera nobis offert ; alia, quæ ſpectant ſtatum formalem inflammatorium ; alia febrem concomitantem.

Si ad priora attendamus, obſervabimus præprimis quamdam tenſionem ſpaſmodicam in pectore, poſteà dolorem in regïone mamillarum pungitivum, unum vel utrumque latus afficientem, plus mtnuſve intenſum, animam intercipientem, quandoque ad claviculas deorſumque ſeſe extendentem : vigent etiam reſpiratio difficilis, anheloſa, tuſſis ſicca, moleſta ; plurimùmque ſanguinolenta, &c- &c.

Si ad poſteriora ; cuncta deteguntur diatheſeos

phlogiſticæ ſymptomata. A refrigeratione orditur; ſequitur calor aſſiduus, attactu non auctus, veluti in morbis bilioſis, verùm mitior, pulſus pleni, fortes, duri, accelerati; facies rubra, vultuoſa; oculorum ſplendor; lingua albida aut prærubra; oris & labiorum ſiccitas; ſitis, cephalalgia, dolor lumborum; alvus nulla aut rara & reſiccata; urinæ parvæ, flammeæ; febris uno tenore pergens, veſperi noctuque parumper acuta, ſine frigore, donec circà auroram modicè miteſcat; cutis ſicca, ſudores nulli, &c. Talia apparent ſymptomata in primo & ſecundo ſtadiis, ſtatum irritationis efformantibus.

Ubi autem ad tertium ſtadium pervenit morbus, tunc temporis ad ejus ſolutionem vergit- Aliæ veluti inflammationes ſolvitur pleuritis reſolutione, ſuppuratione, skirro, & gangræna juxtà nonnullos, quod rejicitur à merit. Proſ. *Vigarous.*

Ad reſolutionem tribui merentur ſudores, hæmorrhagiæ, urinæ ſaturatæ ac copioſæ, quæ ſub primis diebus morbum aliquandò ſolvunt. Terminatur autem plerumque pleuritis expectoratione. Iſta in criſi, mucoſa, albida, conſiſtentia & abundantia fiunt ſputa, quæ criſim mali ominis prænuntiant juxtà *Hippocratem* ſi tenuia, æruginoſa, virida, nigraque reſpuat æger. Metaſtaſibus etiam ad articulos materiei coctæ & ad glandulas aliquandò ſolvitur pleuritis. Supurationis ortum indicabunt dolor ardens ad loca inflammata, lento gradu procedens, nec-non febris ipſamet (criſi quâcumque abſeute) longiùs protractâ & lentâ factâ, ut etiam horripilationes ac ſputa purulenta. In skirrum ver-

ſatur ſolutio, ſi calidis aut nimirùm evacuantibus remediis morbus fuerit debellatus; ſi moderatâ febre, & manente impeditâ reſpiratione ac tuſſiculâ, accedat totius corporis tabes.

Deniquè ſigna quæ denotant converſionem ex acutâ ad chronicam, tùm à ſputis, tùm à febre & aliis fontibus, ab *Stool*, *Lorry* apprimè enarratis, apparent.

Deniquè in ſenſu Auctorum qui admittunt ſolutionem in gangrænam, prænuntiatur illa terminatio diſparitione ſubitaneâ doloris, ſuprà modum acuti; ſymptomatibus, quæ cordis cerebri affectionem ſecundariam patefaciunt; ſputis nigris, fœtidis, tenuibus; ſputatione ſanguinis nigri ac picæi; horripilationibus vagis; pulſu parvo, debili, &c.

Cauſæ morbi.

Triplicem cauſarum agnoſcimus ordinem, cauſas nimirùm prædiſponentes, occaſionales & proximas, de utroque ordine nonnulla, ad pleuritidem relativa, proferamus.

Exiſtunt duæ claſſes cauſarum prædiſpouentium, alia ſpectans ſtatum formalem, alia ſtatum materialem aut phlogiſticum. Cauſæ prioris claſſis eæ ſunt quæ in plevrâ aut pulmonibus talem ſtatum inducunt, ut organa ad inflammationem diſponant. Sic oppreſſio frequens pectoris à curſu & equitatione procedens; ſic inſtrumenta quæ inſufflationem expoſcunt; ſic artes aliæ, actionem continuam in organis reſpirationis expetentes; ſic debilitas nativa

pectoris; debilitas organica à præcedentibus affectionibus pectoris producta; debilitas ſympatica, &c. Cauſæ claſſis poſterioris eæ ſunt quæ diſponunt ad diatheſim phlogiſticam, & illius diatheſeos ſuſceptibilitatem, ſi ita loqui fas ſit, ponunt. Sic temperamentum plethoricum; ætas juvenilis; ſuppreſſio evacuationum ſeanguninearum, &c.

Cauſæ occaſionales, eæ nimirùm, quæ corripientes corpus jam diſpoſitum, cauſam proximam ſeu efficientem cum causâ prædiſponente generant, ſunt frigus ſiccum, potus frigidi corpore calente; conſtitutio aëris epidemica; genio occulto agens, abuſus liquorum ardentium, pectoris concuſſiones, ictus, caſus, &c. &c.

Cauſam proximam duplici ſub aſpectu conſiderabimus, vel relativè ad inflammationem, quæ, vigens in plevrâ aut pulmonibus, aut muſculis intercoſtalibus, morbum facit pleureticum, vel relativè ad cauſam materialem inflammationis, undè generatur febris concomitans phlogiſ., quocumque ſub aſpectu non conſentiunt Auctores. Aſt in priori ſenſu probabilior mihi videtur opinio, motus vitalis exceſſum in parte affectâ reponens propter ſpinam inflammatoriam *Helmontii*, undè generantur textus cellularis & vaſorum infarctus; oriuntur calor, dolor, rubor & pulſatio; novumque efficitur vitalitatis & ſenſibilitatis centrum. Verùm minus patet natura cauſæ materialis diatheſeos phlogiſticæ. Si Auctoribus conſulamus, diſſenſum invenimus. Varias proponunt opiniones, obſervationibus ac experimentis ſuffultas *Boërhaave*, *Hewſon*, *Krauſſ*, *Moſcati*, *Pringle*;

undè ſapientiùs opinamus, pro concluſionem tenere, cauſam materialem diatheſeos phlogiſticæ vigere in alteratione propriâ ſanguinis, adhuc verò ſimiliter ignotâ, & quæ, ad producenda morboſa ſymptomatica, cauſam expetit formalem, vigentem in ſenſibilitate individuali, nec-non relativâ organorum debilitate, quâ hoc præ illud afficitur organum & quæ diverſitatem faciei morborum conſtituit.

De venæ ſectione in morbo.

Hiſce poſitis, nemo quin pereipiat, quantum ad ſanationem conducere debet venæ ſectio. Quodnam enim remedium, ad vires nimis intenſas infringendas ac debilitandas, ad motum ſanguiferum effrenatum, ſedandum, ad calorem mitigandum, ad plethoram imminuendam, ad infarctus voſorum præpediendos, ad fluxiones ſanguineas revellendas, demùm ad ſymptomata pleuritica pacanda, venæ ſectione magis opportunum? De illius remedii dotibus ſolus dubium movet *Helmontius*; aſt & *Trilleri* argumentis & quotidianæ obſervationi, quâ conſtat, prætermiſsâ venæ ſectioue, ad ſolutionem peſſimam vergere, aut ſaltem ſub cruditatis ſtadio diù & crudeliter vigere morbum, reſpondeant *Helmontii* fautores. Itaque quandonam, quonam ex vaſe & quotiès ſanguis mittendus eſt, inquiramus.

Ut primum ſolvamus problema, ſtadia irritationis & coctionis neceſſario ponderanda ſunt. In priori, ex ſymptomatum ſimultaneïtate, non autem ex unico ſymptomate, irritationem plus minuſve in-

tenſam denotantium, deſumenda eſt indicatio : in poſteriori, quidquid vires naturæ infirmare & operationem ejus turbare queit, perniciofum judicat *Hippocrates*. Attentè notandum, non à dierum numero, nec ab illis criticis dictis, qui non raró mendaces obſervantur, ſed à majori vel minori ſymptomatum prioris ſtadii longævitate, irritationis præſentiam aut ſolutionem judicari debere : ſic, adhuc vigente irritatione, ſub quinto, ſeptimo, octavo & decimo die feliciter, ſi remedium illud ſymptomata petant, ſecari venam, probant cutationes ſexcentæ.

Semper in pleuritide ſanguinis detractio revulſiva eſt tentanda ſub primo invaſionis inſtanti, ita ut nullum effectum revulſivum habeat illud remedium, jam peractâ congeſtione repetenda eſt ſaphenæ ſectio, quos uſque in pectore fluxus humorum quamdam fixitatem habeat. Snb illâ hypotheſi aperiatur vena brachii, ad plethoram pectoris imminuendam, multô magis idonea. Demùm, congeſtione penitùs factâ, tententur evacuationes ſanguineæ locales, ope ſeu hirudinum, ſeu cucurbitularum ſcarificatarum.

Leges, juxtà quas ſanguinis detrahendi quantitas venit determinanda, nimis individuales ſunt, ut pondus illius fluidi emittendi pronuntiari poſſit. Veros autem & ſapientes tantùm clinicos judicamus, qui, venam ſecando, vires ſufficientes ſervant, ut morbus à naturâ debellari queat. Notandum tamen quod in primâ venæ ſectione, & nullâ vigente contraindicatione, plenâ manu ſanguis detrahi debeat. Operatio illa ſecundùm ſymptomatum ferocitatem

& ægri vires plus minuſve impoſterùm repetenda eſt. Verùm autem ex præſentiâ aut quantitate cruſtæ lardaceæ, *Coëna* dictœ, in ſanguine emiſſo repertæ, tantummodò ſeſe gerere non debet Medicus; circumſtantia illa, ſicuti unum ex ſymptomatibus, conſideranda eſt. Verùm non ex unico ſymptomate, ſed ex ſymptomatum ſimultaneïtate, agendum. Reipsà 1°. in pleuritide rheumaticâ ſæpiſſimè eam detexit *Stool*; 2°. viget etiam coëna in inflammationibus pleuriticis à fomite gaſtrico procedentibus; 3°. in ſtatu ſanitatis quandoque cruſta illa in ſanguine reperitur; 4°. juxtà *Pringlii* obſervata ſanguis emiſſus, denſitate phlogiſticâ donatus, cæteris paribus, non æqualiter juvat pleuriticos & dyſentericos; 5°. denſitas phlogiſtica non eſt in ratione directâ periculi; 6°. ſæpiſſimè plures poſt venæ ſectiones ſolummodò apparet coëna illa, quamvis à pluribus diebus vigeat inflammatio. Plurima alia, in operibus *Sydenhamii*, *Haënii*, D. *Delamure* explanata, objici poſſunt. Sufficiunt jam in iſtâ diſſertatiunculâ expoſita, ut pro concluſione teneamus, *conducere in pleuritide verâ ſeu phlogiſticâ venæ ſectionem.*

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

ANIMADVERSIONES

QUÆDAM

CIRCA

AURIGINEM A CALCULIS ET CONCRETIONIBUS BILIOSIS PROCREATAM,

Quas in augustissimo ludovicæo Medico Monspeliensi tueri conabitur, argumentantibus ill. professoribus regiis D.D. P. J. BARTHEZ, Universitatis cancellario; G. RENÉ, decano; A. GOUAN, pro-decano; F. BROUSSONET; F. VIGAROUS; H. L. BRUN; H. FOUQUET; J. B. T. BAUMES.

Auctor,

Ludovicus Baudot, ex urbe sancti Gengulphini regalis olim diœcesis Cabillonensis apud Burgundos, nunc in novâ partitione dictâ, Saone et Loire, in almâ et celeberrimâ Universitate Monspeliensis liberalium Artium Magister, nec-non ejusdem Universitatis jamdudùm Medicinæ Alumnus.

Pro Baccalaureatûs Gradu conſequendo.

MONSPELII,
Apud Joannem-Françiscum Picot, Univerſitatis Medicinæ Typographum.
M. DCC. XCI

SUÆ MATRI DILECTISSIMÆ

NEC-NON

AVUNCULO SUO CARISSIMO

CHAILLOT,

PACIS JUDICI,

UT pietatis, reverentiæ et grati animi signum, hæc tentamina

Dicat, Vovet, Consecrat

LUDOVICUS BAUDOT.

NATIONI,
LEGI,
REGI.

ANIMADVERSIONES

QUÆDAM

De Aurigine à calculis concretionibusque biliosis procreatâ.

Quanta m rborum familia eſt ab unâ eademque materie, tanquam protoparente oriunda! Stoll, pag. 247, tom. 3.

ANIMALIS œconomia in suo physiologico statu servatur, quandò omnes partes inter se consentientes primum ordinem à naturâ propositum retinent. Ast primario ordine perverso, malum, diversa mala, quippè miris in modis protheiformis ludit natura. Bilis quæ inter humores aliquo modo principatum tenet perverti potest, et perversionem istam esse repetendam

videmus à diversis causis. Peccare non nequit abundantiâ, spissitudine, tenuitate et variis etiam causis canales sibi natos derelinquere cogitur, undè icterus varius. Huic morbo variæ denominationes tribuuntur. Latini dixerunt regium morbum quod regali ferè luxu ad curationem ejus opus crederent, lecto etiam et conclavi cultiore, usu, loco, ludis, lasciviâ, aliis per quæ mens exhilaretur; ob quæ regius morbus dictus videtur; alii dixerunt arcuatum à similitudine iridis ob varium colorem; alii dixerunt auriginem à colore flavo (1).

Quoad definitionem hujusce morbi ex *Galeno*: *icterus est bilis refusio in cutem quo fit ut superficies tingatur; luteaque fiat et vitietur cutis, albæ quoque ventris dejectiones fiunt, eo morbo affectis.* Cum autem diversus sit, tot sunt species morbi regii quot colorum quibus corpus subindè tingitur varietates. Sic præter icterum flavum et nigrum à neothericis admissum, vidit etiam icterum viridem cum gravissimis symptomatibus (2) ità *Galenus* observavit imperatoris servum qui viperas venari solebat, ab hoc animali demorsum, viridi, poraceo colore totum corpus perfusum habuisse (3). Duplicem plerumque speciem icteri ponere solent medici, flavum nempè et nigrum quanquam inter hæc extrema infinitæ sint va-

(1) *Celse* de medi. lib. 3, cap. 24, p. 176.

(2) *Faber* ab Ethmullero citatus in libro de ictericis, pag. 263, tit. 1.

(3) *Gali.* de locis aff. lib. 5, cap. 8.

rietates. In acutum et chronicum, symptomaticum et idiopaticum, in generalem et partialem, in continuum et periodicum, in febrilem et apyretum cognoscitur. De nigro nil, dumtaxàt de flavo verba faciam.

In genere constans observatio est prima icteri signa in oculis et urinâ apparere, nam bilis cum saponaceâ virtute pollet, facillimè in aquosâ parte sanguinis solvitur, et cum eâ migrat per vasa tenuissima, ad quæ pervenire nequit pars sanguinis rubra; et ex partibus quæ à flavo sanguine sæpiùs ac faciliùs inficiuntur, membranæ præsertim sunt adiposæ, et quæ in oculis conjunctivæ appellantur. Aliquandò objecta apparent flava, si cornea tunica bile tota saturata sit; et oculorum humores summa flavedine infecti sint (1). Icterus flavus cognoscitur, immisso linteo in urinam ægri, si croco quasi tinctum extrahatur; in aliis urinis colore licet intencissimè flavo tinctis non evenit. Succedit idcircò hic color flavus primò oculos, et urinas, dein tempora, posteà vero successivè totum corpus tingens, fœces nequaquam consueto colore tinctæ, sed albidæ, veluti argillæ similes, aliquandò durissimæ, (et quod explicationem fugit ut dicit celeb. *Cullen*) ob obstructionem choledoci. Alvus tùm segnis, rara, deficienti naturali intestinorum stimulo. Universæ partes corporis à membranis usquè ad ossium substantiam flavedine reperiuntur maculatæ. Per omnem cutem vel tantùm in

---

(1) *Morgag.* de ſed. & cauſ. epiſt. 37, t. 2.

peculiari parte intolerabilis prurigo; cutis arida, mens triſtis, ſumma animi anxietas, vires proſtratæ, appetitus proſtratus, os amarus, vomituritio aſſumptis cibis, materiæi bilioſæ vomitus, digeſtio mala et laborioſa, dolores ad ſcrobiculum poſt paſtum. Adſunt præterea laſſitudo totius corporis, cephalalgiæ admodum intenſæ, dolores in regione lumborum gravativi, dolor et tenſio hipocondrii dextri, reſpiratio difficilis. In loco cui reſpondet ductus choledocus magna perſentitur conſtrictio. Febris quandoque vel ante icterum, vel ſub illius decurſu; ſapor amaricans quia bilis ſuffuſa in limphâ reperitur. Fieri etiam poteſt ut poſt ſanationem perfectam idem amaror ſine ictero experiatur ut bilioſis evenit. Hæc cuncta ſymptomata nequaquam ſemper conſpiciuntur in ictericis ſubjectis; differunt verò pro variis icteri cauſis.

Quidquid regurgitationi bilis in ſanguinis maſſam favet, quidquid conſequenter bilis ſecretionem aut excretionem in duodenum impedit, ductus biliarios obturando, comprimendo, conſtringendo, conſiderandum venit ut auriginis cauſa.

1°. Omnes jecoris affectiones, ſic *Galenus* dicit: *morbus regius, fit aliquandò criticus, naturâ in totum corpus et præcipuè ad cutem flavam deponente. Fit autem et hujus-modi caſus, hepate malè ſe habente. Atque ejus affectiones malæ ex quibus morbus regius ſolet advenire, tres ſunt, tumor durus, inflammatio et obſtructio. aph. 64.*

In genere materialis regii morbi cauſa eſt

bilis ipsa, abundantia, spissitudo hujusce humoris, pituitosa, viscida colluvies in duodeno hærens et se osculo choledoci opponens; à cibis dispeptis, glutinosis, mœconio tenaci, colostro casæoso, colone fœcibus induratis turgens, graviditas.

3°. Spasmus ab animi pathematibus, ut ira, terror, lætitia, mœror, contumaxque tristitia, venena assumpta; morsus venenatorum, vomitoria, drastica, vermes, ac per consensum à læsionibus doloribusque vicinarum et remotarum partium excitatus, spasmus histericus, hypocondriacus, menses suppressi, hæmoroïdes suppressæ (1), febres gastricæ, ardentesque febres, etc., etc.

4°. Demùm calculi fellei et concretiones ut frequentissima auriginis causa considerantur. Medela pro diversitate causæ et symptomatum differt. Omnes istas divisiones enucleare desiderassem. Hoc verò tironi nimis arduum foret. Quamobrem ex omnibus hujusce morbi causis tantùm unam amplectar, scilicet de aurigne à calculis concretionibusque biliosis procreatâ agere animus est.

Bilis spissior retenta nimis in vesicâ felleâ majorem crassitiem acquirit et obdurescit. Itaque cum *Vatero*, *Veslingioque* calculorum origo fit è flavâ bile, quæ proprio conceptaculo diutiùs coerita, quia non evacuata, nec novo influxu renovata, mirum in modum ad soliditatem

---

(1) *Kæmphf.* enchiridi med. de ictero, p. 116.

tendit (1) ; vel partes bilis remanentes in nucleum congerunt, vel varios efformant nucleos ita ut calculi fiant plus vel minus numerosi intra cystidem felleam. Iidem calculi substantiam hepatis infarcire possunt et inveniri in ductibus biliariis ; quia, cum bile particulæ æquò crassiores et viscidiores fluunt per vasa biliaria, sistunt paulatim interea et tandem adeò ut hepatici ductûs rami aut truncus ipse aut ductus communis infarciantur. Indè bilis impedita intra vasa sanguinea et ab hepate quasi exclusa retinetur intra sanguinis alveum. Cysticum non dico propterea quod hujus obstructio per se non potest iter ab hepate ad intestina impedire. Hi calculi à bile exsiccatâ efformati, ignem facilè concipiunt propter oleosam partem, levesque sunt adeò ut aquæ innatent. Idcircò ab aliis qui hiis-ce dotibus vel caracteribus nequaquam pollent, distinguntur. Sic plures creantur, omnem figuram, omnes colores exhibent, et aliquot autores (2) referunt illos ad nigredinem eò accedere quò ad senectutem properant ægrotantes ; quod omninò erroneum est ; si quidem calculi flavi in sene reperti sunt, dùm in adulto nigri visi fuere. Magnitudo, numerus, pundus etiam calculorum præbent varietates, etenim alias semi ovum gallinaceum, ovum columbinum, aliàs exigui et milii seminibus similes. Cystis duorum pugnorum magnitudinem aliquandò dedit, cum esset hujusmodi lapillis referta. Vide *Morgagni*, nec-non *Ba-*

---

(1) *Morgag.* epiſt. 37, p. 223.

(2) *Reverhorstius*, dissert. de motu bilis, s. 57.

tonis *Swietenii* observationes. Si frangantur calculi intùs in circulos sibi invicem superstratos efformati conspiciuntur, ita ut videre sit cuivis saltem obiter advertenti quomodo lenta et viscosa bilis à centro adusque superficiem sensim adherescens acreverit.

Qui calculis morboque regio laborant calculoso, sunt solitò liquorum potatores ardentium, vino mœraciori utentes, qui ad senectutem procedunt, qui otiosam vitam degunt, ut qui libris impalescunt, quique post pastum, pleno admodum ventriculo mensis assident, prono corpore, sicque omnia comprimuntur viscera abdominalia, præcipuè autem qui diuturno mœrore afflicti sunt. Sic *Fréd. Hoffemannus*, rarius in hominibus ætatis florentis, frequentius verò in senibus, in fœminis crebriùs quam in viris reperiri calculos asserit. Sic etiam *Hallerus* repetit ab otio frequentes calculos vesicæ felleæ quos in reis diù carceri inclusis reperit (1). attamen omnes apud quos lapides concretionesque in cystide latent nequaquam semper regio morbo affecti sunt. Etenim quando calculi in vesicâ felleâ et in ejus fundo quietè jacent; nullas procreant sensibiles molestias. Visi fuere calculi in subjectis nunquam ictericis qui per omnem vitam sine ullo incommodo tulerunt. v. g. Anus à vulnere capitis recenter obita præbuit in sectione cystidis, decem calculos dispari quidem magnitudine. Attamen nullam fuerat passa (2) (3).

---

(1) Comm. in *Boerh.* aph s 950.

(2) *Morgag.* epiſt 37 . p. 236.

(3) Le Roi Frédéric n'eut jamais la jaunisse, et cependant on lui trouva dans la vésicule du fiel trois grosses et trois petites pierres angulaires. *Rozen.*

Ex dictis jam facilè patet tales calculos icterum non producere nisi exitum bilis ex vesicâ felleâ impediverint.

Icterus pertinax et per intervalla recrudescens, dolores post pastum, vomitus secessus-ve spontanei et biliosi dant præcipuum symptoma calculorum concretionumque presentiæ. Idem asserit *Cullen*, quando dicit : » La jaunisse calculeuse ou produite par les concrétions biliaires se reconnoît à une douleur aiguë de la région épigastrique qui augmente après le repas, et l'on observe des concrétions biliaires dans les excrémens. «

Paroxsymus talis icteri evenit quando calculi in fundum vesicæ hærentes ab aliquot causis, v. g. abundantiâ cisticæ bilis, vomitu, nimiâ exercitatione, etc. evelluntur et ad duodenum sese ferunt. Tùm solita animadvertuntur hæ symptomata : quædam tensio molesta circa præcordia et ponderis quasi gravantis sensus, tum levis quandòque flavedo in cantho majori oculorum, urinæ flavo colore tinctæ, fœces alvinæ plus vel minus coloratæ, subitò oritur in explicabilis anxietas, dolor intolerabilis circa cardiam, imò etiam per totum abdomen, quem tunc colicum iliacumve existimant ægri, respiratio difficilis, febris accedit, vomitus enormis et biliosus, cumque per aliquot horas hæ symptomata duraverunt, remittunt, sed totum corpus icterico colore perfunditur (1).

---

(1) Kaemphf. enchiridium. p. 118.

Dùm magnæ illæ anxietates vomitus et dolores adsunt, dum etiam hæ cessarunt et icterus successit, auxilia tùm interna, tùm externa veniunt adhibenda. Etenim, cùm molestissima urgent symptomata, satagendum est ut minuantur non solum ne æger torqueatur et in periculum inflammationis conjiciatur, verum etiam ut calculus ad duodenum perveniat. Ad id maximi sunt momenti laxantia, emollientia, quibus sunt adjuncta diluentia, anodina, temperatissima antispasmodica et etiam opiatica. Idcircò nil meliùs est quàm dare magnam copiam hordei cum melle decocti ut vomitus promoveatur. Prodest etiam decoctum florum sambuci, chamomillæ, croci, verbasci, cum melle et syrupo preparatum altehæ copiosè sumendum, quod post singulos vomitus ingeritur, sthomaco adhuc nauseanti. Salubre enim hoc naturæ molimen conducit quàm optimè ut loco suo moveantur calculi et bilis accumulata exprimatur (1). Ex iisdem emolientibus cataplasmata, adjecto sapone veneti preparata, regione hepatis imponenda; emolientia crebrò clismata oportunè sunt injicienda, cum parvâ dosi salis arcani duplicati, vel seignette, vel etiam cum mannâ, cremore tartari, nitro.

Calculi autem sat magnum volumen servantes nixus ingentes efficiunt ad canalem superandum, in cruciatibus illis non facilè desperandum de possibili eorum egressu ex cystide felleâ in duodenum, quanquam ex anatome constet arc-

---

(1) *Van-Swieten*, s. 950, p. 136.

tam hanc viam esse. Etenim observationes certissimæ ac numerosissimæ docuerunt miro modo illam dilatari posse, ita ut magni etiam calculi exitum inveniant. Canalis choledocus dilatationem subire potest adeo ut digitus index introimittatur (1). *Bezoldus* refert communem cysticum et hepaticum ductum intra hepar usque dilatatos; ut orificium duobus transversis digitis æqualem haberent, in sene cujus in cystide, psæsertìm verò in hepatici ductûs ramis calculos reperit. *Morgag.* epist. 37, p. 253. Ubi intolerabilis anxietas et vomitus nimis violentus, aut dolor acerrimus urgent, pulsus frequens, plenus et durus sit, opium in emulsione oleosâ mannatâ, cum optimo successu adhibendum, præmissâ interdum venæ-sectione, si plethoricus sit æger, ne vasa hepatis rumpantur, ne inflammatio superveniat. Dico ad opiatica esse recurrendum, tùm quod summum dolorem mitigent et faciliorem exitum parant, tùm quod spasmos debellant, forte ductum cysticum aut communem contringentes. Demùm balnea tepida, fomentationes, cataplasmata, injectiones in alvum. In hoc casu aliquot vomitum suadent, aliquot rejiciunt. Tandem iterum, expulso calculo qui in fœcibus alvinis observatur, sedatis doloribus et spasmis non purgandum drasticis, ne dolores revocantur dumtaxat intestina lenioribus remediis abstergenda. Oleum ricini adhiberi potest ut leve purgans ad dosim trium unciarum. *Quarin.* Succus taraxaci ex-

---

(1) *Van-Swieten*, s. 950, p. 136.

pressi aut ejus extractum liquidum cum terrâ foliatâ tartari longissimo tempore sumendum, aquæ spa, ut alvus mollior persistat.

Post paroxysmum attendere debet medicus ad dissolvendos calculos adhuc in vesicâ felleâ latentes quod eò faciliùs fiet, quò citiùs hoc malum cognoscitur, et cognito efficax medela adhibetur. Sed ad illos dissolvendos nullum noscitur specificum remedium. Verùm quidem est quod largò et continuo usu fundentium ac diluentium, ut succi vegetabilium, scilicet cichorei, graminis, taraxaci, fumarii et similium ad sanationem pervenire potest. Sic pulchrè observavit *Tissot* per hiemem colligi concretiones intra vesicam felleam et ductus biliarios, aqud boves in stabulis enutritos vegetabilibus siccis, quibus liberantur dum recenti gramine pascuuntur. Mæracissima decocta ex plantis jam dictis cum sero lactis parata quibus additur aliquod sal, veniunt sumenda; sirupus quinque radicum aperientium, mel in iisdem decoctis maximi est momenti, quia ex *Boërhaavio*, in affectionibus hepatis ut eximium fundens et resolvens multum agit. Tali medelâ minuta quasi fragmenta calculorum cum fœcibus alvinis exeunt, sic *Swietennius* curavit sexagenariam mulierem quæ per duodecim annos ictero laboraverat, in initio per periodos redeunte, sed ultimo anno hanc continuo excruciante, pertinaci usu graminis seri lactis et similium verno tempore; æstivis mensibus, aquis spadanis; hieme, magnâ copiâ saponis veneti cum melle per biennium ferè annum iis remediis sese dederat. Idem auctor narrat hominem

à plurimis annis calculo laborantem solò gramine vivere. Decoquebat enim magnam quantitatem graminis in aquâ purâ, decocto melle edulcorato utebatur pro potu communi, tenerum gramen verno tempore pullulans incoquebat carnium jusculo, illoque solo utebatur cibo. Per integrum ferè biennium, solis hiemalibus exceptis mensibus, sic vitam degit et ab aurigine pertinacissimâ fuit sanatus.

Inter remedia peculiarem vim ad solvendos calculos, optimos effectus promittit specificum quod proposuit celeberrimus *Durande* apud Divionenses medicus. Constat duabus partibus ætheris vitriolici et unâ olei stillatitii terebenthinæ dantur guttæ à duodecim usque ad vigenti et ultra, sacchari frustulo instillatæ. Cum sero lactis per plures menses adhibeatur; ac si calorem moveat nimium, refrigerantibus, aut antiphlogisticis, tandem diæta aptatâ utendum est. Aliquot diaphoretica sumenda, ex eo quod cutem ex colore flavo purgare queunt. Si cuncta hæc remedia sint sine successu, aurigo fit pertinax, diuturna, soluto nimis sanguine à bile admixtâ; solet immedicabilis, lethalisque hydrops subsequi.

Dissolutis superatisque calculis, nunc attendendum est ne renascantur, ad id vitia tum jecoris, tum massæ sanguinis debellanda sunt. 1°. Robur hepaticum adaugere, obstructiones propugnare aperientibus diu continuatis; aquæ martiales, serum lactis, diæta demulcens, conducunt. 2°. Ad vitia sanguinis expellenda abstinendum est à somno nimio, à vitâ otiosâ, cibis potionibusque pravis, ab affectionibus animi

gravibus ; tandem per diætam emollientem sicut et relaxantem vitiis hisce obstabit Medicus.

Calculi in vesicam felleam hærentes aliquando sunt adeo magni ut ad duodenum pervenire nequeant. Maximos dolores et cruciatus procreant ; inflammatio supervenit ac parum spei adest. Ast autem fieri potest ut cystis bile retentâ ac inflammata peritonæo adhæreat, et in suppurationem versa, tumorem externum efficiat, qui naturalem exitum sibi efformet, vel chirurgi auxilium postulet. Tales aperturæ in lucem prodeunt bilem spissatam cum calculis plus vel minus numerosis, plus vel minus magnis. Tàm justè buccinatus *Petitus* (1) primus fuit qui possibilem proposuit sectionem ut calculi educerentur. Ast observationes lugendæ probant periise illos quibus bilis, non accretâ peritonæo vesicâ felleâ, in abdominis cavum per vulnus factum viam sibi fecerat. Ast plurimi fuerunt sanati. Etenim apud *Morgag.* ad finem epist. 37. ex tribus subjectis, unus optimè fuit sanatus ; unus fistulam servavit per quam humor flavus distillat ; alter continuo ulcere quod cum sanie calculos emittit, fuit donatus. Idcircò post hanc lithotomiam cavendum est-ne subitò recludatur vulnus ; natura enim solatium sæpè habet in continuo hocce effluxu.

---

(1) Mém. de l'Accad. de chir. t. 1, p. 155, 188.

FINIS.

PROPOSITIONES QUÆDAM

DE

PRINCIPIO VITALI HOMINIS FUNDAMENTALES.

Quas Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, publicis diſputationibus ſubjiciebat,

Bartholomæus Fraissinede è loco Tortrés apud Aginnenſes, in partitione nunc vocatâ Lot & Garonne, Liberalium Artium Magiſter, & Medicinæ jàm-dudùm Alumnus, pro trimeſtri Januarii anni 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

MONSPELII,
Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI,

OPTIMO SUO PATRI

MATRIQUE SUÆ CARISSIMÆ

HAS laborum in arte Medicâ primitias ut amoris & gratitudinis monumentum

Dicat, Vovet & Conſecrat,

Addictiſſimus reverentiſſimuſque filius

B. FRAISSINEDE.

LA NATION,
LA LOI
ET LE ROI.

PROPOSITIONES
QUÆDAM
DE
PRINCIPIO VITALI HOMINIS FUNDAMENTALES.

I. HOMO, dum vivit, componitur ex animâ ſubſtantiâ ſpirituali, ex corpore ſubſtantiâ materiali, alteroque principio cujus natura nos fugit.

II. Cogitationes noſtræ ens ſpirituale mani-

feſtant, & corpus noſtrum materiæ proprietates demonſtrat.

I I I. Anima, principium actionum organorum noſtrorum, dici non poteſt; atque obſervata ſunt in animalibus phœnomena à legibus Phyſicorum in vanum explicanda.

I V. Plurimæ, abſque conſcientiâ & nobis inſciis, actiones organorum noſtrorum perficiuntur; atque in genere motus vitales cauſis phyſicis aſſignatis ſuperiores cauſas requirunt (III).

V. Ergo corpori humano adeſſe debet alia cauſa quæ vitæ phœnomenis præerit (I).

V I. Illam cauſam, *principium vitale* (1) appellabimus, ejuſque phœnomena ad ſenſum, motum, caloremque reduci poſſunt.

---

(1) Hoc nomen, cum illuſtriſſimo noſtro Cancellario D. *Barthez*, retinemus; cenſemus non incongrue confundi cum ſenſibilitate ſeu irritabilitate, cum ſunt ejuſdem principii facultates. Cæterum *impetum faciens Boerrhaavii* idæam nimis circumſcriptam præbet. Aliundè nomine generaliori *naturæ* ſæpiſſimè deſignatum invenitur tùm apud veteres tùm apud recentiores; *Hippocrates*, *Enormon* eum appellavit; *Archæi* no-

VII. Indubitate principium vitale animæ & corpori conjungitur, ab his tamen diſtingui debet, horumque conſequenter abſtractione factâ, conſiderandum eſt.

VIII. Animi pathemata & contentio principium illud modificari videntur.

IX. Principium quoque vitale imperium voluntatis modò ſervat, modò recuſat.

X. Ab illo immediatè corpus movetur atque per læſionem partium irritari poteſt.

XI. Plures ſenſationes ſimultaneas habere, ac plures motus ſimultaneos producere debet (1),

---

mine deſignavit *Van-Helmontius* : denique ad qualitates ocultas antiquorum redeunt ferè omnia quæ de naturâ hujus facultatis ſcripta ſunt, quâ functiones organorum noſtrorum peraguntur.

(1) Fruſtrà talis facultas animæ tribuenda eſſet; naturæ ejus ſimplicitas plures perceptiones ſeu ſenſationes ſimultaneas excludit, ergo immediatè plures motus ſimultaneos producere non poteſt, cum plures voluntates ſimultaneas habere non poteſt & motus à ſenſu pendere debeat ut infrà dicetur.

XII. Talia attributa (XI) animæ non conveniunt ; corpus quoque cum extentionis proprietate percipere non poteſt, ejuſque inertia motum ſpontaneum excludit.

XIII. Ergo per propoſſtiones VIII - XII ſatis ſuperque patet propoſitio VII.

XIV. Omnes partes corporis humani principio vitali gaudent ; & vires ejus in iiſdem diverſis partibus differentes, inter ſe neceſſariò conjunguntur.

XV. Functiones noſtræ à virium unitate propagantur, per diviſibilitatem verò debilitari vel extingui debent.

XVI. Quidquid igitur de hoc principio dici poteſt in hoc includitur : totum corpus ab eodem unoque diviſibilique principio ſentit, movetur, & caleſit. (VI, XIV, XV.) (1).

---

(1) Unitas quam in principio vitali agnoſcamus ſatis manifeſta eſt per totius corporis ſympathiam quandò organum quoddam afficitur : diviſibilitas verò per irritationem partis ab animalis trunco reſectæ, ubi motus adhùc apparere poteſt.

XVII. Senſibilitas (1) ſive facultas ſentiendi vi activæ principii vitalis tribui debet & nullomodò paſſiva concipi poteſt.

XVIII. Senſus à motu numquam produci poterit.

XIX. Irritabilitas ſive facultas movendi à facultate ſentiendi determinari videtur : partes enim à corpore animali reſectæ , atque per irritationem motæ , ſenſibilitatem , tanquam eorum effectuum , cauſam agnoſcere debent.

XX. Facultas movendi ſine ſenſibilitate exiſtere nequit (XIX). Sed huic ſenſibilitati non eſt eſſentialis (XVII , XVIII) quamquam virium motricium variationes ſenſibilitatem modificari poſſunt.

XXI. Senſibilitas à cohæſionis fibrarum varietate immutari obſervatur : quò major enim vel minor ſit in organum partium cohæſio , eò contrà vires ſenſitivæ imminuuntur vel augentur (2).

---

(1) Senſibilitas ab animæ facultatibus in hocce caſu diſtingui debet : ſenſibilitas enim ut cauſa facultatis movendi , agens per irritationem , habenda erit ; atque animæ ſenſationes exiſtunt per attentionem ejus in exteriora factam.

(2) In hocce paragrapho intelligi debet minor cohæſio partium , à majori mollitie quam requiritur ad ſanitatem.

XXII. Irritabilitatem inter & ſenſum nulla relatio certa datur, & vires motrices certam fibrarum cohæſionem requirunt ut energiâ quâdam donentur: in organis enim nimis arctis nimiſque laxis debilitatur.

XXIII. Senſibilitas & mobilitas in ratione reciprocâ intenſitatis ſuæ non exiſtunt (XXII): dùm medullaris nervorum ſubſtantia multum ſentit & parùm movetur: in corde verò ſenſibilitatem multùm ſuperat.

XXIV. Omni ætati & temperamento adeſſe debet in mobilitatem virium ſenſitivarum influentia quamquam eorum relatio ſtabiliri non poteſt (XXII, XXIII).

XXV. Omnes partes corporis humani vim ſenſitivam habent (XIV, VI). Atque illa vis in diverſis organis quoad gradum differentes (XIV), in iiſdem etiam ſpecifica eſt.

XXVI. Totum corpus à viribus motricibus inſtruitur (XIV) eorumque effectus fiunt, vel per expanſionem, vel per contractionem, vel per connexionem fixam relativamque fibrarum.

XXVII, Omnia organa corporis humani vivi vim cohæſionis habent in quam vires motrices influunt.

XXVIII. Vires motrices ſicut cohæſionem partium momentaneam (XXVI), denſitatem fibrarum permanentem per exercitium repetitum, augere poſſunt (XXVII).

XXIX. Principium vitale in fluidis noſtris reſidere debet (XIV).

XXX. Senſibilitas per eorum affectiones ſympathicas demonſtratur & humores noſtræ per motum inteſtinum, vitalem, formare debent (1).

XXXI. Motus (motus inteſtinus) fluidorum vitales, & motus ſolidorum correſpondere obſervantur.

XXXII. Calor niſi per motum producitur : ergò principium vitale tam in ſolidis quam in fluidis calorem immediatè producit.

---

(1) Extrà omnem dubium habemus quod actio phyſica parti fluidorum maſſæ communicata, non per leges phyſicas in totam maſſam repetatur.

D I X I.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

SPECIMEN ACADEMICUM
DE
FEBRE INFLAMMATORIA SIMPLICI,

Quod, Deo duce, in auguſtiſſimo Ludovicæo Monſpelienſi, adversùs impugnantes tueri conabitur,

AUCTOR

L. Petrus Jolly, è Municipio *du Givre*, in partitione vocatâ *la Vendée*, Liberalium Artium Magiſter.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Salus populi ſuprema lex eſto.

MONSPELII,
Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

Anno Domini 1791, Libertatis ſecundo.

DILECTISSIMÆ MATRI

MARIÆ FRAPPIER JOLLY

NEC-NON

AVUNCULO VENERANDO

FRAPPIER DE LA POIRAUDIERE

ATQUE

AFFINI SPECTATISSIMO

DESAYVRES DESGUERCHES

LUDOVICUS-PETRUS JOLLY

TENTAMEN HOC MEDICUM

TANQUAM

PIETATIS REVERENTIÆ GRATI

ANIMI SIGNUM

D. V. C.

LA NATION,
LA LOI
ET LE ROI.

DE FEBRE

INFLAMMATORIA SIMPLICI.

AB ortu uſque ad mortem, homo, non ſolùm converſione tempeſtatum, ſed etiam à circumambientibus vexatur. At natura eximiâ parente rectus, noxium quid repellendi rationes ſcrutatus eſt. Hinc origo artis medendi; quæ tam præclaras & innumeras involvit ſcientias, ut dignitatem amplificare & ſuprà alios dominium mereri videatur illi, qui eam peritè excolit. Peritus etenim Medicus *homini Deus eſt.*

Abſque complicatione exiſtens febris inflam-

matoria, in his climatibus rariſſima eſt, frequentior in algidis oris, atque paſſim in iis quibus gelidus ac aridus ventus ſpirat. Ineunte vere, cum longiùs protracta fuit hiems, ut plurimùm ſævit. Viros in ætate florente, robuſtiores, ſenſibiles, plethoricos, rigidâ præditos fibrâ, & illibatâ jam dudum ſanitate fruentes, adoritur. Eâ juvenes gravidæ mulieres laborant ſæpiſſimè.

Cum epidemicè furit, ſenes ſequiorque ſexus ab eâ non immunes ſunt. Attamen minus apud iſtos viget, ob humoris pituitoſi in ſanguinem prædominium, vel ob ſolidorum mollitiem.

Ingluvies, aromatum, narcoticorum, alimentorum jurulentorum, v. g. vini, abuſus; motus immodici; ſaltus nimii; præterea deſidioſa lautaque vita (1); inſolatio; balnea nimium calida; refrigerium; hiems; nonnullarum evacuationum naturalium ſuppreſſio, præcipuè ſanguinearum; animi pathemata; vigiliæ protractæ: denique

(1) Epiſcoporum & Monachorum febrem nominabat Savanarole.

quidquid valdè ſanguinis velocitatem & viſcoſitatem vel fibrarum tenſionem adauget, pro causâ communi remotâ haberi poſſunt.

Quod attinet ad proximam cauſam, SELLIUS, in ſuâ medicinâ clinicâ, acrimoniam peculiarem humorum exiſtere exiſtimat, quæ ſtimulo ſuo ſanguinis circulationem adauget, & excretiones moratur. Alii auctores, acrem atque ſpiſſum ſanguinem, obſtruentem vaſa lymphatica minima (1), in diverſis corporis partibus, pro causâ habent.

Corripit abſque multis prægreſſis prodromis; notatu dignum eſt iſtud ſignum, quando quidem hujus ope, hæc febris mox ab ingreſſu, ex illis diſtinguitur, quæ à colluvie in primis viis pendent; ut pote quæ plerumque jam à longè præcurrentibus ſignis annunciantur. Matutino tempore circà horam ſecundam tertiamve poſt mediam

(1) Silentio præterire nequeo quantùm debeat academia Monſpelienſis amiciſſimo Doct. DES GENETTES, qui hoc ſyſtema demonſtrationibus & experimentis, tantùm illuſtravit.

(Vide journal de médecine pro menſe ſeptemb. ann. 1790.).

noctem, cum horrore incipit paroxiſmus, uſque ad quintam aut ſextam perdurans. Initio, dolore verſus ventriculi orificium, nec-non faſtidio, nauſeis protenſis, imminentibus depurgationibus, nonnunquàm concomitatur. Pulſus durus, plenus, celer, interdùm parvus, cùm maxima adeſt plenitudo: at poſt ſanguinis miſſionem fortior evadit. Cutis fit arida; oculi ſicci; facies rubra; lingua arida, alba & non impura; conditioni linguæ ſitis proportionata; vires bonæ; reſpiratio difficilis; quandoque tuſſicula cum aut ſine ſputis; alvus adſtricta; urinæ rufæ, claræ, & abſque contentis; excrementa parca, aliquotiès ſupreſſa; hallucinatio veſpertina; ſomnus levis breviſque; delirium; nulla ſigna putredinis, nec ſaburræ in primis viis; ſymptomata correſpondentia.

Accidit præſertim quarto & ſeptimo die, aliquoties undecimo, tardius decimo quarto, criſis. Conſtanter per hæmorrhagiam narium, hæmorrhoïdumve apud viros, per uterum apud mulieres, per urinas & per ſudores terminatur: non ſæpè per diarrhæam, niſi quædam adſit com-

plicatio ſaburræ antè aut per morbum productæ.

Cephalalgia, rubedo, hebetudo oculorum, lacrymæ involuntariæ, narium pruritus, arteriarum carotidum temporumque pulſus, hæmorrhagiam narium prænuntiant. Lumborum & hippogaſtri gravitas, ſenſus ardoris circà urethram, criſim per urinas præcedunt. Sudores criticas futuras, urinæ parcæ, mollis & pruriginoſa cutis, pulſus undoſus, præſagiunt.

Si ex horum ſignorum præſentiâ, hariolari licet naturam criſim moliri, & conatus irritos adhibere, juvanda eſt diverſis mediis, relativè ad viam, quam ad criſim elegit. Sic membranam pituitariam vaporibus relaxare, aut lenibus errhinis ſtimulare oportet. Si abundantius fluit ſanguis (quod raro evenit) quodque ægrotantis debilitate dignoſcitur, PIQUER (1), ut ſiſtatur, potionem compoſitam ſpiritu vitriolico, adjecto SIDENHAMI laudano præſcribit; in naribuſve introductionem lintei madidi ſpiritu vini rectificati, & ſimul ejuſdem ſpiritûs applicationem

---

(1) Tract. feb.

lintei ope in ſe reduplicati ſuprà frontem.

Sudorem diaphoreticis juvare oportet. Succus limoniorum ſaturatus *alkali volatili*, nec-non fomentationes tepidæ, balneaque tepida, paginam adimplent. In medium profert HUXAMUS (1), multùm præſtare utilitatis balnea brachiorum, manuum, femorum, pedumque, in febribus ex genere inflammatorio. levibus diureticis excitantur urinæ.

In medendi ratione, 1°. plethora deſtruenda eſt; 2°. ſolvendi ſunt humores, fibrarum tenſio minuenda; 3°. danda opera, ut remediis relativis ad evacuationes criticas, juvetur natura.

Largior venæ-ſectio (2) inſtituenda eſt initio: repetenda pro urgentiâ ſymptomatum, virium atque ætatis ægroti, habitudinis, ſexus, febris intenſitatis, habito reſpectu. Pro iteratione, pulſus durus, reſpiratio difficilis ſunt certiſſima ſigna.

Poſt venæ-ſectionem, in ſuperficie ſanguinis

(1) Opera t. 2.

(2) GALENUS ſanguinis miſſionem uſque ad deliquium efficiebat.

ſæpè cruſta ſubflava ſebo conglobato ſimilis, videtur. Cruſta phlogiſtica nuncupatur. Tunc maxima pollet fluiditate placenta vel cruor, quâ ſanè inductus Doctor Hewson, ſanguinem fluidiorem eſſe in inflammatione, quam in aliis morbis, contendit. Phlogiſtici majori copiæ hanc aſſignat illuſt. de Grimaud. Hanc opinionem ſtabilit animalia calida cum frigidis dictis comparando, & experimentis Doctoris Bathini, quibus conſtat ſanguinem ſervaſſe fluiditatem per duo momenta in atmoſpherâ, & viginti, in aëre phlogiſtico.

Nonnumquàm deeſt cruſta; tunc ſanguis, nedum fluidus ſit, tenacem maſſam efformat, quam ſcindere non facilè eſt, ut obſervavere Plenciz & Weisz. Hujus autem duplicis phænomeni ratio, ex lympha ni fallor, repetenda eſt, quæ ſola ad atmoſpheræ calorem coagulum patitur. Hæc in primo caſu ſecedit, in ſuperficiem ſe tollit, ad fingendam cruſtam, moleculis rubris relictis, ſicque anſam præbet fluiditati, tollendo glutten, quo inter ſe jungebantur. In ſecundo caſu verò, cruſta non apparet, eo quod lympha ex quâ

efformatur, moleculis rubris adhærens, cum iis concreſcit, & molem indiviſam efformat.

Plenciz conſtanter in morbis inflammatoriis obſervavit, cruſtam phlogiſticam, & placentæ conſiſtentiam ſibi mutuò ſupplere, ita ut alterutra ex iſtis ſemper exiſteret; unde ſequitur diagnoſim inflammationis ex ſolâ cruſtæ inſpectione valdè incertam eſſe. Prætereà varietates hæcce nil certi ad terminationem morbi fauſtam vel infauſtam indicant, cum hæc in ſaniſſimis hominibus ſæpè obviam prodit ut vidêre celeb. Van-Swieten & Barthez, in hac-ce Univerſitate Cancellarius.

Inter potus attenuantes refrigeranteſque adhibendos, mixtura temperans Sellii, aut tantùm diſſolutio ribeſiorum gelatinæ, oximel ſimplex, inſuper cremor tartari, acidum vitriolicum, ſucci limoniorum, citreorum cum ſaccharo in copia convenienti aquæ, eminent. Hæc omnia tepida. Fracta per venæ-ſectiones phlogoſi, confugiendum eſt ad levia cathartica, ſi adſit conſtipatio: at per morbi curſum, cliſma emolliens ſufficit, modo ut quotidie injiciatur.

Curandum eſt ut lecto abſtineat æger, quantùm vires ſinent; nam vires debilitat. Diæta ſeverior

erit, proſcribenda ſunt alimenta ſolida, ſi verò cardiacam magis requirit naturæ debilitas, tum polenta, decoctum album, ſive paululùm vini, conveniunt. Aër, quantùm fieri poteſt, purus frigidiuſculuſque ſervandus, aquam vel acetum inſpergendo, vel ope ventilationis. Cavendum ne dum renovatur aër, incurſus rectà ægrotantem feriat.

Quod ſi venæ-ſectione adhibitâ, congeſtiones verſus caput obſerventur, quod delirio ſenſibile fit, recurrendum eſt ut docuit celeb. Profeſſor VIGAROUS, ad ſcarificationes, cucurbiculas in nucam applicatas, vel hirudines ad tempora. Vitandus eſt hoc tempore veſicantium uſus, nam non ſolùm ad caput humores urgent, ſed etiam addunt ſal acre ſanguini: prætereà febrem accendunt; excretiones alvi & urinæ minuunt; obnoxios putredini faciunt, & loca ab illis tentata, facilè gangrænefcunt: idcircò STOLL aït « .... Ubi » diluendum erit, laxandæ partes ſolidæ, earum- » que ſtricturæ ſolvendæ, ubi frenandus humo- » rum exhorbitantium motus, à ſtimulo veſican- » tium caveamus. » Attamen, utilem navare operam poſſunt, circa exitum morbi, cùm natura

mali vi & diuturno bello debilitata eſt, præ-primis, cum torpor aut affectio lethargica, imminent.

Cùm ad fauſtam terminationem tendit febris, jàm à die quarto ſigna coctionis profert; tunc reſpiratio facilis; dolor capitis minor; urina craſſior fit, ejus rubedo paleſcit, & ſedimentum lateritum ſecedit; humiditas partium anteà ſiccarum v. g. cutis, linguæ, oculorum, narium, adeſt. Pulſus æqualis eſt, levamen afferunt excretiones, æger tranquillè requieſcit, & expergiſcitur, potens mentis ſuæ, poſt longum ſomnum.

Status ſtipatus maximâ debilitate, congeſtiones continuæ ad caput, hebetudo viſûs, ſicca lingua abſque ſiti, vigiliæ, coma, delirium pervicax, fætiditas & dejectio involuntaria excrementorum, nec-non urinarum, refrigerium extremitatum, mortem proximam præcedunt.

Si nimiæ venæ-ſectiones, hæmorrhagia largior, diæta ſeverior, nimis ægri vires proſtrârunt, lacte cum kina-kina cautè adhibito, & corporis exercitationibus feliciter medetur.

Sæpé etiam in pleuritidem degenerat, quam auctores nominarunt latentem: id evenit præ-

ſertim cùm morbus diuturnior fuit. Concinnè de eâ verba fecit STOLL, dicens : « Decubitus in » utrumque latus aut facilis, aut non multùm » moleſtus, tuſſicula rara, ſicca, aut cum ſputis » paucis, coctis, mucoſis, lingua modiciſſimè » albeſcens, ſitis nulla, oppreſſio pectoris non » niſi in motu corporis, appetitus vigens, nulli » febriles per intervalla motus, aut exigui. »

Ad detegendam exiſtentiam morbi, jubet ægrum in unum modo in alterum latus ſe convertere, nunc fortiùs inſpirare, aut validiùs tuſſitare, in vario corporis poſitu; attendens ad varia incommoda quæ ſub his circumſtantiis perſentiuntur. Eamdem doctrinam præcepit BAGLIVIUS. Eadem ratio medendi ſit, quam pro febre de quâ dixi, id eſt antiphlogiſtica.

Optaſſem PROFESSORES ILLUSTRISSIMI, longius & vobis dignius offerre opus, at valetudinis infirmitas, deſiderio obſtitit. Indulgeatis quæſo, & vota mea explebuntur.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. J. B. t. Baumes.

ANIMADVERSIONES QUÆDAM
M E D I C Æ
C I R C A
I N S U L A S A N T I L L E S,

Quas in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, pro Baccalaureatûs Gradu conſequendo, publicis ſubjiciebat diſputationibus

A U C T O R

Henricus - Josephus Vatable ex illâ inſulæ Guadelupenſis parte quæ vulgò dicitur *Saint-François Baſſeterre* apud Americanos ſeptentrionales, olim in almâ Artium Liberalium Facultate Andegavenſi Laureatus, nunc celeberrimæ Monſpelienſis Univerſitatis Medicæ Alumnus.

Pro Trimeſtri Januarii anni 1791 *& ſecundi Libertatis.*

M O N S P E L I I,
Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI.

PATRIÆ,

PARENTIBUS ET AMICIS

HAS in arte Medicâ primitias

DICAT, VOVET, CONSECRAT,

Obſequentiſſimus & conjunctiſſimus
H. J. VATABLE.

ANIMADVERSIONES QUÆDAM

MEDICÆ

CIRCA

INSULAS ANTILLES.

INSULÆ vulgò antilles nuncupatæ, apud Americanos ſeptentrionales ſub zonâ torridâ jacent, parùm à tropico cancri diſtantes: ex quâ poſitione facilè videre eſt quantis quamque diuturnis obnoxii ſint caloribus miſeri iſtarum incolæ, quos diù ſuſtinere haud valerent, ni, quodam benevolæ naturæ beneficio, oppoſitis duobus regulatim ſeſe invicem excipientibus venti, refrigeraretur atmoſphæra. Primus (*la briſe de mer*) à nonâ decimâve matutinâ horâ ad nonam uſque deci-

mamve nocturnam flat, cui ſuccedit alter (*le vent de terre*) noctu maneque regnans (1). Præteteà etiam montibus plurimæ ſtipantur inſulæ, ex quibus quammulti fluunt fluvii rivulique per campos fertilitatem volventes, ad calores ſedandos auraſque refrigerandas haud parùm conferre valentes. Iſti autem venti, fluvii rivulique, dùm refrigerationem dulcemque æſtus adverſus vividiores inferunt ſolationem, magnâ fœdant humiditate aërem, adeò ut metalla ferè omnia rubiginem ac æruginem citò contrahant, animaliumque carnes diù ſervari haud poſſint (2). Refert *Zimmermann* tantam adeſſe in inſulâ *la Jamaïque* iſtam aëris humiditatem, ut nunquàm ibi ad potum accedant ſues.

Duæ tantum in noſtris prædominantes inſulis obſervantur tempeſtates, æſtivalis nempè valdè calida cœloque ut plurimùm ſereno donata, & hiemalis (*l'hivernage*) minùs calida, perfrequentibus ventis imbribuſque turbata. Quæ duplex conſtitutio per nychthemeron etiam obſervatur, dùm ſit dies in genere calidior ſicciorque, frigidior autem & humidior nox. Hìc quoque adnotandum venit quòd in pluribus inſulis adſint loci depreſſi apud nos *baſſes terres* nuncupati, mon-

(1) Pouppé deſportes malad. de St. Doming. tom. 1, pag. 20.

(2) Quod etiam magnâ parte calori tribui debet.

tanis humidiores, inſalubriores, magis veſpertinis nocturniſque roribus expoſiti. Indè ait *Pouppé Deſportes* eos meliùs ſe habere qui montanas habitationes cum nigritis ſuis incolunt (1). Ex quibus allatis pronum eſt concludere ad duas reduci poſſe aëris conſtitutiones apud nos regnantes, nempè ad calidam & humidam quæ per æſtatem obſervatur, & ad frigidam humidam (2) hiemali tempore noctibuſque ſæpiſſimè obtinentem, præcipuè apud locos depreſſos, ut jamjam dixi. Aſt tamen tertia adhiberi poteſt, ſcilicet moderatim calida ſiccaque in pluribus locis obſervata & præſertim in montanis.

Nunc quædam proferre liceat circà frequentiores apud nos vigentes affectus, nec-non evidentiſſimas quaſdam cauſas iſtis anſam præbere valentes. Primò notandum venit difficiles laborioſaſque ſæpiſſimè fieri alimentorum coctiones, ratione vehementis caloris qui, ut ſciunt omnes, evidentiſſimè ventriculi functionibus quam plurimùm obſtat. Et ad hoc comprobandum, ad noſtra recur-

---

(1) Malad. de St. Doming. tom. 1. pag. 21.

(2) Hoc tantum intelligi debet relativè ad validos apud nos vigentes calores. Nam ſtrictè loquendo, nulla adeſt in noſtris regionibus frigida tempeſtas, ſi illam quam hibernalem dicimus cum hiemali hìc perſentito frigore comparare velimus.

rere climata non opus eſt ; in regionibus enim quæ caloris frigoriſque experiuntur viciſſitudines perſpiciendum venit digeſtiones faciliùs vigente hieme, difficiliùs autem per æſtatem perfici, quo tempore minuitur appetitus (1). Quod, ut more Domini *Grimaud* loquar, tribui poteſt vi expanſivæ, evidenter dùm viget calor prævalenti, quæ plurimum ad concentrationis motus minuendos confert. Sub primo digeſtionis tempore fit virium concentratio ad epigaſtrium, undè, perfectâ digeſtione, ad exteriora rursùs tendunt (2). Si au-

---

(1) *Calidis in regionibus, multò minùs eſuriunt homines quàm in frigidis.* Rouppe de morb. navig. pag. 82.

(2) *La digeſtion, dans toute ſon étendue, préſente deux périodes ou deux ſtades bien différens ; le premier marqué par la vive concentration des forces toniques ſur les organes digeſtifs, & le ſecond marqué par le développement de ces forces, & leur répartition égale ſur tout le ſyſtême. Grimaud* mém. ſur la nutrition pag. 88 & 89. Notatur autem concentrationis motus levi poſt prandium perſentito frigore, quod excipit calor motuſque ad exteriora perſpirationis illuſtratus auctione horis circiter quatuor aut quinque à prandio ſuperveniente, quo tempore perficitur digeſtio. Cæterùm ſemper & ubique concentrationis vi hancce expanſionis ſubſequentiam perſpiciendam habemus, quæ adeò conſtans neceſſariaque lex videtur, ut in febribus

tem dùm ad centrum appellantur vires , motu expanſivo prædominante prohibeatur earum tendentia aut ſaltem difficilior evadat, tùnc difficilè perficiatur digeſtio neceſſe ſit. Quidquid autem ſit de iſtâ theoriâ, factum adhùc certum quotidianâque obſervatione comprobatum reſtat, ſcilicet apud regionum calidarum incolas in genere difficilè perfici digeſtiones, quamdamque adeſſe veluti radicalem ventriculi vicinorumque organorum debilitatem (1), quam ad ſublevandam, infuſo coffeæ ſpirituoſiſque liquoribus indulgere amant, qui ventriculi aliorumque digeſtionis organorum vires adaugere ſuſtinereque valeant. Prætereà etiam dulcem poſt prandium obſequuntur ſomnum qui haud parùm naturæ conſiliis favet; nam, ut noſcunt omnes, per ſomnum facilior evadit alimentorum coctio. Ex plurimis autem iſtis difficilioribus praviſque digeſtionibus primariis neceſſe eſt prodeant plurima ſyſtematis gaſtrici vitia, & inde diverſi morbi ab iſtis nati.

---

intermittentibus in quibus præcipuè obſervandæ dantur iſtæ virium tendentiæ, ſi expanſivum motum poſt validam concentrationem adducere non valeant vires vitales, è medio tollitur æger.

(1) *In calidis regionibus partes quæ digeſtioni inſerviunt multò debiliores ſunt quàm in frigidis.* Rouppe de morb. navig. pag. 83.

Hìc etiam adnotandum venit alimenta apud inſulas noſtras uſurpata haud tam facilis digeſtionis & ſalubria eſſe ac illa quæ in Europæis eduntur regionibus (1). Quod præcipuè dici volo de ſubſtantiis nigritis ad victum quotidianum propinatis ut ſunt v. g. farina iſta è radice jatrophæ cujuſdam parata, quæ *farinæ Manihot* vulgare nomen audit; panis cum iſtâ confectus; radices convolvulorum quorumdam (*Patates*) ſub cinere aquâve coctæ; carnes ſale conditæ; morrhuæ ſiccæ; thettæ fumo exſiccatæ &c.; quæ omnia alimenta certè ſunt dura, parùm ſuccoſa, difficilis coctionis, inſalubria. Iſtis ſi adjungantur calores quibus die, frigiditas humiditaſque quibus nocte exponuntur miſeri iſti, labores diuturni quos ſæpiſſimè verberibus maculati exercere coguntur, vapores humidi putridique undique in terris depreſſis exhalati, potus quandòque inſalubres, ut in iſtis ſunt depreſſis locis, ex aquis ſtagnantibus putridiſque ſubſtantiis fœdatis, tum non mirabimur unde tam magna malorum caterva adeò frequenter irruens eoſque afficiens.

Sub calidioribus tempeſtatibus prædominium tenet bilis, ut obſervavit *Stoll*; quod præcipuè

---

(1) Craſſiora minuſque ſucculenta ſunt omnia alimenta noſtra quàm ea quæ in Europâ uſurpantur. Poup. Deſp. mal. de St. Dom.

de calidis noſtris regionibus dici debet. Inde iſta bilioſorum affectuum valida cohors quæ tam frequenter apud Americanas inſulas caput extollit. Inde vitia quibus ſæpiſſimè tentantur epigaſtrica organa : nam agnovit *Pouppé Deſportes* hepar, ſplen pancreaſque præcipuas in morbis inſularum noſtrarum agere tragædias (1). Ex nimiâ autem bilis ad inteſtina ventriculumque delatâ quantitate, acritateque quadam acquiſitâ, fiunt cholera morbus (2), diarrhææ, dyſenteriæ, dolores colici (3), aliique iſtius generis affectus tam ſæpiſſimè apud nos obſervati. Graſſantur & etiam ut plurimùm febres ardentes, bilioſæ, putridæ præſertim dum calori ſupernerit aër humidus regnantes (4).

---

(1) Malad. de St. Doming. tom. 1. pag. 318.

(2) *Cùm & ipſe calor immodicus ſales oleaque corporis torreat quotidie & exacuat, fit major in dies majorque humorum acrimonia ; inde bilis acerrima : hinc cholera, hinc tormina ſæviſſima, hinc putridæ ſebres.* Huxam opera tom. 1, pag. 259, & in aliâ ejuſdem tomi primi paginâ (355) aït : *poſt fervidam æſtatem conſtanter ferè ſequuntur choleræ, dyſenteriæ, alvi fluxus.*

(3) *Apud inſulas caraïbum notiſſima eſt colica pictonum, ut potè quæ magnam vim hominum infeſtat.* Sydenham opera tom. 1, pag. 512.

(4) *Eſt calidi, eſt humidi laxare fibras : quid conjuncta !* Huxham.

Sic ſæpiſſimè ſeſe prodit febris quædam vulgò febris flava americana nuncupata, quam frequenter apud Barbados obſervavit *Hillary*, quamque in inſulâ ſandominicanâ valdè ſævientem nomine *maladie de Siàm* inſignivit *Pouppé Deſportes*. Nil aliud eſt quàm febris bilioſæ, putridæ (1), malignæ ſpecies Europæos præcipuè apud nos devenientes infeſtans, minùs autem inſulares. Dirus morbus qui inſidioſis valdèque periculoſis ſæpiſſimè ſtipatur ſymptomatibus, plurimoſque ægrorum è medio tollit.

Spaſmodici convulſivique affectus maximè quoque apud nos ſunt familiares, ob magnum caloris gradum valdè ſyſtemati nervoſo contrarium. » Les nerfs, ait *Zimmermann*, ſont toujours le » plus affectés de la chaleur (2) ». Sic *Gaubius* de nocivis calidæ atmoſphæræ poteſtatibus diſſerens, ſequentia profert : » vis vitalis ſenſilior qui« dem & agilior, at robore, tenacitate, hinc » duratione minor, faciliùs in ſuis motibus tur» banda (3). » Inde, facto levi ulcere natâve aliâ levi irritationis causâ, naſcuntur ſæpiſſimè ſpaſmodici convulſivique affectus valdè noxii. Haud

---

(1) *Selle* pyretol. pag 256.

(2) Traité de l'expér. tom. 2, pag. 321.

(3) Patholog. pag. 151 & 162.

rarò obſervatur quædam ſpaſmi ſpecies *tetani* nomine inſignita, cui valdè obnoxii ſunt regionum calidarum incolæ (1), præcipuè vigentibus pluviis, aut diem calidum excipiente frigidâ humidâque nocte. » Obſervantur nautæ, aït *Rouppe*, in cali-
» dioribus climatibus, diris ſpaſmodicis affectio-
» nibus torqueri, quæ à ſubitò ſufflaminatâ perſ-
» piratione inducuntur, & maximè noctu ſub dio
» dormientes invadunt (2). » Apud nos etiam plurimùm viget maxillaris ſpaſmus (*le mal de machoire*) quo ſæpiſſimè corripiuntur nigritarum infantes, elapſis paucis à nativitate diebus.

Calor corpora rarefacit. Ex illâ rarefactione fit, ut aït *Gaubius*, augmentum voluminis & magis quidem in fluidis quàm in ſolidis. Undè plenitudo vaſorum & turgor, unde plethoræ ſymptomata quæ ſatis frequentibus venæ-ſectionibus debellanda veniunt. Iſtis ſubitaneis ſignis plethoricis valdè ſunt obnoxii apud inſulas noſtras advenientes Europæi, qui in genere temperamento robuſtiori copioſiorique ſanguine donantur. Indè *Pouppé Deſportes*, ſi morbis deprehenderentur, ut ſæpè advenit,

(1) *In Meridionalibus & Americanis multò frequentiùs occurrit tetanus. Vogel* de cogn. & curand. morb. tom. 2, pag. 79.

(2) De morb. navig. pag. 281.

eorum curam ſatis frequenter repetitâ venæ-ſectione aggrediebatur, nec quidem infelici cum ſucceſſu.

Si ad caput nimiâ quantitate ruat ſanguis, quod ſæpê ob nimium fit calorem, tunc naſcuntur vehementiſſimi capitis dolores, inflammationeſque apud nos ſatis frequentes. Obſervavit *Rouppe* iſtos capitis dolores ſub zonâ torridâ valdè apud nautas pertinaces, culminante ſole incipere, cum calore increſcere, & aliquot horis poſt ejus occaſum remittere. » Ægri, addit iſte, lucem » quam maximè fugiunt, & loca caliginoſa, » tenebroſaque quærunt (1). »

Ob caloris prædominium valdè adaugeri perſpirationem neceſſe eſt (2). Sed haud raró ſupprimitur

---

(1) De morb. navig. pag. 278.

(2) Dum humidum fit cutaneum organum, ſicca manet alvus. Quod in noſtris obſervatur regionibus in quibus omne ad cutem deferri videtur, dum alvus diù ſilet. Non ſolùm alvinæ, ſed & aliæ etiam minui conſpiciuntur ſecretiones, ut ſunt urinæ, mucus narium, & apud mulieres fluxus menſtruales, qui attamen citiùs apud nos quam in temperatis frigidiſve regionibus ſeſe monſtrant; certè ob omnium corporis partium evolutionem citiùs perfectam; namque natura ſub calidis climatibus magis acutè, ſi ita fas ſit loqui, rapidoque curſu, in omnibus ferè ſuis operationibus, quàm ſub aliis procedere videtur.

iſta, ſi ſupervenerit nox humida frigidaque, præcipuè apud nigritas qui ſub frigido humidoque tecto dormitare ſolent. Indè catarrhales, quibus adeò ſunt obnoxii iſti, rheumaticique affectus, dolores colici, diarrhææ (1), dyſenteriæ, ſpaſmodicæ convulſivæque affectiones, ut jàm ſuperiùs dixi, valdè frequentes, morbus glandularis qui nil aliud eſt quàm obſtructio glandularum lymphaticarum, aliique à ſuppreſſâ perſpiratione nati. Iidem etiam vigent affectus adveniente regnanteque hieme, frigidiore ſcilicèt humidioreque, ut jàm notavimus, tempeſtate ſub quâ tam altè caput extollunt affectus pituitoſi, verminoſi quibus infantes & præſertim nigritæ valdè ſunt obnoxii. » Leur ſang, aït *Pouppé Deſportes* de nigritis

---

(1) *Quandò calori ſuccedit frigidus humidus, conſtipatâ cute, ad interiora ruunt acres humores. Huxham* opera tom. 1, pag. 355.

Ventriculum & inteſtina, adultâ æſtate, atque autumni initio, debiliſſima habemus, & excipiendæ recurrenti materiæ perſpirabili præ aliâ quacumque *parte opportuniora. Stoll. rat.* med. tom. 3, pag. 172.

On ſait que la chaleur ouvre les pores, & excite une grande tranſpiration que l'air frais arrête ſubitement & avec danger vers le ſoir. Les humeurs qui devoient tranſpirer ſont dont répercutées, ſe jettent ſur les inteſtins &c. *Roſen* mal. des enf. pag. 86.

» loquens, eſt d'une qualité ſi propre à la pro» duction des vers, qu'ils en meurent quelquefois » ſubitement. Ils en ſont ſur-tout attaqués dans » les ſaiſons humides qni ſuccèdent à un temps » chaud & ſec (1). » Eadem ſub tempeſtate frigidâ & humidâ augeſcunt ſcorbutici affectus quibus haud pauci apud nos laborant, præcipué illi qui locos depreſſos, humidos, littora maris incolunt, piſcibus, duris ſáleque conditis carnibus veſcuntur, inſalubres epotant aquas &c. Febribus etiam intermittentibus, regnante iſtâ tempeſtate, haud raro tentantur præcipuè quarta-

(1) Malad. de St. Doming. tom. 2, pag. 271. Hîc quoque recenſeri debet vermis iſte *vena medina* nuncupatus, colore albo ſubflavo donatus, ulnam longitudine excedens, ſub cute jacens, veſiculam producens; quâ apertâ, ſenſim & ſine ſenſu detrahitur vermis: quæ operatio lenta diuturnaque eſt ob iſtius fractionis metum, quamque juvat olei applicatio, aliuſve emollientis ſubſtantiæ in partem affectam. Vermibus iſtis valdè obnoxii ſunt nigritæ. Narrat *Pouppé Deſportes* ſe quemdam ſervum habuiſſe cui plus quàm quinquaginta iſtorum extracti fuerant. Valdè quoque apud eoſdem familiaris alia quædam vermium ſpecies vulgò dicta *le makaque* ad crura femoraque propè articulationes ſub cute jacens, ut refert *Thion de la chaume* (verſ. op. Doct. *Lind.* de morb. Europ. in calid. reg. tom. 1, pag. 75) quamque apud quoſdam è noſtris ſervis olim infans obſervaſſe memini.

nis (1) haud facilem curationem admittentibus ob eaſdem ſemper ſubſiſtentes cauſas eis anſam præbentes, frigidum ſcilicet humidumque aërem qui eis incrementa in dies inferre quamplurimùm valet. Apud iſtorum locorum incolas ſub omnibus ferè tempeſtatibus adeſt peculiaris quidam habitus cachecticus, maximaque propenſio ad obſtructiones, hydropem, icterum aliaſque cachecticarum affectionum ſpecies, quæ in iſtis præcipuè quartanarum febrium ut plurimùm triſtes ſunt ſequelæ.

Notandum autem venit quòd febres iſtæ inter-

---

(1) Febres quartanas quamdam cum ſcorbuticis affectionibus cognationem obtinere ex pluribus conſtat. Omnia enim quæ iſtis favent illis & etiam anſam præbere valent, uti ſunt v. g. loci depreſſi, humidi, frigidi, maris littora, frigidum humidumque cœlum, ut plerumque fit autumnali tempore, animi pathemata triſtia &c. Sciunt etiam omnes antiſcorbuticarum plantarum ſuccum ad iſtud febrium genus profligandum haud parùm conferre, ut ego propriâ novi experientiâ. Cæterùm iſtam nobis tradidit opinionem, in eximiis circà morbos chronicos prælectionibus Dominus *Vigarous* iſtius Univerſitatis Profeſſor meritiſſimus, cui gratitudinis conjungi vinculis dulce mihi eſt, tùm ob curas quas mihi morbo laboranti præbere, tùm ob indulgentiam quâ me ſanum poſteà benigno vultu excipere dignatus eſt.

mittentes tàm apud locos iſtos depreſſos, humidos & frigidos familiares rariùs in ſiccioribus calidioribuſque, vigente præſertim æſtate, obſerventur, ut adnotat *Zimmermann* qui nos docet in decurſu morborum apud calidas regiones regnantium valdè acutè procedere naturam, uti jàm ſuperiùs circà omnes ejus operationes in genere obſervavimus. Si verò quandòque adveniat ut ſub intermittentium typo prodeat morbus, illum diù ſervare non valet, brevi in continuum aut ſaltem ferè continuum abiturus. Sic quamdam duplicem tertianam (1) valdè, regnante æſtivali tempore, apud ſandominicanos ſævientem obſervavit *Pouppé Deſportes* quam fatetur ipſe magnam ad typum continuum habuiſſe proclivitatem; ſic ut primò ſub ordine tertiano prodiret febris, quæ mox duplex tertiana evadebat, cujus dein jungebantur paroxiſmi, ita ut levis tantum adeſſet remiſſio quæ nullo modò intermiſſio dici valebat. » Quoique la

(1) Iſtam duplicem tertianam in duas ſpecies dividit *Pouppé Deſportes*, quarum unam duplicem tertianam bilioſam vocat, infarctuique viſcerum epigaſtricorum tribuit; alteram autem duplicem tertianam lymphaticam, cujus cauſam ad infarctum meſentericarum glandularum refert, & quæ, ut addit ipſe, maximam cum febribus meſentericis à *Baglivi* in Italiâ obſervatis convenientiam habet.

» chaleu

» chaleur relâche les fibres, aït *Boſquillon*, elle
» agit auſſi comme *Stimulus.* C'eſt par cette rai-
» ſon qu'elle peut changer les intermittentes en
» rémittentes, & ces dernières en continues.
» Ainſi les intermittentes du printemps ſe tranſ-
» forment en fièvres continues, aux approches
» de l'été (1).

Nunc autem adnotandum venit morbis apud nos obſervatis ſæpiſſimè ſupervenire malignitatem. Quod certè haud mirandum evadit, ſi obſervemus maximam febrium in noſtris inſulis vigentium conſtituere partem febres putridas, quæ tantam ſibi adjungendi malignitatem habent facultatem. Adeſt præterea apud inſularum iſtarum incolas debilitas quædam veluti conſtitutionalis à calore vehementi ſudoribuſque copioſiſſimis, frequentioribus quibus ſunt obnoxii inducta, cui favere haud parùm valent pertinaces validiſſimique eorum labores nec-non menſæ veneriſque deliciæ quibus tam ſæpiſſimè indulgere amant. Hæcce debilitas multùm certè ad inſidioſa lethaliaque procreanda phœnomena, ſi morbo corripiantur, confert.

---

(1) *Cullen* trad. par *Boſquill.* tom. 1, pag. 80. Ipſum etiam conſentaneum habemus *Hippocratem* in ſeptimo tertii libri aphoriſmo ſic ſe habente : *per ſqualores febres acutæ incidunt.*

Plurimi etiam vigent apud inſulas americanas venerei affectus, ob libidines quas celebrare amant ferè omnes iſtarum incolæ, præſertim cum nigritis feminis viru venereo ut plurimum fœdatis. Haud tam difficilis eorum curatio in noſtris obſervatur climatibus ac in Europâ (modò ſimplices recenteſque ſint) ob expanſivam auctam vim quæ ad exteriora infectionis partem impellere valet, & fortè quoque ob calorem validiorem multùm degenerationi mucoſæ obſtantem, quæ degeneratio plurimùm virus venerei progreſſui favere obſervatur.

Inter omnes autem morborum in inſulis noſtris vigentium cauſas haud ultimum obtinent locum animi affectus. Quotidianâ obſervatur experientiâ inquantus ſit iſtorum in œconomiam animalem influxus. Reſpiratio, motus cordis, alimentorum coctio, nutritio, diverſæ ſecretiones & excretiones, muſculorum actio, quidquid tandem eſt functionum in corpore humano turbatur, depravatur diverſaſque experitur mutationes ſanitatis legibus quandòque & vitæ repugnantes. Inter præcipua autem ab animi affectibus producta phœnomena valdè notandus venit iſte peculiaris ad præcordia ſenſus quo ſtipantur iſti, & cujus rationem præcipuis organis circà iſtam regionem ſitis referre pronum eſt. Indè illa peculiaris iſtorum affectuum, triſtium præſertim, facultas viſcerum epi-

gaſtricorum functiones ſyſtemaque venæ-portarum conturbandi, cui haud parùm apud nos favere valent cauſæ quædam jàm ſuperiùs allatæ, æſtus (1) nempè & humiditas aëris. Inde quoque fluxus hæmorrhoïdales, abdominalium viſcerum, hepatis

---

(1) Sciunt omnes ſyſtema venoſum & arteriale ſic ſe componere ut unum ex iis prædominium teneat, dum alterum quadam veluti paſſibilitate relativâ affici videatur. Sic v. g. apud juvenes in genere poteſtatem habet arteriarum ſyſtema. Indè iſti valdè ſunt obnoxii affectibus ab illo ſyſtemate pendentibus. Sic ſuprà diaphragma ferè ſemper ægrotare obſervantur, præcipuè versùs pectus quod evidenter magis ad ſyſtema arteriale pertinet; dùm è contrà apud eos qui provectiorem attigere ætatem frequentiores ſunt affectus infrà diaphragma (aut ſaltem ſi ſuperiùs adſint iſti affectus, ad cauſam in abdomine latentem ſœpiſſimè tanquàm ad primariam referri debent) ob prædominium ſyſtematis venæ-portarum quod certè præcipuam totius venarum ſyſtematis conſtituit partem. Tempeſtas hiemalis & regio frigida arteriis valdè favent, ut ex affectionibus in iſtis vigentibus conſtat; æſtivalis verò tempeſtas & regio calida venoſo ſyſtemati poteſtatem inferunt, ut probant affectus abdominalium viſcerum in hiſce regnantes. Indè obſervavit *Pouppé Deſportes*, ut etiàm omnes apud inſulas noſtras Practici, plurimùm in iſtis prodeſſe venæ-ſectio pedibus celebrata, quæ directiùs ſyſtema venæ-portarum evacuare, viſceraque abdominalia ſublevare valet. Vide mal. de St. Doming. tom. 2, pag. 274.

præcipuè & lienis obſtructiones, icterus, hydrops, aliique ab iſto turbato ſyſtemate nati affectus.

In ſtatu morboſo præſertim multa inferre noxia valent animi affectus. Sic v. g. in morbis exanthematicis ad interiora materiem impellunt, & ad nobiliora organa periculoſum ſæpiſſimè metaſtaſim faciunt. Hæmorrhoïdales alioſque morboſos fluxus ſiſtunt, indèque multos cient affectus ab iſtâ ſuppreſſione pendentes. In decurſu morborum, iſtis malignitatis characteres inducunt. Quod certè de terrore præſertim dici debet qui vires vitales tàm ſubitò frangere valet, ut vel ſaniſſimis ſæpiſſimè terribile objectum fugiendi facultatem tollat (1). » Terrorem, inquit *Stoll*, novimus nervoſo imprimis » ſyſtemati inimicum (2) ». Refert *Pouppé Deſportes* ſe plurimos in inſulâ Sandominicanâ vidiſſe ægrotantes qui, etſi malè ſe non haberent, è medio tamen, ob terrorem inductum, tollebantur.

Hìc quoque notanda venit valida apud Europæos noſtris habitantes inſulis divitias faciendi cupiditas, ut etiam diræ quibus cruciantur ſollicitudines ne tàm cariſſimas ſpes adverſa decipiat

---

(1) *Barthez* nouv. élém. de la ſcienc. de l'homme pag. 37.

(2) Rat. med. tom. 2, pag. 176.

fortuna. Nec prætereundi vani timores quibus, dum ad noſtras adveniunt regiones, corripiuntur plerique, ob validam morborum cohortem diram exerentem poteſtatem quam effugere ſibi impoſſibile putant. Indè præ aliis facillimè morbis prædominium obtinentibus laborant. Timor enim debilitatem maximam omni ſyſtemati inducere valet, plurimùmque idcircò morbis epidemicè regnantibus diſponere, ut ſæpiſſimè fuit obſervatum (1). Eadem dici poſſunt de mœrore qui tantas omni ſyſtemati inducit affectiones præcipuè ven-

---

(1) Sic narrat *Riverius* eos qui, furente peſte, metu corripiuntur, facillimè iſto morbo tentari. Sic etiam contendit *Willis* illos præcipuè variolis corripi, qui hunc valdè timeſcunt morbum. Iſtud veritati haud contrarium expertus ſum; nam agnovi ipſemet quemdam ex inſulâ Sandominicanâ juvenem, domi mecum habitantem quâ variolis tunc per urbem epidemicè graſſantibus laborabant infantes. Quod integro ferè menſe neſciebat iſte. Poſt menſem autem, neſcio quâ de causâ, infantes variolis ægrotare ſub eodem quo dormiebat tecto audivit. Subitò timore correptus ſe mortuum exclamat, brevique variolis laboraturum. Eum ne vanis timoribus nimium indulgeret in vanum ſuadebant amici: nulla enim prorſùsque inutilia fuere eorum conſilia, moxque, quibuſdam elapſis diebus, variolis correptus fuit, vitâque haud multò poſt functus, ob validum mortis terrorem, magnamque virium proſtrationem à venereis menſalibuſque olim deliciis inductam.

triculo & inteſtinis in quibus peculiarem, ut adnotat *Zimmermann*, habet actionem. » Mira, » aït *Stoll*, facultas mœroris eſt functiones » ventriculi, inteſtinorum ac hepatis conturbandi » (1) ». Inde appetitûs imminutio, digeſtionum depravatio, ventriculi ægritudines, flatus, dolores colici, aliique hujuſce generis quibus valdè ſunt obnoxii illi qui triſti lentoque huicce affectui indulgent. In genere queribundi, ſolitudinem amantes, ſtomachoſique ſunt & omnes ad eorum augendas ſollicitudines ſtudere credunt. Valdé, ait *Zimmermann*, ad morbos ſunt proni; dolores validiores à causâ minimâ patiuntur, facilèque, dùm ægrotant, ad mortem vergunt. Apud eos ſatis frequenter obſervantur cordis palpitationes, polypoſæ concretiones, anevriſmataariceſque, melancholia, deſperatio, hypochondriaca paſſio nullis ferè medicinalibus remediis ſananda &c. Apud mulieres menſium ſuppreſſio, chloroſis, hyſterici affectus &c.

Plurimùm in noſtris inſulis viget iſtud lentum triſteque animi pathema, ob frequentes domeſticas ſollicitudines peculiares quibus valdè exponuntur iſtarum incolæ, quaſque hìc referre longiùs foret. Maximè quoque eſt familiare nigritis

---

(1) Rat. med. tom. 3, pag. 247.

ſervis ex Africæ oris ad noſtras adductis, quibus nulla patriam parenteſque reviſendi conceditur ſpes. Quis eorum miſerabile fatum ſiccis inſpiceret oculis ? Infelices heu ! quandòque omnia humanitatis reſpuentes auxilia, triſtem doloris haurire amant voluptatem lentâ peſidâque manu lectum parantem ſupremum : aut ſi pepercerit mors, ad ultimum deſperationis gradum provecti, ſibimetipſis, linguam deglutientes, ut aïunt, aliove modo vitam adimere haud pertimeſcunt, ſe ſervitudine liberatos ad parentes redituros ſperantes, pedeque libero natales terras iterùm pulſaturos.

Hæc ſunt quæ circà inſulas noſtras Americanas in genere dicenda habebam ; quibus expoſitis, peculiaria quædam circà febrem flavam tàm ſæpiſſimè ſævientem proferre in mente fuerat, ſed deficiente tempore, vos, ô Lectores, ad *Hillary*, *Moultrie*, *Bruce*, *Pouppé Deſportes*, alioſque mitto qui de iſtâ febre ejuſque therapeiâ tam benè ſcripſere.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

TENTAMEN
MEDICUM
DE
CHOLERA MORBO.

QUOD Deo duce & auſpice Dei parâ in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur Auctor STEPHANUS DUBREULH, è loco *Hautefort in partitione Dordogne*, Liberalium Artium Magiſter. Pro Trimeſtri Januari anni 1791.

Pro Baccalaureatûs Gradu conſequendo.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

M. DCC. XCI.

OPTIMO

DILECTISSIMOQUE

PATRI SUO

UNINERSITATIS MONSPELIENSIS

DOCTORI MEDICO.

HAS Medicinæ primitias, in æternum amoris gratitudiniſque monumentum,

Dicat, Vovet & Consecrat,

Filius additiſſimus

DUBREULH.

TENTAMEN MEDICUM DE CHOLERA MORBO.

CHOLERA morbus, gallicè, *Trousse-galant*, definiri debet immodica et præternaturalis ventris perturbatio, quâ humores et alimenta corrupta, tàm per os, quàm per alvum ejiciuntur, cum ventris ac intestinorum dolore vehementi, inflatione et distentione, cardialgiâ, siti, æstu, nauseâ et anxietate, pulsûs celeritate ac frequentiâ, non raró etiàm paritate et inæqualitate, molestissimâ sudore; crurum et brachiorum contractione, virium deperditione, animi deliquio, frigeratione extremarum partium; hæc omnia symptomata astantes perterrefaciunt, et ægrum vigenti quatuor horarum spatio persæpè interrimunt. Duas proponit *Hippocrates* choleræ species, unam *humidam*, alteram verò *siccam*: humidam dicit, cum humores, aut alimenta

corrupta per os et anum simùl ejiciuntur ; siccam verò, cùm flatus, tùm supernè per eructationem, tùm infernè per crepitum magnâ cum ventris perturbatione erumperé conantur. Causæ quæ ut plurimùm huncce morbum producere valent, sunt humores biliosi, exusti, acidi, salsi et putrescentes in ventriculo et intestinis collecti, itèm venena quæcumque arsenicalia, antimonialia, et alia irritantia, abusus itèm purgantium ac emeticorum fortium. Sed causæ ab *Hippocrate* recensitæ, prolatæ fuerunt, his verbis : » cholericæ bilis sursùm ac deorsùm erup-
» tiones, ex carnis esu, maximè suillæ crudio-
» ris, itèm ex cibis insuetis, et ebrietate vini
» veteris et dulcioris, ex granis pini locustis
» ex oleosorum esu, maximè porri et cæparum,
» à nucibus rancidis, à lactucis coctis, brassicâ
» et similibus crudioribus, à placentis etiàm et
» dulciariis, et mellitis, et à fructibus pomorum,
» cucumere et pepone, etc. » Undè deducendum est fomitem illius morbi in ventriculo simùl ac intestinis hærere Ex observtionibus practicorum cholera in europâ morbus ex epidemicorem familiâ, et alio mense non grassatur, quàm augusto aut autumno imminente ; id est ad eam anni partem, quæ æstatem fugientem atque autumnum imminentem complectitur ; sed illud intelligendum est tantùm de cholerâ, quæ ex humorum, bilis præsertim fervore ortum ducit ; teste *Sydenhamo*, qui ab ingluvie, aut crupulâ nullo temporis discrimine passim, excitatur affectus, ratione symptomatum. Non adsimilis nec eandem curationis methodum respuens, tamèn alterius est subsellii. Affectus ille gravis et peri-

culosus rarissimè in istis regionibus per mortem terminatur, sed citò profligari debet, ne in pejus ruat. Quod ad prognosim attinet, cholera inter peracutos morbos recensetur, ut potèque doloris acerbitate, et excretionis vehementiâ, subitam solet inferre mortem. Qui cholerâ affecti fuerunt, facilè ejusdem recidivam patiuntur. Cholera in morborum malignorum principiis occurrens, ferè semper funesta est. Quò impeditius procedit excretio humorum in cholerâ, eò magis mentuenda est ventriculi inflammatio. Sudores frigidi cum unguium livore et singultu, inflammationem factam et mortem instantem ut plurimùm indicant: pessimum autèm est signum et omninò lethale, quando ad fœcum excretionem per os ventum est, accedente animi deliquio et extremorum perfrigeratione. Huic igitùr affectui citò et accomodatè perspiciendum. In curatione hujus morbi, duæ indicationes præ oculis habendæ sunt. Prima, ut materies intùs non coerceatur; secunda, ut vires laugentes sustineantur. Non citò sistenda est evacuatio, nàm pravi et corrupti malum ingravescunt. Attamèn dùm sævit morbus, dùm irritatio, anxietas, dolor, et ad excernendum conatus majores sunt, tunc molliendæ dejectiones, ope diluentium, demulcentium et refrigerantium. In hunc scopum, ægrotis præbeantur aquæ pulli vel vituli, serum lactis, ptisana, etc. Quæ omnia symptomata compescunt humores diluendo illasque mobiliores reddendo. Valdè prosunt etiàm enemata repetita ex decoctis mucilaginosis, glutinosis parata, sicut et fotus tepidè applicati. » Ita

» inquit *Sydenhamus* ventriculo insigni liquoris » quantitate sæpius onerato, atque, ut sic di- » cam, subverso, ac reiteratâ enematum in- » jectione, humores acres vèl foràs eliminantur, » vèl retusâ acrimoniâ, ad debitam temperiem » revocantur. Pessimè se gereret medicus, qui » choleram evacuantibus tùm catharticis, tùm » emeticis profligare vellet. Tali enìm methodo » intenderetur humorum impetus, et subver- » terentur organorum functiones «. Abstinendum itèm à narcoticis et ab adstringentibus in morbi principio. Sic *Sydenhamus* » sedulâ » mentis applicatione, et multiplici etiàm ex- » perientiâ edoctus, quod si hìnc acres istos » humores, fomitem morbi, catharticis expel- » lere conarer, idèm agerem, ac is qui ignem » oleo extinguere satagit, cum cathartici vel » lenissimi operatio omnia magis perturbaret, » et novos insuper excitaret tumultus: et si ex » adverso medicamentis narcoticis aliisque ads- » tringentibus, in ipso statìm limine primum » humoris impetum compescerem, dùm natu- » rali evacuationi obsisterem, et invitum hu- » morem detinerem, æger inimico visceribus » incluso, bello intestino indubiè conficeretur ». Ast dùm morbus vires acquirit, dùm ex rejectorum copiâ, ex rejectionis duratione, ex symptomatum vehementiâ, ægri vires dilabuntur, tùnc frenandus est humorum impetus, et ad sedantia narcotica confugiendum est; inter quos recenseri debent liquor min. anod. *Hoffmani*, syrupus narcoticus ex carabè, syrupus diacodii, laudanum liquidum, pillulæ e cinoglosso, opium ìpsum, et si vero in supra dictis circumstan-

tiis conveniant narcotica, attendendum est ad monitum *Riverii*. His verbis expressum : » si » magna sit virium exsolutio (ut sæpissime » contingit) integra laudani dosis tuta non est : » sed melius est gr. j. vel jj tantùm exhibere, » et semèl in die repetere, atque etiàm bìs, » si res admodùm urgeat. Sic enìm impetus » humorum cohibetur, et naturæ dantur indu- » ciæ, ut eos concoquere ac edomare valeat «. At verò diligentèr est animadvertendum, ait *Sydenhamus* » quod si non accesserit medicus, » nisi postquàm æger vomitu ac dejectionibus » per multas horas continuatis, putà 10 vel 12 » fuerit exhaustus, et jàm frigescant extrema » membrorum ; hoc, inquam casu omissis aliis » auxiliis, recto cursu ad sacram hujus morbi » anchoram, *Laudanum* intelligo, confugien- » dum est «. Præstant nonunquam in cholerà cardiaca roborantia, quandò nempè vis vitæ opprimitur, nec sufficiens est ad parvos humores excernendos, dijiciendos, morbique solutionem molliendam. Suspecta semper est sanguinis missio in cholerâ, sed si pulsus in principio sit fortis ac plenus, æger robustus dolores violenti, vires prostratæ ob pletoram sanguinis, nec sint destructæ, una vel duæ missiones parvâ manu adhibitæ, proficuæ sunt. Cùm verò remedia omnia superiùs recensita tempestivè adhibita fuerint, additis demùm stomachicis, amaricantibus, ambulationibus, vino, aliisque ejusmodi, ventriculo et relapsibus probè cavendum est.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

D. D. PROFFESSORES REGII,

PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Regis in Sacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

GASPARDUS-JOANNES RENE', *Decanus.*

ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

FRANCISCUS BROUSSONET.

FRANCISCUS VIGAROUS.

HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

HENRICUS FOUQUET.

JOANNES-BAPTISTA THIMOTHEUS BAUMES.

TENTAMEN
MEDICUM
DE
INOCULATIONE.

Quod, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

Paulus Seignette, Rupellæus, ex illâ Galliæ liberatæ diviſione quæ nunc dicitur *Département de la Charente inférieure*, pro trimeſtri Januarii anni 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

MONSPELII,
Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI,

PATRI OPTIMO

ET COLENDISSIMO;

SUAS THESES SEQUE TOTUM,

Dicat, Vovet & Conſecrat,

Devotiſſimus & addictiſſimus
filius

PAULUS SEIGNETTE.

LA NATION,
LA LOI
ET LE ROI.

TENTAMEN
MEDICUM
DE
VARIOLARUM INOCULATIONE.

MORINVAL.

Tôt ou tard un poiſon dans les veines circule,
Qui défigure ou tue.

PLINVILLE.

Oui, mais on inocule.
(*L'Optimiſte*, *comédie*).

DE variolarum inoculatione tractaturus, miſſas prorsùs faciam adversùs hanc operationem objectiones ab illuſt. *de Haën*, *Raſt*, *Bianchi*, *Hecquet* & aliis propoſitas; &, ni fallor, ab illuſt. *Tiſſot*,

Monro, *Jurin*, *Fouquet*, *Diſmdale* & quàm plurimis aliis invictè ſolutas. Conceſſum ergò remanebit, 1°. ſemel tantùm, pauciſſimis exceptis caſibus, hominem variolis invadi; 2°. maximam humani generis partem hoc crudeliſſimo morbo fœdari; 3°. Variolas naturales tùm complicationis, tùm ætatis, tùm tempeſtatis ratione, variolis inoculatis multò pejores eſſe; 4°. naturam ab inſitione non abhorrere. His poſitis, ad opus me accingo, adjutrice patrum indulgentiâ ſolitâ.

Inoculatio operatio eſt quâ virus varioloſum ad ſubjectum ad hoc præparatum juxtà - poſitione, frictione, ore vel naſo, inſertione veſicatoriis vel tandem punctionibus tranſmittitur; hoc utiliſſimo ſcopo, ſcilicèt variolas naturales præveniendi, eiſque mitiorem morbum ſubſtituendi. Aſt antequàm hi inter ſe inoculandi conferantur modi; dicere eſt: de ætate, corporis conſtitutione & tempeſtate ad opus perficiendum idoneis.

Et primo de ætate: priores vitæ annos ſæpiùs infeſtant variolæ: requireretur indè inoculationem à prioribus vitæ diebus uſurpari. Sed huic operationi multa tunc obſtant pericula. Vis vitæ nimia debilitas; nam ut notavit clar. *Sauvages*, periculoſiſſimus infantibus primus vitæ dies. Aleæ plenus dentitionis labor; pronitas humorum in decompoſitionem convulſionum frequentia, ſumma difficultas infantes adducendi, ut remediis, tùm præparatoriis; tùm

in decurſu morbi neceſſariis utantur. Sed præteritâ dentium evolutione (quod tertio vitæ anno ſæpiùs evenit) ad inoculationem ſtatim confugiendum eſt. Sat validas jam acquiſivit vires inoculandus infans; animi pathematibus non torquetur; & ſi ſeriùs retardaretur operatio, timendum foret, ne puer in viciniâ vagus, ut hujus ætatis mos eſt, morbum naturalem fortè peſſimi generis conciperet.

Inſitionem à ſexto ad octavum vitæ annum non tentabit prudens inoculator, niſi eminente epidemiæ varioloſæ periculo, ob ſecundam dentium evolutionem quæ ſub hoc tempore occurrere ſolet. Eâdem etiam utetur cautione, versùs pubertatis tempus: hâc enim epochâ, natura maximam molitur corporis humani revolutionem, & viribus ſuis & quiete opus habet, ut tutò momentoſum abſolvetur negotium. Refert *Diſmdale* ſexagenarios octogenarioſque inoculatos fuiſſe, etiam cum bonis rebus, at cutis nimia denſitas, hujus ætatis debilitas nota, & imminentiſſimum à cunabulis ad hos longævos annos contagii varioloſi periculum nos ſatis monent infantilem anteponendam eſſe ætatem, ad hanc operationem patrandam. Et hîc notandum venit non inoculandas eſſe mulieres catamæniorum ſuppreſſione laborantes vel ſub menſtruationis, graviditatiſque temporibus. Hoc verò ad majorem cautelam tantùm commendatur, nam aſſerit ſuprà citatus obſervator ſe inſcium hanc operationem ſub

his circumſtantiis effeciſſe, & ad fauſtum exitum rem perduxiſſe. Hæc pericula tamen longè fugiat & famæ & generi humano tyro conſulens. Cecidere etenim Icarus & Phaëto *Juniores*, ubi *Patrum* emicuit *Dædalii*, *Apolliniſque* gloria.

Aſt *Tiſſot* ipſum, in hâc quæſtione, judicem non recuſandum audiamus. « Quò juniores ſunt » infantes, inquit, eò fauſtiores variolæ ætas pro- » vecta in causâ eſt cur ſemper periculoſæ fiant, » ſæpè mortiferæ. Quò ab infantiâ receditur, eò » rigiditatis acquirunt fibræ; quò fluida acrimoniæ » ſpiſſitudiniſque concipiunt, eò periculoſiores ſunt » morbi inflammatorii; indè patet quod utrique » ſexui conveniat ocyor inoculatio, mulieribus » præſertim, ob graviditatis, partûſque oneroſum » opus. »

Sed ſatis de ætate dictum fuit; nunc, paucis, de tempeſtate diſſerendum.

Alii autumnum anteponunt, ver alii quamplurimi, & ſat validis cum rationibus; alii verò ultima æſtatis tempora, ut convaleſcentiæ labor antè hyemis adventum perfici queat; (tardus enim & difficilis evadit ſub hocce anni tempore). Sed, monente *Diſmdale*, vere eruptio major fit aliis anni tempeſtatibus; & cùm morbi epidemici frequentiùs graſſentur autumnali tempore; dyſenteriæ præſertim, pectoris læſiones intermittentes cum ulcere, qui morbi plùs minùſve variolis coëunt au-

tumnus inoculationi convenire non videtur. Aſt quia omni tempeſtate felicitèr evaſerunt ægri quibus libera fuit aëris frigidi & renovati circulatio, & quibus alvus admodùm laxa; concludi poteſt inſitioni congruere quodcumque tempus ſiccum & ſerenum, modò vitetur æſtatis calor nimius, & in hyeme veſtimentis ponderoſioribus abſtineat inoculandus æger, vitandæ & etiam ſunt epidemiæ malignæ, quibus variolæ aggravari poſſunt.

Nonnulla etiam dicenda veniunt de corporis conſtitutione, antequàm ad præparationem deveniamus. Subjectum oportet immunem eſſe ab omnibus morbis qui variolarum complicatione aggravarentur; tales ſunt morbi inflammatorii, putridi, illi qui ſtaſe comitantur, in parte corporis nobiliori, ulcerationes externæ, febres lentæ quæ à corruptis humoribus pendere videntur; ſcorbutus inveteratus, &c. Sed alii ſunt morbi, qui longè inoculationem impediant, perſæpè à variolis auferuntur; morbi, v. g. à compage relaxâ, viſcoſitate humorum frigidâ, &c. aliqui morbi cutanei ſicut herpes levis & non pruriens: ſub hiſce tamen ultimis circumſtantiis, ad curationem uſque morbi primarii, inoculationem prohibet jam laudatus *Tiſſot*, niſi imminente peſſimi generis variolâ epidemicâ.

« Frequenter vidi variolas, inquit *Cullen*, ſtatui » corporis morboſo ſupervenientes, quin pejores » forent. Peculiari modo, obſervavi pronitatem ad

» ſcrophulas & ipſam ſcrophularum præſentiam
» non deteriorem efficere morbum, & varios affec-
» tus cutaneos, variolarum periculum non augere;
» hæc mea mens eſt, quòd morbi febriles, vel
» morbi quibus producitur, vel augetur ſtatus febri-
» lis, quandò variolis coëunt ſpeciali modo com-
» plicationi periculoſiori anſam præbeant. » Refert tamen *Diſmdale* ſe vidiſſe febrim acutam variolarum ſimultaneam & hanc kina kina profligaviſſe, illæſo nec interrupto morbo primario.

Ex his concludere licet inoculationem ſub quibuſdam circumſtantiis, etiam in ſtatu morboſo, tentandam eſſe.

Diſputatum jam fuit inter auctores, ſed & adhùc diſputabunt ſeri nepotes de utilitate vel inutilitate præparationis. *Gatty* nullam commendat; Fratres *Sutton* è contrà omnem in præparatione ſecretâ ſpem ponebant. Aſt cum *Watſon* & aliis præparationem neceſſariam credere eſt. Si enim propter complicationes præſertim noxiæ ſint variolæ, cur methodo conſideretur quâ nullo-modo averterentur caſus iſti perquàm timendi? Ergò:

De præparatione.

Hoc tantùm in votis eſſe debet inoculatorum, dùm ſubjectos ad hanc operationem præparent, ut eligatur tempus aptius (de quo jam diximus)

& uſurpentur remedia & regimen convenientia (1).

Vires ægrorum elatiores ad tutiorem gradum redigere debet inoculator; debiles, & morbo ſuſtinendo impares corroborare; ſtomachumque & inteſtina ab omnibus cruditatibus liberare. At verò ut primum ſcopum certus attingat, ægris interdicatur regimen animale, butyrum, caſeus, fermenteſcentes liquores, &c. Sit diæta vegetabilis, refrigerans; ætati, temperamentoque cautiùs adaptata.

Varia proponuntur ab inoculatoribus media præparatoria; ſcilicet venæ-ſectio, emetica, cathartica, balnea, tùm uinverſalia, tùm localia, diæta, &c. de his, pro viribus, ſeorsìm agendum.

Cautè uſurpanda eſt venæ-ſectio, ut ut ſummè antiphlogiſtica, alia enim ſunt hujus generis remedia quæ certiùs, tutiùſque adhibentur in præparatione ad inoculationem, quin vires adeò debilitent; talia ſunt ſerum lactis, lac aquâ mixtum. &c. In ſolo caſu plethoræ & vergentiæ ad inflammationem mittendus eſt ſanguis.

Ad purgantia confugiendum eſt; priores vias

---

(1) Vide *Tiſſot:* Inoculation juſtifiée: & *Diſmdalii* de inoculatione opus aureum, quod in gallicum ſermonem ab anglo convertit, & notis adornavit ill. Prof. *Fouquet.*

enim evacuant, & morborum à ſaburrâ complicationem cum inflammatorio arcent; purgante ergò incipi debet præparatio; & bis, terve repetendum venit illud remedium in præparatorio decurſu. Adhibeantur mitiora medicamina, manna, v. g. additur cum ſucceſſu paululùm nitri. Anthelmintica quoque infantibus propinari debent; nam ferè ſemper ſuſpicandi ſunt vermes in infantibus, & horum cùm variolis periculoſa complicatio. Emetica quandòque purgantibus anteponenda, ratione temperamenti & circumſtantiarum quarum judex eſſe debet inoculator.

Circà vermifugum cæteris anteponendum plura habet illuſt. *Cotunni*.. Ex his quæ meo propoſito magis faciunt ſequentia depromam. « Ego quidem » ex quo tempore tantum à vermibus imminere » periculum deprehendi, & eo retuli frequentio- » rem certè cauſam, diù ſedulo quæſitam, funeſ- » torum caſum, qui nonnunquàm elapſos feliciſ- » ſimè varioloſos ex inopino peremerunt, ſtabilem » methodum ſuſcipere non dubitavi, quam nunc » conſtanter adhibeo, ita omnibus medendi vario- » loſis, vel ab ipſis morbi initiis, ut ſine ullo » variolarum detrimento, quin emolumento potiùs, » à vermium periculo ſalvi fiant. Etenim ſoleo » quotidiè ægris, vel in pauco lacte, quod mirè » vermes allicit, nec nocet varioloſis, vel in juſ- » culo dilutiſſimo, aut modico vino, æthiopis

» mineralis grana decem aut duodecim ſummo
» mane & veſperè exhibere ; quem ut efficaciſſimum
» ad hos vermes expellendos, manifeſtis & multis
» experimentis ſum convictus. Nam pluriès vidi
» varioloſos, ab ejus uſu vivos lumbricos fœcibus
» immixtos dejeciſſe ; quod inimicæ vermibus æthio-
» pis naturæ argumentum eſt manifeſtum ; non-
» nunquàm & mortuos noviſſimâ morbi declina-
» tione exiviſſe. Præthereà ut ex omnibus vermi-
» fugis hoc ſeligerem, & in uſu potiſſimùm reti-
» nerem fecit etiam periculi abſentia alvi vias ejus
» commovendi : qui ſolet effectus probata vermi-
» fuga ſequi propè modum univerſa. Nam in va-
» rioloſis nihil fortè ad uſque plenam morbi ma-
» turitatem nimio alvi profluvio eſt pernicioſiùs. »

Et paulò inferiùs hæc addit jam citatus auctor :
« Verùm non habet uſus æthiopis mineralis vermes
» unam cauſam quâ ſe maximè commendet vario-
» loſis : nam variolarum ipſis puſtulis favendi ejus
» tanta eſt, & tam conſpicua facultas, ut cùm
» vermium causâ primùm ſuſceperim exhibere,
» expertâ iſtâ ejus commoditate, & efficaciâ,
» poſteà etiam cùm ſuſpicio omnis vermium abeſſe
» videbatur, ipſarum causâ variolarum omnibus
» dare varioloſis inſtitui. Etenim vidi ſemper conſ-
» tantiſſimo experimento, nutritionem, & com-
» plementum puſtularum varioloſarum feliciter
» promoviſſe, &c. &c. »

Conveniunt & etiam balnea tepida cum herbis emollientibus, ad fibras rigidiores relaxandas; ſpiſſiorem cruorem diluendum; nimiam humorum acrimoniam ſopiendam. Pediluvia quàm plurimùm commendant Genevenſes inoculatores *Cramer* & *Joly*; omni veſpere, per horæ tertiam partem. Sed præcautiones requirunt in adhibitione; iſtorum enim rigorem ſolvunt, illorum verò augent. Indè fit ut humores qui ad peripheriam adtrahi deberent, ad centrum rapidè vergunt, maximo ægrorum damno.

Frictiones utiles quoque eſſe poſſunt, & in genere maxima pars remediorum quæ ad cutem adtrahunt; narrat etenim D. *Houlſton* ſe vidiſſe infantis cujuſdam clunes variolis crudeliter maculatas, propter flagellum miſello impoſitum; à puſtulis ſalvâ facie: hâc enim intentione commendantur adtrahentia localia, quibus materia varioloſa à partibus nobilioribus ad infimas revellitur. Succeſſu tamen vario: cùm ex unâ parte nos doceat *Van-Swieten*, *Rhazem*, circà tempus eruptionis, totam corporis ſuperficiem, capite excepto, vapori aquæ fervidæ expoſuiſſe; medicum Helvetium *Martin* omni quadrihorio univerſum totius corporis cutim linteo molli aquâ tepidâ madido foveri curaviſſe, donec papulæ prodiſſent, & ſic vidiſſe valida morbi ſymptomata ſedari, papulas citò prorumpere, nullaſque fere cicatrices relinquere; celeberrimum

Boërhaave inculcaſſe ſemper auditoribus ſuis, ut inferiores corporis partes perpetuò foverent & laxarent, ubi variolarum ſuſpicio adeſſet; ſivè balneo, ſivè pannis laneis emolliente decocto calido madidis perpetuò applicatis; id autem fieri hoc ſcopo: tùm maximam materiæ morboſæ copiam verſùs inferiora corporis derivandi, tùm & à ſuperioribus partibus avertendi; & cùm ex aliâ parte, dicat nobis *Tiſſot*, autoritatibus etiam fretus, ſæpè adhibita fuiſſe balnea, quin ſequeretur optatus affectus, certè concludendum: pendere has differentias à vario ſubjectorum temperamento. Idioſyncraſiæ ergò ſtudendum, ne ex uſu balnei accedant mala paulò ſuperiùs recenſita.

Facillimè perſentitur hos omnes præparationis modos non ſemper & ubique requiri in uno eodemque ſubjecto. Etenim ratione ætatis, temperamenti & tempeſtatis variari debent, tùm & ratione morbi primarii, ſi adſit.

Aſt ſimplicior mihi videtur *Diſmdaliana* præparatio: ægri diætâ utantur ſuperiùs indigitatâ, novem vel decem diebus, ante operationem per hocce temporis ſtadium, propinentur, intervallis ferè æqualibus, tres doſes pulveris (1) ſequentis,

---

(1) Cette poudre eſt compoſée, ſuivant la formule du Collége de Londves, d'une livre d'extrémités de

ſivè in pillulis coacervatas , ſivè aliquo vehiculo, ſyrupo , v. g. mixtas ; horâ ſomni , & doſim ſalis *Glauberiani*, in tenui aquâ hordei ſolutam , quâque manè ſequenti.

Partem præparationis non ſpernendam efficit diæta: nam cui bonum remediis uti refrigerantibus , ſi victus , ſi potus ſummè phlogiſtici ſint, & in majori quàm par eſt ingurgitentur quantitate; ſed nocentius adhùc foret parciori peccare diætâ; hac enim habet *Hippocrates* : « in tenui victu delin- » quunt ægri , ob id magis læduntur ; quicumque » enim error committitur , major in tenui fit, » quàm in paulò pleniore victu. » Indè enim oriuntur febres lentæ , eruptiones cutaneæ , & longior convaleſcentia. Pro potu ſit aqua aſſuetis , vel aliqua refrigerans ptiſana, diæta ſicut & præpararatio , ſubjectis accommodari debet. Debilibus enim viris , mulieribus , vel infantibus paululùm carnis concedendum.

De ſelectu puris , & inoculandi modo tutiori.

De ſelectu puris varia apud varios auctores ſen-

ſerres ou groſſes pattes d'écreviſſes préparée, de trois onces de perles préparée , & de pareille quantité de corail rouge préparé , le tout mêlé enſemble : on y joint auſſi un huitiéme de grain de tartre émétique. (M. *Fouquet*, notes ſur *Diſmdale*).

tentia eſt ; cùm illi hunc ſelectum nullius eſſe momenti, cogitent ; illi verò huic accuratè facto omnem operationis ſucceſſum tribuant. Diſputatur & etiam nùm crudum, nùm ſuppurans, nùm ſiccum adhiberi debeat pus varioloſum, nùm periculoſiùs ſit pure uti à variolis confluentibus procedenti, præ diſcretis, vel pure alterius morbi complicatione conſpurcato, potiùſquàm alio ſub ſimplici infectione ; nùm tandem anteponendum ſit virus varioloſum ab inoculato extractum. Has quæſtiones, pro viribus, ſeorsìm enodare tentabo.

Primæ quæſtionis ſolutionem præbent *Diſmdale* & *Tiſſot* : ſcilicet, nùm crudum ſuppurans, vel ſiccum adhiberi poſſit pus varioloſum.

« Patet, inquit *Diſmdale*, quòd ſtatìm atque
» humiditas aliqua decerpi poſſit à loco infecto
» inoculati, antequàm ullæ appareant puſtulæ,
» tùm & antè eruptoriam febrim, hæc humiditas
» ſat valida ſit, quæ variolas certè commnnicet.
» Aliquotiès paululùm cepi fluidi liquidi à veſiculâ
» in inſitionis loco natâ, quartâ die poſt opera-
» tionem ; & aliquotiès materie abſolutè elabo-
» ratâ uſus ſum, poſt criſim ; idque maximo cum
» ſucceſſu. Attamen materiem præfero durante
» eruptoriâ febre ſuſceptam, ſupponendo illam,
» tunc temporis, majori gaudere activitate, &c. »

Quæritur nunc : nùm ſiccum pus adhiberi poſſit ? Affirmativè reſpondendum, cùm referat *Tiſſot*

virus varioloſum octo menſibus & ultrà cuſtoditum fuiſſe, & hoc tempore feliciter uſurpatum. Præterea, eodem cum ſucceſſu inoculatus fuit Helvetius *Vulliet*, mihi ad tumulum amicitiâ quaſi fraternâ devinctus, pure à Franco-furto ad uſque lacûs Genevenſis ripas delato, diſtantiâ certè notabili.

Succeſſui omninò indifferentem expertus eſt *Dimſdale* uſum materiei varioloſæ, tùm ab inoculato, tùm ab ægro ſub morbo naturali ſuſceptæ; viderunt & etiam Practici variolas diſcretas confluentium pure productas, & vice versâ. In hoc ergò nimiam afferre attentionem ſaltem inutile.

Non idem dicendum de pure, contagio alterius morbi conſpurcato. Hæc enim leguntur in doctorum diario, menſis Januarii an. 1766.

« Juſſit Medicus quidam proprium filium inocu-
» lari, graſſantibus febribus purpuratis; multos
» ægros inviſendi coactus, hanc febrim filio com-
» municavit; brevi evaſerunt maculæ purpureæ,
» eruperunt puſtulæ, & benignus admodùm fuit
» morbus; ſuſcepto è puſtulis pure, inoculandi gra-
» tiâ, ſtupentibus apparuerunt purpureæ maculæ
» variolis commixtæ, feliciter tamen ſucceſſit ope-
» ratio; at verò majoris imprudentiæ eſt materie
» adeò ſuſpectâ uti. »

Fatetur quoque D. *Deſgranges*, Lugdunenſis Medicus, ſe diarrhæam cum variolis inoculaſſe, pure à diarrhæico uſurpato. (*Journal de Médecine*,

Juin

Juin 1790). Ex his & plurimis aliis quæ nunc referre inutile ſimùl & tædioſum foret, colligere eſt adhibendas eſſe ſtrictiſſimas cautelas in ſelectu puris varioloſi.

Ad clariorem quæſtionis enodationem requireretur, ni fallor, puris varioloſi indagatio chemica; ſed cum *Sydenham* & aliis Medicis veri cultoribus ignorantiam meam fateri glorioſiùs puto, quàm incerta & inutilia amplecti ſyſtemata, quibus ſivè ad theoriam, ſivè ad praxim nihil adſfertur emolumenti.

Pus ergò varioloſum, quæcumque ſint ejus elementa, ſubjectis ritè præparatis inſitum, morbum ejuſdem generis producit, & ſæpiùs mitiſſimæ indolis. Diverſiſſimi ſunt inoculandi modi apud varias gentes, & nunc de his, paucis, diſſerere venit.

Chinenſes pulverem è puſtulis variolarum deſſicatis naribus attrahunt. Meritò objurgatur illa methodus, cùm experientiâ conſtet eruptionem majorem eſſe quo loco virus inſeritur. Puncturis quoque inoculatur illa gens, mediante acu quam delineavit illuſt. Profeſſor *Fouquet*. (*Préface de la Traduction de Diſmdale.*)

Turcæ mulieres virus varioloſum cum pane butyro illinitum devorandum præbent. Sed hunc uſum multiplex oppugnat ratio: nam cùm infectio hunc ſcopum habeat: producere ſcilicet externam &

cutaneam eruptionem , quare fomitem ab eruptionis loco removere ? Nonne timendæ ſtaſes internæ ?

Hæc enim in *Cotunni* eximio opere leguntur : « quæ methodus cæteroquin omnium ,
» quæ adhùc ad variolas arte inducendas in-
» ventæ ſunt , meo judicio eſt deterrima. Ete-
» nim hoc credo primùm inſertas variolas ,
» præcipuum habere bonum , quod pro iis
» venenum per cutem inſinuatur , & rectâ viâ
» ſanguinem adit, vitatâ miſturâ , ſivé bilis , ſivè
» aliorum humorum , excrementorumque in alvi
» viis redundantium. Qui humores ſivè quia indolis
» fortè pravæ occurrant , & venenum acrius red-
» dere commixtione ſuâ poſſint , ſivè quia veneni
» illius mixturâ facilè reddantur acerrimi , malam
» cum eò ineunt ſocietatem. Nam veneno magnam
» per ſe aliàs perturbationem ſanguini illaturo ,
» auxiliares veluti vires addunt , duplicantque ità
» machinæ mala , & varioloſo illud adjiciunt, quod
» ſimùl acres ipſi , & corrupti humores excitant
» & movent , &c. &c. »

Plurimi alii adſunt modi quibus perficitur inoculatio , de his ſeorsìm agere & longum & ſupervacaneum foret ; differentia & enim quæ eos intercedit in manipulatiòne tantùm reperitur , & minimi momenti eſt. Sic inoculationem per frictiones , per virûs juxta poſitionem , &c. &c. Alto ſilentio

prætermittam ; de his legere eſt. *Buchan*, (*Médecine domeſtique*).

Examinandæ nunc veniunt uſitatiſſimæ methodi, inſertionis ſcilicet, veſicantium, puncturarumque.

Inſertione, brachio, ſat altum infigitur vulnus, & huic intromittitur filum pure humido vel ſicco impregnatum, emplaſtro & faſciis obvolvitur locus, quibus oculis ſubripitur infectionis progreſſus, vel ſaltem larvatur, maximo tùm artis, tùm ægri damno. Inſuper lentè ad curam procedit vulnus inflictum, & ſæpiùs fiſtuloſum fit. Operatio ipſa dolorifica eſt ; indè, ut mihi videtur, rejicienda, nam ubi de infantibus agitur, de tollendis & dolore & repugnantiâ humaniter ſtudendum eſt.

Veſicantium methodum ſuadent *Buchan* & *Ponſard* Burdigalenſis Medicus, præſertim ubi inoculandus infans ferro ad inſertionem vel puncturas adhibito perterritur. His, ſine dolore, vel ſaltem ſine terrifico apparatu ſubtrahitur epidermis, & ad inſitionem aptus efficitur locus, nùm in brachio, nùm in ſurâ applicandum ſit veſicatorium quæſitum eſt. Intactæ, ſi fieri poſſit, ſuræ maneant, ne intrà cubiculum retineatur æger, cùm maximè proſit aër externus. Si tamen debilibus laboret oculis ſubjectus, in ſurâ inoculandus eſt, ut certior revulſio fiat; idem dicendum de inſertione & puncturis.

Punčturarum methodum introduxerunt Fratres *Sutton*, Sed hanc, lucri gratiâ, myſterio obvelarunt, præſertim circà præparationem. *Diſmdaliana* methodus eadem eſſe videtur ab omni arcano liberata, & ad generis humani ſalutem omnium juris facta. Hunc ergò celeberrimum audiamus inoculatorem.

« Æger inoculandus eodem domo utatur ac ſub-
» jectus jam variolis infectus, palulùm capiatur
» materiæ variolicæ (ex inſertionis loco, ſi ino-
» culatus fuerit æger, vel à maturâ puſtulâ, ſi
» variolis naturalibus laboret) in lanceolæ acu-
» mine, ità ut duo apicis latera madefacta ſint.
» Incidantur epidermis & cutis ipſa quâ parte
» brachii cauteria applicari ſolent. Octavâ parte
» pollicis inciſio fiat, parvulum illud vulnus pollice
» & indice operatoris apertum teneatur & pure
» humectetur lanceolâ ad os vulneris appoſitâ.
» Sæpiùs tentatur hæc operatio brachiis ambobus,
» & quandòque duobus brachiorum locis, pau-
» lulùm inter ſe diſtantibus, nam nullo obſervato
» damno, à duabus vel tribus inciſionibus, malè
» unicæ confiditur. »

De progreſſu & curâ morbi.

Controverſias potiuſquàm diſquiſitiones amant auctores plerique, indè de eruendâ ſtabiliendâve

inoculatione, quæſtione merè medicâ, metaphyſicé, juridicè, theologicè diſputatum fuit; & prorsùs neglecta eſt ipſa morbi hiſtoria. Fuſiùs tamen illam delineavit *Diſmdale* cujus in his quæ dicenda mihi reſtant veſtigia premam.

In quatuor ſtadia dividitur morbus ab inoculatione exſurgens, primum infectio localis, ab op e rationis inſtanti ad febrim invaſionis. Secundum ab eâdem febre. Tertium à puſtularum eruptione. Quartum tandem ab earumdem puſtularum ſuppuratione, nec-non exſiccatione deſignantur.

Primnm. Infectio localis, die poſt operationem primâ, parvula jam detegitur in vulnere alteratio. Secundâ die, ſi lente examinetur pars, ſæpiùs apparet macula citrina versùs inciſionem, & contracta videtur cutis vicina. Hoc tempore, ſequens medicina propinetur, horà ſomni; calomel & pulvis è chelis cancrorum, utriuſque tria grana, tartari emetici grani decima pars.

Secundum. Febris invaſionis: versùs quartam vel quintam diem pars dureſcit, perſentitur pruritus, & ſub veſiculâ conſpicitur paululùm fluidi crudi. Die ſextâ rigent & dolent axillæ. Plurimi facit hoc ſymptoma *Diſmdale* cùm illud habeat quaſi febris invaſionis terrentia & morbi optimæ indolis præſagium: hæc eadem tamen vidit *Houlſton* quin ſequerentur variolæ. Quandòqne versùs ſeptimam vel meliùs versùs octavam diem apparent

ſymptomata febris eruptivæ ; tales ſunt : leves & remittentes dolores in capite & in dorſo, ſequuntur tranſenni horrores, calores alternativi plùs minùſve ingraveſcentes, ad uſque eruptionem perfectam deguſtu oris pravo quæritur æger, fœtet halitus, & ut optimè norunt Practici, fœtore peculiari & ſui generis.

Tertium. Puſtularum eruptio : versùs octavam vel nonam diem apparet puſtularum notiſſima eruptio. Per hocce morbi ſtadium recedendum prorsùs à veterum normâ. Aëri libero tradendi ſunt ægri, potu utantur frigido, diætâ tenui ; quantùm fieri poſſit, ambulent. His mediis præcavetur nimia variolarum eruptio, & ferè extincta febris videtur. Hoc tempore ſapienter iterabitur medicina ſuperiùs dicta, & manè ſequenti, hoc potu, ter, quaterve, laxabitur alvus : infuſionis ſennæ unciis duabus, mannæ ſemi-uncia, jalapæ tincturæ drachmis duabus.

È *Sydenham* curatorium modum ſuum in eruptionis ſtadio deprompſiſſe fatetur *Diſmdale*, *Sydenham* ipſum in medium proferam, ut calcem addam operi.

« Ubi primùm eruperint puſtulæ, ægrum cere-
» viſiâ tenuiori, juſculis avenaceis, hordaceis, &c.
» reficiendum curo. . . . Atque ſi tempore æſtivo
» eoque calidiſſimo variolæ non ità multæ obtin-
» gant, quorſum attineat ægrum in lecto jugiter
» ſtratum, obrutumque detinere, ego quidem non

» video. Quin potiùs ſingulis diebus, per aliquot » horas de thoro horo ſurgat, eâ lege, ut tam loco, » quàm veſtitu, frigoris pariter ac caloris nimii » incommoda præcaveantur. Quid quod ægroto à » cubili quandòque abſtinente, morbus minori cum » moleſtiâ, ac etiam breviori ſpatio tempora ſua » peragat, quàm ſi eidem continenter affigatur, » quod non modò ægritudinis tædium adauget, » verùm etiam febrilem æſtuationem fovet, & » prodeuntibus veſiculis dolorificam inflammátio- » nem conciliat. »

Quartum. Suppuratio & deſſicatio variolarum: quoad tutiorem variolas tractandi modum in ſtatu maturationis, hæc habet totiès laudatus *Dimſdale*: « Suſcipe ſpiritûs tenuis vitrioli partem, duas ſpi- » ritûs dulcis vitrioli, fiat mixtio. Hujuſce reme- » dii ſemi-uncia hordæi aquæ tribus pintis addatur, » vel potûs pectoralis, vel diluentis cujuſdam, & » ad libitum epotetur. » Hæc etiam ſubjicit *Tiſſot*; » præterito febris eruptoriæ tempore, déſſicatiſque » brachiorum crurumque puſtulis, propinatur anti- » phlogiſtica medicina quam reiterare poſt aliquot » dies convenit. His adhibitis, nihil ſanitati promptè » reſtituendæ aptius, quàm potio ſudorifica & » tonica, per quatuor quinqueve dies uſurpata. »

De anomaliis non curabo: protheiformes enim ſunt (parvum tamen afferunt ſæpiùs periculum, ut videre eſt in collectione quàm tractatui ſuo

addidit *Dimſdale*) & numeroſiores quæ de his ſeorſim diſſerere detur.

Indulgete, VIRI PATRES.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

QUÆSTIO MEDICA
DE
NYMPHOMANIA.

QUAM, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi tueri conabitur,

AUCTOR,

CAROLUS-ANTONIUS ROYER, Monsbarreus, olim apud Burgundos, & in novâ partitione, *Département de la Côte-d'or*, Liberalium artium magiſter, & jamdudùm Medicinæ Alumnus.

Ad gradum baccalaureatûs conſequendum.

Terra ſalutiferas herbas eademque nocentes
Nutrit, & urticæ proxima ſæpe roſa eſt.

OVIDE.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

1791.

TENERRIMÆ SUÆ MATRI,

NEC-NON

AVUNCULO SUO,

VIRO HYPPOCRATICO

Has in arte medicâ primitias,

D. V. C.

CAROLUS-ANTONIUS ROYER

QUÆSTIO MEDICA

NYMPHOMANIA.

TANTA eſt malorum turba quibus afficitur ſequior, amabilior humanitatis portio; præſertim in illâ vitæ periodo in quâ præſtantiſſimis naturæ dotibus frui debet ut totam attentionem mereri videantur; ſed inter hæc de furore uterino tractare ſuſcepi, quia hic furor tantas ſtrages in puellâ facit ut familiæ eſſe dedecus cogi videatur.

Varii auctores, varia nomina huic morbo tribuerunt, alii furorem uterinum, alii nymphomoniam, alii hyſteromaniam, alii melancholiam uterinam, nonnulli ſatyriaſim mulierem appellârunt.

Hunc morbum cum multis definire amamus inſa-

tiabilem coëundi cupiditatem cum ſenſatione irritabilitatis partium genitalium & cum furore junctam; undè videre eſt hunc morbum ſuam ſedem in genitalibus habere, quæ coëundi naturali appetitu donentur.

Natura ſingulis organis appetitus particulares induens, quorum ope de rebus neceſſariis indeſinentèr monentur; inſtinctu quaſi peculiari dotavit organa genitalia propter illorum functionem, nam juxtà *de Grimaud*, lugendum hujuſce Lycæi Profeſſorem, cujus propria verba referam. « C'eſt de cette action » des teſticules, qui, par une irradiation toujours » ſoutenue, animent & vivifient toute la maſſe du » corps, que l'animal reçoit cettè plénitude de force, » cette exubérance de vie qui le porte à ſe repro» duire; en ſorte qu'en comparant les organes de » la génération avec les autres organes, on peut » dire qu'ils ſont beaucoup plus nobles, beaucoup » plus importans que tous les autres qui ne font » exiſter que d'une vie individuelle, ſolitaire, & » non de la vie de l'eſpèce » (1). Hanc facultatem in utero novit *Plato*, nam ſapiens ille vir vocat uterum, animal facultate concupiendi præditum, & hanc ſententiam contendit *Ballonius*, nam ſic aït: *cur non utero ut ori ſuperiori ventriculi appetitus quidam inceſſat rei jucundæ* (2). Sed hanc inſitam facultatem confirmat experientia quotidiana; nam quis niſi ſit ad coïtum impotens vel venere & ætate conſumptus,

(1) Mém. de la nut. p. 106.

(2) De furore uterino.

inſpectu formoſæ puellæ vel illius attactu voluptatem non ſentierit, & ſubitam pudendi erectionem; undè ex his concludimus cum *Ballonio* uterum animal concupiſcens non ineptè vocatum fuiſſe.

Diverſa ſymptomata in hoc affectu exiſtunt pro diverſis illius ſtatibus; nam cum *Scardona*, *Aſtruc* aliiſque varios gradus admittimus; in 1°. mulieres hoc morbo affectæ regulas honeſtatis publicè ſervant, etiamſi eretiſmum, ardorem & pruritum in pudendis ſentiant, regulæ deficiunt, urinæ aliquandò ſupprimuntur, meditabundæ ſunt; attamen vultum floridum & oculos flammeos habent, tunc cætus hominum quærunt, eorum blanditias avidè excipiunt, lætæ oſcultant, arrident, fugiunt mulieres caſtas; tunc legunt obſcæna, vel in ſe recogitant de modis quibus illarum flammæ ſatisfecerunt, ſeſe manu ſtuprant, agrypniam & anerexiam habent, & in dies illa ſymptomata cum morbo vim acquirunt, triſtes & taciturnæ fiunt ægræ, tunc obnebulant illarum oculi, & de rebus venereis ſemper occupatæ in melancholiam tranſeunt, omni decore rejecto verba obſcæna proferunt, ad coïtum incitant homines etiam ignotos, & ſi illis ſpes aliqua fulgeat, hilares ſunt, garrulant & mille blanditias profundunt, ſed illarum ſpe deluſæ, furioſæ apparent; & tradit *Joannes Fortis* nobilem virginem, verecundiſſima cùm eſſet, & potiùs muſicis quàm venereis oblectamentis dedita præ morbi vi eo adactam fuiſſe ut accerſito medico juveni clàm manum captaverit, & illam ad propria pudenda admoveret; tanto furore premebatur, ut viris quibuſcum tumultuoſa

reddita, exuto pudore de rebus venereis cum gaudio & voluptate loquebatur, quoſque ſollicitabat & invitabat. In ultimo verò ſtadio hæc omnia exacerbantur, furor ſemper auget, & in veram maniam cadunt, tùm propter partium genitalium præcipuè clitoridis eretiſmum & igne internâ quâ uruntur, ita ut pruriat è pudendis liquor rodens & exulceſcens, & aliundè omnia maniæ phœnomeua habent, ut notat *Aſtruc* (1). Agrypnia conſtans, fames & ſitis defectus, fervor totius corporis, urinarum paucitas, & ſi non morarentur denudato corpore in vias currerent, vociferando homines, omnibus modis invitando, in ſegnes irruendo, & ut novæ Meſſalinæ fatigari quam ſatiari poſſunt.

Hic affectus in urbibus communior eſt quam in ruribus, & illi obnoxiæ ſunt virgines jam viro maturæ, temperamento irritabili, & ut aït *Sydenhamius*, pluſquàm ſolet ſanguineo & habitu viraginum præditæ, aliquem amaſium perditè amantes quo potiri non dentur quæ continuò alimentum huic igni præbent, ut vult *Aſtruc*, *legendo mileſias fabulas quæ non teneros, ſed etiam laſcivos amores ſpirant*, colloquendo ſæpiſſimè de rebus venereis, quæ ſeſe manu ſtuprant, & aurem facilem blandimentis virorum præbent. Fæminæ adhuc juvenes homini ad coïtum impotenti conjunctæ; viduæ quæ antequàm mors impatiens ad orcum illarum maritum duxerit, in cubili nuptiali alimentum flammæ legitimæ reperiebant; nam, ut aït *Muſitanus*, *lugebunda prorsùs prœ cæteris eſt mulier in*

(1) Malad. des femmes, t. 2.

cœlibi conjugato, quam viduo ſtatu, quia unius uteri ratione multis facta eſt calamitatibus obnoxia. Timeant hunc morbum virgines temperamento ſuprà dicto præditæ votum caſtitatis facientes, timeant & etiam puellæ quæ veneris palæſtræ aſſuetæ ſuas ſponte libidines refrenant aut refrenare coguntur.

Multæ ſunt cauſæ hunc furorem accendentes, & ſunt vel procatharticæ vel proximæ. Inter proximas eminent magna ſenſibilitas & irritabilitas in ſyſtemate nervoſo, præſertim in utero, humorum & ſanguinis peculiaris acrimonia, & exuberans ſpermæ collectio, nam juxtà *de Bordeu* « *Montagne* » diſoit qu'un excès d'amour & de turgeſcence de » la ſemence mettoient les hommes dans un état » d'enfance; je les croirois plutôt en pareil cas » dans un accès de délire, de férocité plus ou » moins violente; ils n'entendent rien, ils ne » ſouffrent aucune réſiſtance, ils ſont ſérieux, » uniquement occupés de leur beſogne (1). » Hanc diſpoſitionem corpori hærentem adjuvant & evehunt cauſæ determinantes, præcipuè ſex rerum non naturalium abuſus. 1°. Quidem aer vitæ pabulum licet primo intuitu innocens in hoc morbo, ſi illius calor augetur plurimùm augendo ſenſibilitatem valere poteſt, & iſtud extrà aleam ponitur permagnam ſenſibilitatem incolarum meridionalium, & per illorum ardorem ad coïtum reſpectivè ad ſeptentrionales. 2°. Cibus & potus acrimoniæ ſanguinis

---

(1) Analyſe med. du ſang, p. 428, §. XLVIII.

favent eſcula ſalina, lauta & oppipara, potus immoderatus *café*, chocolatæ, vini generoſi, ſicut & liquoris, &, ut aït *Sanctus Hieronymus*, *in genere quodcumque cupediarum genus omniſque ventris ſaturitas ſeminariorum eſt venerei amoris.* 3°. Motus & quies, moderatus labor eſt animi ſolatium, ſed immoderatus facultatem nutritivam debilitando auget ſenſitivam, nemo autem ignorat qualem effectum in corpore gignit quies, & ut eleganter cecinit poeta :

Otia ſi tollas periere cupidinis arcus
Contemptæque juvent.

Aliundè *Galenus* obſervat mulieres in otio degentes affectionibus ſpaſmodicis obnoxias eſſe, 4°. Somnus & vigilia. Quid enim veneri magis favet quam calor mollis & tranquilli cubilis ? Quid magis effervet ſanguiuem quam longiùs protrahere diem. 5°. Excreta & retenta, ſeminis excretio & retentio nimia in œconomiam animalem maximè influunt, juxta *Bordeu*, ſeminis in humores refluxus fibras irritat & ſtimulat, & illum ſpectat ut ſtimulum corporis novum, quoddam impetum facientem cum *Vithof*. 6°. Animi pathemata, cauſis ſupra memoratis favent amor inſanus & libidinoſæ cogitationes ſed præter hæc ſunt & aliæ, ut frequens manuſtupratio, ut refert *Tiſſot*, uſus imprudens cantharidum, & *narrat Ambroſius Paré* hiſtoriam abbatis cui quædam mulier præbuit cantharides, & cum erectione continuâ penis ejaculabat.

In primo inſtanti ſat difficile eſt hunc morbum

cognoſcendi, quia virgines propter dedecus nil fateri audent ex phænomenis autem recenſitis evidenter apparet quanti momenti eſt principiis obſtare, licet hic morbus aliquando ſine artis auxilio per copioſam uteri hæmotrhagiam, vel hæmorroïdum, ut vidit *Bienville*, vel per fluxum liquoris acris, vel per impregnationem terminetur aſt ſi diu protrahatur morbus & altas radices injecerit malum, perdifficilis, ut non dicam impoſſibilis ſit curatio; cum medicus appellatur, malum detegere tentet omnibus modis ægram verſando, ſive loquendo de rebus venereis, tamen ſervando regulas honeſtatis, tum omnes illius motus obſervando, ſive in illius certum juvenem adducendo; certiſſimè geſtibus, vel oculis, vel alio modo ſeſe denudabit.

Indicationes quas implere debet medicus ut motus nervoſos mitiget, & diſpoſitionem arceat, in principio nil magis convenit quam coïtus. Ut decus familiarum ſervet, debet ſuadere virginem conjungere juveni cujus amore captam, nam obſervationibus conſtat mulierem impregnatam non eiſdem lugendis phænomenis affici.

Remedia vero quæ adhibenda veniunt ſunt ſanguinis miſſiones præſertim ſi plethorica eſt ægra, vel ſi ab aliquâ ſanguinis fluxione ſuppreſsâ ſupervenit, præparationes opii, moſchus, camphora, gallium, hioſciamus, hypericum, cum omnibus aliis antiſpaſmodicis interponendo purgationes cum pulpo tamarindorum vel cum ſalibus neutris, ut ſal polycreſti, cremor tartari, ſal glauberii, & alia ejuſmodi, pariter

non ſunt negligenda balnea, emulſiones cum ſeminibus frigidis camphoratæ & nitroſæ, ptiſannæ cum nymphæâ, alteâ, chicoreo; lactucâ & ſero lactis, ſed tempore horum remediotum ſeſe exhilaret ægra, per campos frequentèr, ſed non ſola ambulet, fugiat homines præcipuè libidinoſos, evitet carnes præſertim acres & ſalaces, potum *café*, vini fortis & liquoris, nimis & aſſiduè non laboret, mollitiem in cubitu non quærat, non ſero vigilet, nec diu manè in cubili moretur; verum cum ægra in melancholiam ſicut & maniam inciderit, tunc remedia ſupra memorata magna doſi adhiberi debent, & methodo *Kempf* injectiones detergentes in rectum, vel in uterum tentet medicus, inter pudenda mittatur glacies, vel folia ſempervivi, ſed communiter hæc ſunt inſufficientia & perit ægra.

Nihil hìc dicam de ſpecificis ab autoribus commendatis, quia cum ill. *Aſtruc*, eis non magnam fidem adhibemus.

DIXI.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES - BAPTISTA - TIMOTHEUS BAUMES.

DISSERTATIO MEDICA

AN

PLEURITIDI PHLOGISTICÆ VENÆ-SECTIO.

Quam Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, publicis ſubjiciebat diſputationibus

Auctor,

Hyppolitus André Civis Ruthenenſis partitione Aveyron apud Aquitanos, Liberalium Artium Magiſter, & jàmdudùm Medicinæ Alumnus, anno Libertatis ſecundo 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Principiis obſta, ſero Medicina paratur [redacted]
Cum mala per longas invaluere moras. *Ovide.*

Nationi,
Legi,
Regi.

MONSPELII,
Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Ùniverſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ,

M. DCC. XCI,

DILECTISSIMÆ MATRI

NEC-NON

FRATRI CARISSIMO

AD URNAM COLENDIS

Quid *mihi dulcius ? Quid jucundius ? Quam veſtris ſub auſpiciis in lucem edere prima hæc laborum in Medicina redimenta quæ*

Amor vovet amori

Reverentia offert virtuti

Gratus animus rependit benevolentiæ ;

Hyppolitus André.

Dabam Monſpelii , die 11 Januarii 1791.

DISSERTATIO MEDICA

AN

PLEURITIDI PHLOGISTICÆ VENÆ-SECTIO.

Sedes morbi.

NEMINEM fugit plurimùm anteponendam eſſe morbi deſcriptionem ejus definitioni. Illud nos edocent *Hippocrates*, *Aretæus*, *Lomnius*, *Sydenham*, *Stool* aliique plurimi, qui morbos ſemper deſcripſerunt. Aliundè eò magis valet circà pleuritidem deſcriptio, quò ex ſede morbi partìm deſumatur definitio; porrò de illo objecto diſſentiunt adhuc Auctores; licèt tamen plevram, inflammationis capacem, judicemus, teſtantibus aperturis cadaverum pleuriticorum à *Swietenio*, *Morgagnio*, *Lieu-*

taudio, *Haënio*, *Stoolio* tentatis : undè cogitandum juxtà nos, *Servii*, *Hoffmani* & *Trilleri* obſervatis, raro inflammatione ſolam corripi plevram, ſalvis pulmonibus; idcircò, cur pleuritis ſicca, ſedens juxtà *Stool* in plevrâ propriè dictâ, obſervatione quotidianâ non commonſtratur. Concludendum igitur in errorem verſari omnes, qui ſemper in plevrâ, aut muſculis intercoſtalibus aut membrana adipoſa collocari pleuritidem, ſimul & etiam qui in pulmonibus ſolummodò affectionem jacere contendunt. Veritatem attigiſſe ſolus mihi videtur *Morgagni*, quandoque in plevrâ, quandoque in muſculis intercoſtalibus, quandoque in pulmonibus, quandoque in plurimis harumce partium, quandoque in cunctis, inflammationem, vigere, opinans.

Deſcriptio morbi.

Pleuritis vera, ſeu phlogiſtica, duo ſymptomatum genera nobis offert; alia, quæ ſpectant ſtatum formalem inflammatorium; alia febrem concomitantem.

Si ad priora attendamus, obſervabimus præprimis quamdam tenſionem ſpaſmodicam in pectore, poſteà dolorem in regïone mamillarum pungitivum, unum vel utrumque latus afficientem, plus mtnuſve intenſum, animam intercipientem, quandoque ad claviculas deorſumque ſeſe extendentem : vigent etiam reſpiratio difficilis, anheloſa, tuſſis ſicca, moleſta; plurimùmque ſanguinolenta, &c- &c.

Si ad poſteriora; cuncta deteguntur diatheſeos

phlogiſticæ ſymptomata. A refrigeratione orditur; ſequitur calor aſſiduus, attactu non auctus, veluti in morbis bilioſis, verùm mitior, pulſus pleni, fortes, duri, accelerati; facies rubra, vultuoſa; oculorum ſplendor; lingua albida aut prærubra; oris & labiorum ſiccitas; ſitis, cephalalgia, dolor lumborum; alvus nulla aut rara & reſiccata; urinæ parvæ, flammeæ; febris uno tenore pergens, veſperi noctuque parumper acuta, ſine frigore, donec circà auroram modicè miteſcat; cutis ſicca, ſudores nulli, &c. Talia apparent ſymptomata in primo & ſecundo ſtadiis, ſtatum irritationis efformantibus.

Ubi autem ad tertium ſtadium pervenit morbus, tunc temporis ad ejus ſolutionem vergit- Aliæ veluti inflammationes ſolvitur pleuritis reſolutione, ſuppuratione, skirro, & gangræna juxtà nonnullos, quod rejicitur à merit. Proſ. *Vigarous*.

Ad reſolutionem tribui merentur ſudores, hæmorrhagiæ, urinæ ſaturatæ ac copioſæ, quæ ſub primis diebus morbum aliquandò ſolvunt. Terminatur autem plerumque pleuritis expectoratione. Iſta in criſi, mucoſa, albida, conſiſtentia & abundantia fiunt ſputa, quæ criſim mali ominis prænuntiant juxtà *Hippocratem* ſi tenuia, æruginoſa, virida, nigraque reſpuat æger. Metaſtaſibus etiam ad articulos materiei coctæ & ad glandulas aliquandò ſolvitur pleuritis. Supurationis ortum indicabunt dolor ardens ad loca inflammata, lento gradu procedens, nec-non febris ipſamet (criſi quâcumque abſente) longiùs protractâ & lentâ factâ, ut etiam horripilationes ac ſputa purulenta. In skirrum ver-

ſatur ſolutio, ſi calidis aut nimirùm evacuantibus remediis morbus fuerit debellatus; ſi moderatâ febre, & manente impeditâ reſpiratione ac tuſſiculâ, accedat totius corporis tabes.

Deniquè ſigna quæ denotant converſionem ex acutâ ad chronicam, tùm à ſputis, tùm à febre & aliis fontibus, ab *Stool*, *Lorry* apprimè enarratis, apparent.

Deniquè in ſenſu Auctorum qui admittunt ſolutionem in gangrænam, prænuntiatur illa terminatio diſparitione ſubitaneâ doloris, ſuprà modum acuti; ſymptomatibus, quæ cordis cerebri affectionem ſecundariam patefaciunt; ſputis nigris, fætidis, tenuibus; ſputatione ſanguinis nigri ac picæi; horripilationibus vagis; pulſu parvo, debili, &c.

Cauſæ morbi.

Triplicem cauſarum agnoſcimus ordinem, cauſas nimirùm prædiſponentes, occaſionales & proximas, de utroque ordine nonnulla, ad pleuritidem relativa, proferamus.

Exiſtunt duæ claſſes cauſarum prædiſpouentium, alia ſpectans ſtatum formalem, alia ſtatum materialem aut phlogiſticum. Cauſæ prioris claſſis eæ ſunt quæ in plevrâ aut pulmonibus talem ſtatum inducunt, ut organa ad inflammationem diſponant. Sic oppreſſio frequens pectoris à curſu & equitatione procedens; ſic inſtrumenta quæ inſufflationem expoſcunt; ſic artes aliæ, actionem continuam in organis reſpirationis expetentes; ſic debilitas nativa

pectoris; debilitas organica à præcedentibus affectionibus pectoris producta; debilitas ſympatica, &c. Cauſæ claſſis poſterioris eæ ſunt quæ diſponunt ad diatheſim phlogiſticam, & illius diatheſeos ſuſceptibilitatem, ſi ita loqui fas ſit, ponunt. Sic temperamentum plethoricum; ætas juvenilis; ſuppreſſio evacuationum ſeanguninearum, &c.

Cauſæ occaſionales, eæ nimirùm, quæ corripientes corpus jam diſpoſitum, cauſam proximam ſeu efficientem cum causâ prædiſponente generant, ſunt frigus ſiccum, potus frigidi corpore calente; conſtitutio aëris epidemica; genio occulto agens, abuſus liquorum ardentium, pectoris concuſſiones, ictus, caſus, &c. &c.

Cauſam proximam duplici ſub aſpectu conſiderabimus, vel relativè ad inflammationem, quæ, vigens in plevrâ aut pulmonibus, aut muſculis intercoſtalibus, morbum facit pleureticum, vel relativè ad cauſam materialem inflammationis, undè generatur febris concomitans phlogiſ., quocumque ſub aſpectu non conſentiunt Auctores. Aſt in priori ſenſu probabilior mihi videtur opinio, motus vitalis exceſſum in parte affectâ reponens propter ſpinam inflammatoriam *Helmontii*, undè generantur textus cellularis & vaſorum infarctus; oriuntur calor, dolor, rubor & pulſatio; novumque efficitur vitalitatis & ſenſibilitatis centrum. Verùm minus patet natura cauſæ materialis diatheſeos phlogiſticæ. Si Auctoribus conſulamus, diſſenſum invenimus. Varias proponunt opiniones, obſervationibus ac experimentis ſuffultas *Boërhaave*, *Hewſon*, *Krauſſ*, *Moſcati*, *Pringle*;

undè ſapientiùs opinamus, pro concluſionem tenere, cauſam materialem diatheſeos phlogiſticæ vigere in alteratione propriâ ſanguinis, adhuc verò ſimiliter ignotâ, & quæ, ad producenda morboſa ſymptomatica, cauſam expetit formalem, vigentem in ſenſibilitate individuali, nec-non relativâ organorum debilitate, quâ hoc præ illud afficitur organum & quæ diverſitatem faciei morborum conſtituit.

De venæ ſectione in morbo.

Hiſce poſitis, nemo quin pereipiat, quantum ad ſanationem conducere debet venæ ſectio. Quodnam enim remedium, ad vires nimis intenſas infringendas ac debilitandas, ad motum ſanguiferum effrenatum, ſedandum, ad calorem mitigandum, ad plethoram imminuendam, ad infarctus voſorum præpediendos, ad fluxiones ſanguineas revellendas, demùm ad ſymptomata pleuritica pacanda, venæ ſectione magis opportunum? De illius remedii dotibus ſolus dubium movet *Helmontius*; aſt & *Trilleri* argumentis & quotidianæ obſervationi, quâ conſtat, prætermiſsâ venæ ſectioue, ad ſolutionem peſſimam vergere, aut ſaltem ſub cruditatis ſtadio diù & crudeliter vigere morbum, reſpondeant *Helmontii* fautores. Itaque quandonam, quonam ex vaſe & quotiès ſanguis mittendus eſt, inquiramus.

Ut primum ſolvamus problema, ſtadia irritationis & coctionis neceſſario ponderanda ſunt. In priori, ex ſymptomatum ſimultaneïtate, non autem ex unico ſymptomate, irritationem plus minuſve in-

tenſam denotantium, deſumenda eſt indicatio: in poſteriori, quidquid vires naturæ infirmare & operationem ejus turbare queit, perniciosſum judicat *Hippocrates*. Attentè notandum, non à dierum numero, nec ab illis criticis dictis, qui non raró mendaces obſervantur, ſed à majori vel minori ſymptomatum prioris ſtadii longævitate, irritationis præſentiam aut ſolutionem judicari debere: ſic, adhuc vigente irritatione, ſub quinto, ſeptimo, octavo & decimo die feliciter, ſi remedium illud ſymptomata petant, ſecari venam, probant cutationes ſexcentæ.

Semper in pleuritide ſanguinis detractio revulſiva eſt tentanda ſub primo invaſionis inſtanti, ita ut nullum effectum revulſivum habeat illud remedium, jam peractâ congeſtione repetenda eſt ſaphenæ ſectio, quos uſque in pectore fluxus humorum quamdam fixitatem habeat. Snb illâ hypotheſi aperiatur vena brachii, ad plethoram pectoris imminuendam, multô magis idonea. Demùm, congeſtione penitùs factâ, tententur evacuationes ſanguineæ locales, ope ſeu hirudinum, ſeu cucurbitularum ſcarificatarum.

Leges, juxtà quas ſanguinis detrahendi quantitas venit determinanda, nimis individuales ſunt, ut pondus illius fluidi emittendi pronuntiari poſſit. Veros autem & ſapientes tantùm clinicos judicamus, qui, venam ſecando, vires ſufficientes ſervant, ut morbus à naturâ debellari queat. Notandum tamen quod in primâ venæ ſectione, & nullâ vigente contraindicatione, plenâ manu ſanguis detrahi debeat. Operatio illa ſecundùm ſymptomatum ferocitatem

& ægri vires plus minuſve impoſterùm repetenda eſt. Verùm autem ex præſentiâ aut quantitate cruſtæ lardaceæ, *Coëna* dictœ, in ſanguine emiſſo repertæ, tantummodò ſeſe gerere non debet Medicus; circumſtantia illa, ſicuti unum ex ſymptomatibus, conſideranda eſt. Verùm non ex unico ſymptomate, ſed ex ſymptomatum ſimultaneïtate, agendum. Reipsà 1°. in pleuritide rheumaticâ ſæpiſſimè eam detexit *Stool*; 2°. viget etiam coëna in inflammationibus pleuriticis à fomite gaſtrico procedentibus; 3°. in ſtatu ſanitatis quandoque cruſta illa in ſanguine reperitur; 4°. juxtà *Pringlii* obſervata ſanguis emiſſus, denſitate phlogiſticâ donatus, cæteris paribus, non æqualiter juvat pleuriticos & dyſentericos; 5°. denſitas phlogiſtica non eſt in ratione directâ periculi; 6°. ſæpiſſimè plures poſt venæ ſectiones ſolummodò apparet coëna illa, quamvis à pluribus diebus vigeat inflammatio. Plurima alia, in operibus *Sydenhamii*, *Haënii*, D. *Delamure* explanata, objici poſſunt. Sufficiunt jam in iſtâ diſſertatiunculâ expoſita, ut pro concluſione teneamus, *conducere in pleuritide verâ ſeu phlogiſticâ venæ ſectionem*.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

DISSERTATIO
MEDICA

Circa RECTAM ET NATURALEM INFANTUM PHYSICAM EDUCATIONEM,

Quam, Deo duce, in Scholâ Medicâ Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

Joannes Dubosc, è loco les Bellocs, olim Diœceſis Agenienſis, novâ partitione, *Département du Lot & Garonne*, *Diſtrict de Tonneins*, in almâ Monſpelienſi artium liberalium facultate magiſter, & jamdudùm Medicinæ Alumnus.

Pro baccalaureatûs gradu conſequendo.

Naturamque ſequi, patriæque impendere vitam,
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.

LUCAN. de Cat.

MONSPELII,
Ex Typis Josephi-Francisci Tournel, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

1791.

JOANNI. DUBOSC.

PARENTI. OPTIMO.

JAM. CAUSARUM. PATRONO.

MERITISSIMO. PRIMO.

IN. PLEBEIS. COMITIIS. PROCURATORI.

NUNC. IN. JURIDICTIONIS. FINIBUS.

URBIS. TONNEINS. REGIO.

COMMISSARIO.

GRATI. ANIMI. SIGNUM.

SE. SUAMQUE. DISSERTATIONEM.

DICAT. VOVETQUE.

HUMILLIMUS. FILIUS.

JOANNES. DUBOSC.

DISSERTATIO MEDICA

CIRCA

RECTAM ET NATURALEM INFANTUM PHYSICAM EDUCATIONEM.

CUM legibus Univerſitatis ſancitum ſit, ut omnes alumni verſus ſtudiorum finem, quamdam medicinæ ideam, ſub illuſtr. Profeſſorum oculis præbeant; hujuſce legis adimplendæ cauſa, mihi inter varias medicinæ partes optanti, præcipuè arriſit infantum prima educatio phyſica, quæ mihi tam ſocietati utilis viſa éſt, quam quævis alia artis medicæ pars; nullus certè inficias ibit, tum de ſocietate mereri eum qui perficiendæ ſpeciei humanæ, cum qui quovis alio modo, eumdem ſcopum attingere ſtudet.

Opus, tironis, & maximè meas ſuperare vires haud ignarus, in decurſu tamen meæ Diſſertationis, præcipuas enumerare cauſas plurium morborum quorum corripitur, aut enecatur, infantile corpus, animus eſt. Quœdam dicam de dentitione deque variolarum inoculationis neceſſitate.

Objectum educationis phyſicæ, id eſſe, nempe ut infantes robuſti, forteſque fiant, præſerventur à plurimis morbis qui capiti tenero îmminent, indeque ſint aptiores variis obeundis ſocietatis muniis, perſuaſum cuivis eſt, attamen neſcio quo fato! Omnes fere, vitare videantur tamquam peſſimum, quod experientia optimis medicis, philoſophiſque utiliſſimum oſtendit. In educatione communi, omnia feré concurrunt in generandis variis incommodis quæ hîc recenſere non eſt locus, in illâ vero quam proponunt celeberrimi medeci, & philoſophi omnia ad ſanitatem & robur vergunt; à primâ ex obſervatis, pendet ſpeciei humanæ degeneratio, à ſecundâ vero, corporis incrementum, & naturalis conformatio, nihilominus impoſſibile eſt annulari antiquos modos, quamquam de eorum noxis conſtet. Etenim, ſi intueamur modum quo curantur neonati, videbimus ut primum carcere

exierunt in quo per novem circiter menſes incluſi remanſerunt, ſtatim faſciis eos obvolvi (1), primumque poſt nativitatis annum, in alio retineri ut corporis pulchram ſtaturam obtineant. Latini vocabulo carent denotante cuſtodiam hanc, quâ univerſus truncus circumducitur : utinam nos unum haberemus nomen, uſum autem nunquam habuiſſemus inſtitutum, aut inſtituto, poſt innumeras ejus depredationes expuliſſemus omnino, certe ſe melius haberetur ſocietas (2). Faſciis compreſſo pectore impediuntur reſpiratio & circulatio, indeque læditur œconomia animalis : « Cette preſſion, inquit cel.

(1) Au moment que l'enfant reſpire en ſortant de ſes enveloppes, ne ſouffrez pas qu'on lui en donne d'autres qui le tiennent plus à l'étroit. Point de têtières, point de bandes, point de maillots; des langes flottants & larges qui laiſſent tous ſes membres en liberté, & ne ſoient ni aſſez peſans pour gêner ſes mouvemens, ni aſſez chauds pour empêcher qu'il ne ſente les impreſſions de l'air. J. J. Rousseau, *de l'éducation*, *tom.* 1, *pag.* 67.

(2) Si on vouloit examiner combien ſont en général délicates les perſonnes qui portent des corps habituellement, on ne balanceroit plus à ſe débarraſſer, ſoi & ſes enfans, de ces cuiraſſes nuiſibles en tout point, qui tiennent, avec les maillots, un rang ſi diſtingué parmi les cauſes ſi nombreuſes de dépopulation. *Les enfans élevés dans l'ordre de la nature*, *par M.* Fourcroy, *p.* 47.

» BUCHAN, en s'oppoſant à la libre circulation des » fluides empêche l'égale diſtribution de la nourri» ture dans toutes les parties du corps, & conſé» quemment l'accroiſſement des parties ne ſe fait » plus dans la même proportion..... C'eſt de-là qu'il » arrive qu'un ſi grand nombre de perſonnes ont les » épaules élevées, l'épine voûtée, & la poitrine » platte. » Quis ex hac conformatione non concludet, phthiſim noſtro tempore tam communem, omnemque pectoris morborum catervam, ortum ducere (3).

A naturâ nullum eſt homine remotum magis animal, nullum enim præter hunc faſcias expoſtulat ut catulo decoram procreet formam quamvis infantibus plures debiliores ſint, cum in lucem produntur, unum tamen vix difformem videre eſt. « La nature » à laquelle ils s'en rapportent, feroit-elle moins » généreuſe en faveur du genre humain? non ſans » doute, mais nous lui arrachons l'ouvrage des » mains. BUCHAN, *tom.* I. » Faſciarum uſus admitti poteſt, ubi modo viſibili pati non videtur œconomia animalis adhibendæ igitur cum quædam pars extrema ſive ſuperior, ſive inferior, formam contra naturam videtur habere, ſi v. g. brachium, femur,

(3) *Vid.* BROUSET, tom. 1, pag. 103. BUFFON, tom. 4, pag. 192. Encyclopédie, au mot *emmaillotement.*

crus aut pes difformes ſint, in his partibus levis compreſſio, non multum circulationi oberit, pars que affecta facile ad ſtatum naturalem reducetur, quamquam in his circumſtantiis, melius eſſet eam in typo huic accomodato recondere. In aliis partibus, eis uti non cenſemus, niſi infantis maximo detrimento (4). Inter varia faſciarum incommoda, unum ex infinitis mihi referre lubet, compreſſio quam exercent in omnibus trunci partibus, huicque juncti dolores hujus contra naturam ſitus, orbatioque libertatis, vociferationes promovent, cumque pectus, & viſcera abdominalia, expanſionem naturalem habere non poſſint, omnis inteſtinorum preſſio, verſus ſcrotum vergit, hincque fiunt herniæ tam frequentes apud infantes illi tormento admotos. Notabimus cum cel. Rosen, infantes faſciis anguſtioribus obvolutos, nihil excernere quam cum libertate fruantur, facile intelligi poteſt, quam plura procreare poſſit mala, nimia excrementorum retentio.

Primum erga infantem officium, funis umbilicalis ligaturam expoſtulat, fiat igitur filo, ad tres vel quatuor digitos tranſverſos, à neonati ventre,

---

(4) C'eſt aller contre le vœu de la nature, & s'oppoſer à l'une de ſes plus eſſentielles opérations, que de tenir les enfans ainſi allongés & comprimés de toutes parts. Fourcroy, *pag.* 43.

ſunt qui hanc ligaturam inanem putant, animalia in exemplum afferentes, quæ exſiccatione hunc cadere ſinunt, hàc operatione præcaveri hæmorrhagiam, exomphalon, hujuſque partis inflammationem contendit BROUSET; tamen celeber. ALPHONSE LEROY, in ſuo opere (*Recherches ſur les habillemens des enfans.*) cap. 5, refert exempla, quibus probare conatur ligaturam inutilem eſſe, ſectioneque tantum opus eſſe, dummodo faſciis non obvolvatur infans. Aſſerit nullam eſſe timendam hæmorrhagiam, niſi compreſſum ſit infantile pectus (5). Mundetur mucoſitate cutis ſuperficiem tegente, perſpirationemque impediente, ope ſpongiæ aquâ tepidâ, vel vino immixto, hæ lotiones per quoſdam dies adhiberi poſſunt, ſed nocivum eſſet eos aquâ tepidâ ſemper lavare, cutim etenim debilitat, nedum roboret; peſpiratione inde imminutâ male procederet infans. Cel. TISSOT in ſuo opere, *Avis au peuple*, jubet ſpongiâ & aquâ frigidâ lavari primo vultum, aures, totum caput, corpuſque, caute vitando fontanellam.

Apud veteres, in maximo uſu erat conſperſio ſalis ſupra neonati corpus, cutis roborandi causâ

(5) Cela eſt bien prouvé par l'uſage où ſont des nations entières, de couper le cordon umbilical avec une pierre tranchante, ſans aucune ligature préliminaire. FOURCROY.

utque minus eſſet obvia variis aeris impreſſionibus. Apud recentiores, RAULIN qui talem commendat conſperſionem, actionem inciſivam & exſiccantem ſalis, oleo mitigandam eſſe putat (6). Sed cum ex hâc methodo, plures oriri poſſent cutanei morbi, uſuque olei, impediri perſpiratio, melius eâ non uti cenſemus.

Inter medicos qui methodum variolarum præſervatoriam quæſivere, D. SALCHON, medicus ad *Meldorff*, in ducatu *Holſtein*, hanc inveniſſe exemplis ducentis & nonaginta comprobavit; ut primum natus eſt infans, ſanguinem cito, ſed caute placentam verſus repellendum eſſe jubet, ita ut portio quæ ad fœtum attinet, peractâ ſectione, ſanguine ſero, & aliis fluidis antea in fune contentis, ſit immunis. Dixi quod ut primum natus eſt infans funem eſſe ligandum, ſed tamen ſunt circumſtantiæ in quibus neque ſecandus, neque ligandus eſt: cum e. g. infans nullum, propter partum laborioſum, vel alia de causâ, vitæ ſignum præbet, tunc intrà matris femora retinendus eſt, eum refocillandi causâ, ſperandumque, dum circulatio matrem inter & fœtum reſtituta ſit, quod ſit notante clar. medico PETIT, intrà ſemi horam, leves frictiones ſuprà umbilicum, diaphragmaque

(6) RAULIN, de la conſervation des enfans, tom. 1.

fient, ſæpe ſufficientes ſunt ad revocandum fœtum è mortuis, irritatur diaphragma, fiunt contractiones, indeque motus reſpiratorius.

Cum verò facilis naturaliſque partus eſt, tunc ſecetur funis, his peractis, in latere ſuprà lintea ſicca & frigida, in caniſtrâ ponatur, tantùmque tegatur, quantum neceſſe erit ne frigore corripiatur. Dico quod in latere recubet infans, contraria tamen methodo quotidie utuntur obſtetrices, ſuper dorſum eos ponentes, quamquam iſte ſitus motui humorum capitis, ventriſque obſit (7), incubumque frequentiſſimum apud eos procreet, qui certe non eveniret, ſi alium ſitum inter dormiendum haberent cum hujus incommodi tanquam ſpecificum, habeatur ſitus in latere. Brouset aſſerit infantes nullomodo impeditos, ſemper dormire nunc in uno, nunc in alio latere; undè concludere licet, hunc eſſe ſitum naturalem. Inſpectio anatomica huic aſſerto favet, reſpiratio liberior, hepar, lienque minus compreſſi, cutis muſculique, minus tenſi ſunt, faciliorque excretio mucoſitatis per os & nares (8).

---

(7) Brouset, tom. 1, pag. 229.

(8) Les humeurs qui ſont retenues, embarraſſent les glandes de la gorge, ſouvent celles de la poitrine, & cauſent des toux violentes, des chartres, des pulmonies. Raulin tom. 3, pag. 132.

Rodericus à Caſtro, ſitum in latere damnat. » Quamdiù, inquit, lactatur, infans in dorſum » recumbat. Eſt enim dorſum, tamquam in navi » carina, totius corporis baſis ac fundamentum. In » latera enim ſi decumbat, cum oſſa ſint mollia pe- » riculum eſt giboſitatis. At cum jam dentire incipit » ſimulque ſolidiori veſci alimento, quo tempore » oſſium compago ſolideſcit, tunc ſenſim nunc in » hoc, nunc in aliud latus decumbere aſſueſcat. » Buffon, Rosen, Buchan, Fourcroy, Ballexerd, Raulin, Deleurye in ſuo opere, *La mère ſelon l'ordre de la nature*, Brousetque ſententiæ quorum ex allatis aſſentio, huic opponuntur; aſſeruntque impediri humorum evacuationem per os & nares.

Antequam longius progrediar, nunc perpendendum venit, num ſuum quæquæ, alere debeat infantem, mater ? Primò ſi naturam conſulamus in omnibus animalibus numquam ex ejus legibus diſcedentibus, ea tot lactare, quot à naturâ acceperint catulos, omneſque proſpere pervenire inveniemus (9). Plures hæc exempla inſufficientia arbitrantur, noluntque animalibus æquiparari, quanta

---

(9) Si les animaux faiſoient élever leurs petits par des étrangers, on les verroit partager le ſort de l'eſpèce humaine. Buchan, tom. 1.

verò inſania ! Numquid natura homini eſſet noverca, in aliiſque ſolum ſuos effudiſſet theſauros ? In quo enim differt homo ab aliis animalibus ? Ratione quis reſpondebit ; num animalium inſtinctus, iſti rationi inferior eſt, inſtinctus qui ſemper eos monet, ne nimis appetitui inſerviant ut firma ſanitate fruantur ; vix unus homo in hoc, ſicut in plurimis aliis eis æquiparari poteſt.

Lac maternum eſſe remedium efficaciſſimum ad meconii expurgationem conſtat experientiâ (10), quorſum igitur ſyrupi & aliæ præparationes, ad eumdem ſcopum attingendum, quum liquor (*coloſtrum*) quem in mammis invenire eſt, à naturâ elaboratus ſit per geſtationis finem, & præcipuè poſt partûs tempus, ſitque alimentum affine debilitati organorum neonati, cum in primis partûs diebus ſit ſeroſum, purgans, aptumque ad promovendam evacuationem neceſſariam ; « Il a quel- » que choſe, inquit PETIT RADEL, *Eſſai ſur le* » *lait*, *page* 42.) d'âcre & d'urineux, qu'on ſoup- » çonne tenir de la nature du ſel ammoniac. C'eſt » à cette qualité qu'on attribue le vomiſſement & » le dévoyement auxquels ſont expoſés les enfans

(10) Male lac ſeroſum matris infanti negatur ; eſt enim purgans, & infans indiget purgante ob meconium. M. STOLL, præl. in morb. chron., de morb infan. pag. 153.

» nouveaux nés qui le prennent.» Omnium medicorum ſcriptis & obſervatis patet, matres ſuos lactantes infantes melius ſe habere quam ſi non nutriant; Morton ſe vidiſſe refert, fœminas marcore intuituque phthiſicis ſimiles, lactatione integram ſanitatem recuperaviſſe: « Chez les femmes qui ſont nourrices » les lochies ne durent que ſept ou huit jours, & » en petite quantité; auſſi c'eſt un phénomène de » voir des nourrices attaquées de fleurs blanches, » de cancers & de lait repandu (11). » Quod frequentiſſimum apud eas quæ nolunt naturæ legibus obtemperare (12); dicamque cum illuſtr. Petit Radel: « Mères! que de raiſons vous rappelleroient au premier devoir de la nature, ſi tant » de vices ne vous en éloignoient plus puiſſamment » encore! » Hanc quæſtionem accuratius perpendendam eſſe non me fugit, ſed hæc mihi ſufficiant ad probationem propoſiti mei.

Stricte loquendo ſola igitur lactis orbatio impedire poteſt, quin mater ſuum lactet infantem,

---

(11) Ballexerd, de l'éducation phyſique des enfans, page 43.

(12) Ce n'eſt pas impunément que l'on trompe ainſi le vœu de la nature; des maux phyſiques & moraux font porter fréquemment aux mères, la peine de leur barbarie. Maret, de l'influence des mœurs des Français ſur leur ſanté.

plures morbi antidotum in lactatione habuerunt; D. Duplanil refert ſe vidiſſe mulierem, ætatis vigeſimum & tertium annum agentem, paſſioni hyſtericæ objectam quæ poſt difficilem geſtationem, & laborioſum partum peperit tam debilem infantem, ut timens-ne è vivis tolleretur, ſi alienæ nutrici committeretur, eum ipſamet lactare ſuſceperit; optime res matri, infantique ceſſit per totum que lactationis tempus unum hiſtericum paroxyſmum paſſa eſt, quem ante ſemel ſaltem in menſe patiebatur (13). « Lac matris etiam minus bonum proli » magis conducit, quam lac melius, ſed alienum. » Matres febre acutâ laborantes ſuas proles abſ- » que noxâ lactare vidimus. (M. Stoll, loc. cit. » pag. 156.) » Hæc quandoque obſervari potuerunt, ſed non concludendum exinde ægrotantem morbo acuto, infantem lactandam eſſe. Hirundo ver non efficit; neque ex quibuſdam obſervatis generales ſtatuendæ ſunt regulæ, fatendumque plures morbos lactationi contrarios eſſe, ſi mater lue venereâ infecta fuerit, etiamſi bene ſanata videatur, ſi vitio ſcrophuloſo, ſcorbuticove laboret, ſi quoque ore male oleat, vel alio viru quod à matre in puerum tranſire conſtat, his adde fortia

(13) Talia refert Huxham, in opere, *Eſſai ſur la maniere de nourrir les enfans, pag.* 338.

animi-

animi-pathemata præcipuè iram; viderunt medici infantes lethalibus hæmorrhagiis obrutos, quia nutricis iratæ ſuxcerant mammas, convulſiones etiam procreat hæc paſſio, tunc angue pejus lactationem fugiat mater.

Fit quandoque lac naturâ elaboratum ad meconii purgationem deficere, tunc arte huic defectui ſupplendum nemo neſcit; in hoc, quam maxime poterit, naturam æmuletur artifex, quo circa utatur ſero lactis, quod coloſtro ſimile videtur, imo idem eſſe arbitratur RAULIN, cum non omnino depuratum eſt, abſente coloſtro altero utendum eſſe putat, omnibus aliis remediis compoſitis præferendum, ſi puero cochleatim interdum præbeatur (14).

Denique deficiente ſero, utatur aquâ cum ſaccharo vel melle, illuſtr. TISSOT uſum ſyrupi cichorei compoſiti ſuadet primaſque mereri ſupra mel & ſaccharum videtur, hoc modo diluitur meconium fitque evacuatio. Quotieſcumque vero aderit coloſtrum, infantem mammæ adhibendum cenſemus, magnum inde fluet matri pueroque commodum. CICERO lac maternum *rorem vitalem pucro* nuncupat.

Quoad modum lactandorum infantum intra

---

(14) RAULIN, opus cit. tom. 1, pag. 150.

nychthemeron, in hoc ſicut quaſi in cæteris educationis phyſicæ partibus variant auctores. Alii volunt eos ter aut quater ad maximum intra hoc tempus mammæ adhiberi, alii binis horis per tres primos nativitatis menſes, his habitis, ſexies per nychthemeron, verſusque nutritionis finem bis in die. Sed cum cell. BROUSET, DELURYE, RAULINque nullas generales regulas ſtatuendas eſſe cenſemus. Variari debet nutritio pro ætate, pro temperamento plus minuſve forti, denique pro appetitu (15).

Maxima mundities infantibus neceſſaria eſt, fluit inde perſpiratio levis & hilaritas quæ circulationi favent, conſequenterque partium nutritioni : in hoc pariter nutrices peccant dum horis conſuetis faſcias tantum immutent, evenit ex iſtâ non ſatis damnandâ conſuetudine, (pigritiæ earum ſolummodo utilis) ut feces aciditate donatæ urinæque, excoriationes ſupra cutim procreent quod certe non eveniret ſi infans in caniſtrâ recubans, ſeu in incunabulis (nam parvi refert eos in tali vel tali lecto dormire, modo ut ex omni parte

---

(15) Les gorger de lait, c'eſt les perdre ; ne pas leur en donner aſſez, c'eſt les faire ſouffrir, retarder leur croiſſance, & les rendre languiſſans. RAULIN, tom. 2.

Sunt certi denique fines
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

liberi ſint) toties ut jam dixi, ſpongiâ, aquâ frigidâ lavaretur quoties immundus eſſet, exſiccatuſque in novis linteis frigidis reponeretur.

In noſtris regionibus repugnant lotiones, præcipue balnea frigida, omneſque experiri videntur effectum aquæ hiemalis ſupra corpus huic inaſſuetum; ſed cum cel. HUXHAM, notabimus, neonatos plura perpeti poſſe quam putamus (16), igitur ſi aliquot

---

(16) Les peuples du nord ſont perſuadés que les bains froids rendent les hommes plus forts & plus robuſtes; & c'eſt par cette raiſon qu'ils les forcent de bonne heure à en contracter l'habitude. Ce qu'il y a de vrai, c'eſt que nous ne connoiſſons pas aſſez juſques où peuvent s'étendre les limites de ce que notre corps eſt capable de ſouffrir, d'acquérir ou de perdre par l'habitude. BUFFON *hiſt. natur. tom.* 4, *pag.* 186. Opponamus pariter huic falſæ animo impreſſæ opinioni, ſententiam omnium fermè medicorum, philoſophorumque qui de educatione ſermonem habuerunt. Sequamurque effatum immortalis viri J. J. ROUSSEAU, quem mortuum lugentes patriæ patres, preſentem inter ſe, ob ejus erga humanitem merita, ſtatuâ decretâ intueri voluerunt. « Endurcicez le corps des enfans aux intempéries des ſaiſons, des climats, des élémens; à la faim, à la ſoif, à la fatigue; trempez les dans l'eau du ſtyx. Avant que l'habitude du corps ſoit acquiſe, on lui donne celle qu'on veut ſans danger. *Emile pag.* 31, *tom.* 1.

poſt nativitatis dies, ſpongiâ aquâ frigidâ imbutâ lavatur infans, eodem quo jam dixi modo ex conſilio cel. TISSOT, aſſuetum frigori corpus balnea frigida, perpeti poterit. In exemplum hìc afferre juvat gentes exteras zonæque frigidioris, Iſlandi, Moſcovique ſtatim à nativitate, infantes in aquâ frigidâ abluunt, nec id illis ſatis videtur, eosque in nive volvunt. D. MARET in opere cit. aſſerit apud antiquos gallos decimum verſus ſeculum, balneorum frigidorum viguiſſe uſum in infantiâ, perque totum vitæ decurſum, hancque eos reliquiſſe methodum religioni habentes (17). Inter primas virium degenerationis cauſas, hanc aſſignat cum variis erroribus victus rationis (18): apud Romanos quoque admittebantur balnea frigida, ut patet ex eorum ſcriptis:

Gelidâ cum perluor undâ.
Per medium frigus. *HOR. epiſt.* 15, *lib.* 1.

---

(17) Le moindre de ces Français ſurpaſſoit en force les plus robuſtes de nos jours, comme il eſt aiſé de s'en convaincre en examinant, dans les arſenaux, les armes dont ils ſe ſervoient. Leur armure ſeule les écraſeroit, comment pourroient-ils la manier? MARET, mém. cit.

(18) Si cette méthode (*les lavagee d'eau froide*) peut devenir générale, comme tout me l'annonce, je ſuis pleinement perſuadé qu'en conſervant un très-grand nombre d'enfans, elle contribuera à arrêter les progrès de la dépopulation. TISSOT, *avis au peuple parag.* 384.

Cel. LOKE pediluvia frigida quotidie infantibus jubet, hanc corporis partem contra frigus humiditatemque roborandi causâ; primas mihi mereri videtur methodus ill. TISSOT, etenim totum corpus lavando, omnes partes eodem modo roborantur, minuſque obnoxiæ fiunt variis aeris impreſſionibus & mutationibus. « Les enfans foibles, » inquit clar. TISSOT, ſont ceux qui ont le plus » beſoin d'être lavés; les très-robuſtes peuvent s'en » paſſer, & l'on ne peut croire qu'après l'avoir vu » ſouvent, combien cette méthode contribue à leur » donner des forces (19). » Annotabo tamen cum illo eſſe debilitatis gradum, in quo non adhibendæ lotiones. Cum e. g. calorem, frictiones, tonica calida expoſtulat infans ne examinetur; in hoc caſu videre eſt, quantum nocivum eſſet lotiones frigidas tentare ad roborandum.

Aqua frigida membra flexibiliora efficit, vires adauget unà cum perſpiratione; preſſioque fluidi, aere denſioris, ſupra corpus, humores in vaſis tenuibus ſtagnantes, in circulationem pellit; his adde abſorbtionem aquæ per vaſa lymphatica.

---

(19) D'ailleurs le monde eſt à preſent tout rempli de merveilles que les bains froids produiſent tous les jours ſur des conſtitutions foibles & délabrées qui par là ſe ſont rétablies dans une bonne & vigoureuſe ſanté. LOKE, pag. 46, tom. 1.

Per totum geſtationis tempus, fœtus in matris utero dormire videtur, ex hoc forſan! magna ad ſomnum proclivitas durantibus primis nativitatis menſibus : naturam ſemper ſecuturi, hunc ſomnum venerari debemus, ad eum evigilandum fames ſemper ſatis valebit, cum natura nutritionem expoſtulabit : « Per ſomnum, inquit HALLER, per» fectio ſanguini inducitur illa, quæ requiritur ad »optimam circulationem, coctionem, ſecretionem, »perſpirationem, diſtributionem (20). » Les enfans »très-jeunes à qui il faut un chyle d'autant plus »parfait qu'ils ont plus beſoin de croître, ne pour»roient abſolument vivre, s'ils ne dormoient en »proportion de leur foibleſſe ; le peu de forces »dont ils jouiſſent, ſe trouvant concentrées par le »repos & le ſommeil, auquel les livre la nature, »ſont toutes employées à la digeſtion. BUCHAN, »tom.. 1, page 244. »

Quanta vero cumque ſit ſomni utilitas, infanti periculoſum eſſet (ſi minus ſomno incumberet quam ordinario fit) narcoticis uti, verſareque eum in cunis, motus ille ex plurium medicorum ſententiâ, digeſtioni nocet ; vertigini, imo etiam convulſionibus ortum dat (21). « Il ſeroit à ſouhai-

---

(20) HERMANII BOERHAAVE, prælec. acad. tom. 3. pag. 277, §. 590, num. 7.

(21) RAULIN, pag. 133, tom. 2. DELURYE, p. 118.

»ter qu'on quittât la mauvaiſe coutume de bercer »les enfans ; cela leur entreprend la tête & les »étourdit : le lait ſe digère mal dans l'eſtomac, où »il réſide en caillots ; d'ailleurs, c'eſt toujours un »mauvais ſommeil qu'on leurprocure par-là. ROSEN, malad. des enf. pag. 19. » VAN-SWIETEN, refert exemplum adoleſcentis octavum annum agentis, in cunis per alios retentum verſatumque, quem corripuit ſopor, vomuitque bilem virideſcentem, cupreæ rubigini ſimilem. Quamquam ex ſententiâ cel. BROUSET, motus ille ad gimnaſticam puerorum pertineat, nullo modo ex recenſitis uti cenſemus. Exercitationem illis eſſe neceſſariam non nos fugit, idcircò ponatur ſupra lectum, aut humi ſuper amphitapam, eoque libere ſua extendet membra, motumque viribus parem ſumet, hilaris jocoſuſque fiet, fatigato, ſomno incumbet. Procul ab illo lora quæ pectus comprimentia, reſpirationis organa angunt. Donec ſolus pedibus ſtare poſſit, ſupra amphitapam ſervetur, certe ante conſuetum tempus, firmiuſqne deambulabit (22).

(23) Un ami m'a rapporté, dit M. DUPLANIL, dans l'excellente traduction de la méd. domeſt. de BUCHAN, tom. 1, pag. 57, qu'il a vu un enfant de quatre mois ſe rouler ſur le tapis d'un appartement, chercher à s'aider de ſes petites mains, de ſes petits pieds. A ſix mois cet enfant marchoit ſeul ; à deux ans il paroiſſoit en avoir quatre pour la force & la grandeur.

Elapſo primo ætatis anno minus dormiat, meliusque ſe habebit: « ſomnus enim immodicus, aït » GONTER, pag. 465, membra laſſat, excrementa » in corpore detinet, unde ſenſuum mentiſque vires » hebetantur, caput gravatur. » Cum aurorâ igitur ſurgat, cùm crepuſculo aut paulò ſeriùs lectum petat. Memores ſimus ſententiæ divi HIPPOCRATIS, ſomnus & vigilia ſi exceſſerint modum, malum. ſec. 2, aph. 3.

Infantes in genere, modò calidiori quam expoſtulat natura ſervantur, obſtetriceſque putantes calorem eſſe in ratione debilitatis eorum, in linteis & cubiculis calidis deponunt, indè ſit quod ſi infans aëri atmoſpherico exponatur, catharrhis, & aliis morbis corripiatur qui ſæpè illum enecant. « Ce » qu'il y a de vrai, inquit HUXHAM, *manière de nour-* » *rir les enſans*, pag. 332, c'eſt qu'un enfant qui » vient de naître ne ſauroit être couvert trop légé- » rement; il a beſoin de moins de hardes à propor- » tion qu'une perſonne faite, parce qu'il eſt natu- » rellement plus chaud, comme cela paroît par le » thermomètre. » Pro veſtimentis ſuprà cutim ſubuculam lineam habeat, quam tegat pannus xylinus qui humeris appoſitus ad pedes uſque ferè pendeat, tibialibus linteis utatur, non verò laneis ut moris eſt; lana enim ſæpè cutim exulcerat, pedeſque calidiores efficit. Uno verbo commodiùs quam fieri poterit

induatur, præcipuèque ne magis tegatur quam neceſſe erit, ne frigore corripiatur.

Ex omnibus corporis partibus, caput calidius ſervari debet, in pileo, loco fontanellæ appoſito, ſuatur pannus laneus; cautè cavendum ne in illo ſint rugæ, ex hac enim imprudentiâ auctores cranii intropreſſionem obſervaverunt, & indè motus epilecticos, qui ſublatâ causâ ceſſaverunt (23). Cum verò capillis opertum erit caput, quod fit ordinariò circà decimum ſextum ætatis menſem, deponat de die pileum & capite nudo maneat.

Septimum aut octavum ætatis menſem versùs ordinario, quandoque citiùs aut ſeriùs, infans ſollicitus fit, nutricis mammas, manus & omnia quæ arripere poteſt intrà gingivas premit, fluit ex ore magna ſalivæ quantitas; his ſignis & aliis dentitionem adeſſe judicatur. Cùm hæc eruptio naturalis ſit, ſi infans ſecundùm naturæ votum & ordinem educatus fuerit, nullo modo periculoſa eſſe debet. « Tout le monde » convient que les enfans qui ſont élevés trop déli- » catement, ſouffrent toujours plus de la dentition, » & ſuccombent ſouvent à la violence des convul- » ſions. BUCHAN, tom. 4, pag. 279. » In manibus eorum ponuntur crepundia varia, ut faciliùs ſecetur

---

(23) BORETIUS, de epilep. ex depreſſione cranii, paragr. 7; TISSOT, traité de l'épilepſie, pag. 105.

dente gingiva ; ſed hæc corpora duriora, calloſam eam reddunt dentitio quæ exindè laborioſior evadit. » Prenons toujours l'inſtinct pour exemple ; on ne » voit point les jeunes chiens exercer leurs dents » naiſſantes ſur des cailloux, ſur du fer, ſur des os, » mais ſur du bois, du cuir, des chiffons. EMILE, » pag. 94, tom. 1. » Detur illis cruſta panis melle uncta, hoc modo gingiva mollior dentitioque facilior fiet. Hæc ſufficiant pro naturali eruptione, de difficili hîc non eſt locus ; videantur VAN-SWIETEN, ROSEN, RAULIN, BROUSET aliique quamplurimi. Poſt dentitionem uſque pergere debet lactatio, modò ut in matre nihil adſit quod lactanti obeſſe poſſit, peractâ verò de infante à mammâ ſe movendo cogitandum eſt. Cel. ROSEN, BROUSET & alii citiùs quam oportet, ablactari infantes arbitrantur : durante dentitione, vires digeſtivæ proſtrantur, ſtomachuſque de digerendo alio, quam lac maternum, alimento incapax eſt, indê adveniunt pravæ digeſtiones, quas obſervare eſt per dentitionis tempus. In naturæ ordine omnia ſenſim fieri debent ; alimentum igitur quoad digeſtionis difficultatem, lacti materno ſimile iis præbendum eſt, lacti vaxino, caprinove (calido ſed non ebullito, per ebullitionem, notante cel. BUCHAN, ad id impar fit) miſcatur panis fermentatus, in micas comminutus. Habitis primis menſibus ablactationis, infans robuſtior, nutritionem magis

conſiſtentem expoſtulat; tunc dentur offæ animalium juſculis confectæ, & vegetabilia. « La nourriture la »plns propre aux enfans ſevrés, doit être un mêlange »de ſubſtances animales & végétales. BUCHAN» Procul ab illo pultes quæ obſtructionibus ortum dant. Mirum quod ætate noſtrâ adhuc lis ſub judice habeatur; ſcilicèt nùm admittenda vel rejicienda ſit inoculatio. Obſeruatione controverſia dirimenda erat : ſi auctores conſulamus, videbimus quod in Sueciâ, referente cel. ROSEN, decima infantum pars variolarum victimæ pereant. In Angliâ, ex ſcriptis BUCHAN, quarta aut quinta pars; teſtimonio illuſt. TISSOT, ex tredecim contagio infectis duo; ex D. LACONDAMINE unus ex ſeptem quandòque ex quinque perit. Sunt qui negant variolarum tam numeroſas eſſe victimas; ſed illis objiciam cel. TISSOT obſ. « L'on voit quelquefois des épidémies qui n'enlèvent pas un cinquantième des malades; & ceux qui n'en connoiſſent que de cette eſpèce ſe récrient contre ces calculs; mais ils ignorent qu'il y en a d'autres qui enlèvent la motié, & juſqu'aux trois quarts des malades. Inoc. juſt. p. 10. Videamus nunc quod diſcrimen artificialem inter & naturalem ſit : ex obſ. cel. ROSEN, quingentis inoculatis unus perit; ex cel. BUCHAN, unus ex mille; ex ill. TISSOT, unus ex trecentis & quadranginta quinque; ex D. LACONDAMINE, unus ex trecentis & ſeptuaginta ſex; quotidianâque

obſervatione demonſtratur, minus etiam eſſe inoculationis periculum, cum in arte peritis, morbus curatur. qui, nedùm ægrotantem ex quadringentis, ne unùm quidem ex mille amittunt. Nunc quis in dubium ponere audebit, variolarum artificialium, utilitatem & commodum. Præter hæc, variolæ naturales ſæpiſſimè malignæ ſunt, quod rariſſimè in inoculatione. Aliàs, ægrotantes viſu & auditu orbant, membraque percutiunt, quod nunquàm in artificiali fit. Sunt etiam qui ejus utilitatem infirmare voluerunt, (nam inoculatio inimicos habet. TISSOT.) Afferentes plures objectiones quas vicerunt, TISSOT, inocul. juſt.; ROSEN, BUCHAN, LACONDAMINE, mém. pour ſervir d'hiſt. à l'inocul.; D. BARBEU-DU-BOURG, Facul. Pariſ. Doct. in opere opin. d'un Méd. ſur l'inocul.; hujuſque Scholæ cel. Profeſſor FOUQUET, quamplurimique quorum nomina ſola optimum eſſent inoculationis efficacitatis teſtimonium. Sunt pariter contendentes plures hoc morbo in vitæ decurſu non affici, quique inoculati eruptionem patiuntur, ſed hæc objectio eſt merè gratuita; hâc enim operatione, obſervatione duce, conſtat, morbum illis tantum contingere, qnibus ineſt determinata prædiſpoſitio; nonnulli enim ignorantes hunc tributum naturæ ſe ſolviſſe, in vanum ſœpiùs inoculationem tentaverunt.

Ætas tenerrima ad inoculandum ſeligenda eſt

antè prima dentitionis ſymptomata; retardatâ operatione, periculum eſt ne infans naturali corripiatur ſepiſſimè peſſimâ. « La petite vérole eſt d'autant » plus douce, qu'on l'a plus jeune; l'âge en augmente les dangers. Tissot, av. au peup. paragr. » 572. Idem, l'inocul. juſt. pag. 15. » Pus in corpore ſano inſerendum eſt; hæc cautela neglecta mortem quandoque inoculatis dedit, qui, ſi curati anteà fuiſſent, morbum feliciſſimum experti eſſent. In decurſu operationis infans lotionibus frigidis abſtineat; per aquam enim frigidam cute denſiori effectâ, eruptio difficilior eſſet.

Longum iter eſt per præcepta. Tac.
Mitiùs jubetur exemplo. Plin.

Sic meæ diſſertationi, pro viribus fuſiori, finem impono, Viri Patres, vos orans ut amœnitate conſuetâ me habeatis.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES-BAPTISTA BAUMES.

TENTAMEN MEDICUM

DE

PLEURITIDE A SABURRA BILIOSA.

QUOD Deo duce & auſpice Dei-Parâ; tueri conabitur,

ZACHARIAS TOUZEAU è loco Saint-Sulpice, olìm apud Pictones, nunc *Département de Lavandée.*

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Fortunate medebitur qui remedii exhibendi occaſiones ſagax captat quive repertæ indicationi potius quam ſpecificæ cuidam remediorum virtuti confidit. *STOL. rat med.*

LA NATION,
LA LOI,
ET LE ROI.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

1791.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

TENTAMEN MEDICUM

DE

PLEURITIDE A SABURRA BILIOSA.

INTER diverſa mala quibus gens humana quotidie vexatur febris gaſtrica annumerari debet. Multo frequentior eſt apud nos quam apud veteres, illudque tribuendum puto cum clariſſimo hujuſ-ce Lycæi Profeſſore *de Grimaud*, frictionibus & balneis frigidis apud veteres uſitatis, nunc autem apud nos obſoletis. Hiſ-ce etenim corroborabatur cutis & viâ ſympathiæ tonus organorum digeſtivorum augebatur; undè majori donabantur energiâ ad humores heterogeneos eliminandos; attamen huic ſolo tribuendum eſſe non puto, neque nego vitam molliorem delicatiorem apud nos quam apud veteres aliquid conferre ad producendam febrem gaſtricam; illudque confirmatur ex eo quòd frequenrior occurrat

febris gaſtrica in magnis urbibus quàm in rure, ſicuti ex obſervationibus *Ballonii* & *Baglivii* conſtat : nemo etenim negabit delicatius vivere incolas urbium quam ruſticos.

Proteus induit varias formas propter multiplices relationes quas habent primæ viæ cum cæteris corporis partibus.

Ad febrem gaſtricam pertinere videtur pleuritis illa quam eximie deſcripſit *Stolius* ſub nomine bilioſæ, de quâ dicere mihi animus eſt, quam à ſaburrâ biliosâ nominare juvat, ne confundatur cum febre pleuriticâ biliosâ eſſentiali : ubi enim, aít *Stoll* nos crudum plerumque amareſcentem apparatum in ventriculo & ejus viciniâ collectum bilem vocamus, cujus ſapor plerumque amarus eſt ſubinde acidus & auſtero-acidus qnin & dulcis ſed dulcedine perquam nauſeosa, evidenter patet ſermonem eſſe de ſaburrâ aliquando bilis tantummodo colorem referente.

Hujuſ-ce colluviei bilioſæ geneſi favent æſtas & autumnus, ut ait medicinæ pater *Hippocrates*, « bllis autem per æſtatem & autumnum corpus » poſſidet, &c. » ventriculi & aliorum organorum digeſtioni inſervientium imbecillitas, languentes vel ſuppreſſæ ſecretiones, alimenta difficiliùs ſubigenda, præcipuè autem pinguia *Stoll*, defectus fructuum horeorum, quorum uſus juxta *Tiſſotum* putreſcentem bilis acredinem corrigere valeat non parùm etiam conferre poteſt aliquandò ad ſaburram adau-

gendam vel promovendam tranſpirationis repercuſſio. negari equidem non poteſt colluviem iſtam metaſtatice ad pectus delatam poſſe immediatè pleuritidem producere; attamen ſæpè à mero conſenſu pendere conſtat ex multis *Stollii* obſervationibus, qui aſſerit fere omnes ægros iſtâ pleuritidis ſpecie laborantes quibus emeticum propinavit vomuiſſe cum inſigni & ſubitaneo levamine non tantummodò ſymptomatum quæ primarum viarum læſionem clamant, ſed etiam eorum quæ pleuritidem conſtituunt. Symptomata hunc morbum concomitantia ſunt horripilatio quin & frigus minus tamen grave quam in vera aliàs pulmonum inflammatione ſolet, ſuccedit æſtus, oppreſſio pectoris, dolor vel in ſterno vel in alterutro thoracis latere ardens, ardor hic ſubindè totum thoracem occupat & inter reſpirandum tuſſiendumque raro augetur ſputa initio morbi aliquandò etiam ante morbum glutinoſa, craſſa, tenacia, alba raro vireſcentia, dolor capitis gravativus, dejectus appetitus, lingua non ſolum alba in propriâ ſubſtantiâ, ſed etiam cruſtâ ſordidâ plus minuſ-ve craſsà obducta, os amarum, ructus frequentes fœtidi, vomitus nonnunquam ſpontanei, circulus oris narium alæ & pars alba oculorum colore flavo vel ex flavo vireſcente tincta, dolor vel anguſtia ad regionem epigaſtricam ad tactum aucta, &c. Hæc-ce autem ultima ſigna non ſunt ita colluviei bilioſæ eſſentialia ut non poſſit abſque his exiſtere colluvies, & vice verſâ

aliqua ex his ſine colluvie ; & primo quidem poteſt abſque his adeſſe colluvies ut multæ *Sellii* & *Stollii* obſervationes docent ; ſecundo pariter verum eſt nonnulla eſſe ſymptomata ex ſupra recenſitis quæ non exiſtente colluvie occurrunt, ſic in pleuritide verâ & eſſentiali reperiuntur aliquandò oris amaror, vomituritio, vomituſque, quinimò bilis per vomitum rejecta, genarum pallor & vireſcens faciei color, & ex alterâ parte ſymptomata quædam quæ ad pleuritidem veram pertinere videntur, qualia ſunt rubor faciei & genarum ſputum cruendum in gaſtricâ quandoque etiam occurrunt.

In prædictis caſibus ubi ſcilicet cauſa materialis ſignis conſuetis ſeſe non manifeſtat, attendendum eſt ad epidemiam regnantem. « On ne ſaurait trop » répéter qu'il règne conſtamment une eſpèce de » maladie qui s'aſſervit toutes celles qui paraiſſent » dans le méme temps, & qui les marque de » ſon empreinte dominante, quelques variées que » ſoient les formes ſous leſquelles elles ſe pré- » ſentent, *Grimaud.* » Conſiderandus eſt etiam præcedens valetudinis ſtatus ; pleuritis bilioſa lentè progreditur, & à dejecto appetitu ſigniſque læſionem primarum viarum clamantibus præceditur, è contrà pleuritis inflammatoria robuſtos & inopinantes aggreditur, eos qui rubrum habent corporis colorem, venas tumidas, habitum corporis benè conſtitutum, carnoſum, quorum præcedens victus plurimum ſanguinem procreandi vi pollebat, quibus

retentæ ſanguinis evacuationes conſuetæ P. *Foreſtus*. Dolor pectoris neque tam fixus eſt, neque tam acutus in gaſtricâ quam in verâ pleuritide, dolor hic ſubindè, ut jam diximus, inter reſpirandum tuſſiendumque raro augetur, in verâ ſemper & inſigniter, ferè nunquàm aliquid afficitur infrà diaphragma in verâ, quod in bilioſâ multotiès obſervatur; urina non rufa eſt, cruda abſque ſedimento, ſed flava ſæpè cum ſedimento febris pleuritidi eſſentiali juncta continentem typum obſervat, gaſtrica remittentem, &c.

Contigit aliquandò ut adeò complicata ſint ſymptomata ut tot argumenta pro pleuritide gaſtricâ quam pro verà pugnent, tunc ſi non prodeſſe, ſaltem nocere non debet Medicus, in hunc finem *Stollius* hac methodo utebatur, potus copioſi cum melle & aceto & pauco ſale medio, frequens clyſterum uſus, exigua venæ ſectio, ſicque mora morbum detegit.

Cùm igitur conſtat fomitem morbi eſſe saburram bilioſam in eo verſari totum curationis cardonem ut ſuburra iſta eliminetur patet. In hunc finem igitur emeticum propinandum eſt, namque ex ſupra dictis ſignis ſatis conſtat materiem ſursùm turgere. Poſt vomitum aliquandò etiam antè exhibendum eſt, decoctum hordei cum oximelle ad abluendas ventriculi & inteſtinorum ſordes. Si poſt evacuationes nulla appareat ſymptomatum remiſſio, illud probat materiem non eſſe ſat

mobilem, & in hoc caſu felicem ſortiuntur effectum digeſtiva ſalia neutra, &c. denuò ad potiones emeticas recurrendum eſt interpoſitis ſemper digeſtivis, ſi opus ſit. Fit aliquandò ut neceſſaria ſit exigua venæ ſectio ut ſolvantur ſpaſmi, & ut indè feliciorem ſortiatur effectum emeſis. Repurgato ſyſtemate gaſtrico, ſi quædam remaneat ſpirandi difficultas, ſputa moveri oportet ope feniculi aquæ ſtibii diaphoretici non abluti, kermetis mineralis, vel tartari ſtibiati per epicraſim propinati. Expulsâ undequâque causâ materiali ſtomachicorum ope tonus organis digeſtivis reſtituendus eſt. Remedia ad hunc finem accommodata ſunt elixirium ſtomachicum, temperatum, & tinctura rhei aquoſa æquis partibus; ſi febris intermittens ſuperveniat, cortice peruviano profliganda eſt.

FINIS.

TENTAMEN
BOTANICO-MEDICUM
IN QUO
NON-NULLA DE BOTANICES UTILITATE DELIBANTUR.

QUOD, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in celeberrimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, publicis ſubjicit diſputationibus,

AUCTOR,
PRUDENTIUS-CALIXTUS-FRANCISCUS SERQUEIL, ex urbe *Trecarum* olìm apud Campanos, nùnc in partitione quæ dicitur *Département de l'Aube*, Liberalium artium magiſter & in celeberrimâ Monſpelienſi univerſitate medicinæ alumnus pro trimeſtri Januarii anni 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Quid verum... curo & rogo & omnis in hoc ſum. HORAT.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XCI,

PATRI OPTIMO ET COLENDISSIMO

NEC-NON

DILECTISSIMO FRATRI,

PRESBYTERO RELIGIOSISSIMO;

HAS in arte medicâ primitias tanquam publicum amoris & reverentiæ monumentum,

Dicat, vovet & conſecrat.

Obſequentiſſimus & addictiſſimus
filius & frater
P. C. F. SERQUEIL.

PROŒMIUM.

DISSERTATIONEM de *arnicæ montanæ* viribus ſuſceptam, innumeris obſervationibus celeberrimorum in arte hippocraticâ virorum, *Stoll*, *Collin*, *Baldinger*, *Gouan*, *Fouquet* & multorum aliorum illuſtratam præſertìm innixam mirandâ *Bordevii* de textu cellulari theoriâ quam philiatros amantiſſimos quotannis edocet celeber. *Brouſſonnet*, præceptis quæ nobis circà morbos chronicos tradidit ill. *Vigarous* & theoriâ celeb. *Fouquet* dé ſenſibilitate, &c. in quâ expandebatur quo uſque recentiorum chemicorum inventis relativè ad medicinam fides deberet adhiberi & modus quem ultrà citràque nequiret conſiſtere rectum, hanc inquam diſſertationem vires triſtibus curis fluctuanti & incertâ valetudine jàm fractæ, prætereàque temporis anguſtiæ, incondi-

tam in aliud tempus ſi fata ferant mitiora, relinquere cogunt. Sìc aliquandò (fortaſsè aïebunt critici & in botanicis minimè verſati) parturiente monte naſcitur ridiculus mus.

TENTAMEN BOTANICO-MEDICUM IN QUO NON-NULLA DE BOTANICES UTILITATE DELIBANTUR.

Quidquid oblatrent planè in botanicis plumbei, ſcientiæ amabilis, utilis, imò neceſſariæ cultores tanquàm hortulanos, ſterileſque nomenclatores obſcuris coloribus adumbrent; ſuam ipſis crimini ne vertamus ignorantiam, ſed potiùs illos edoceamus (1) ut ſi bonâ fide ſint, quantum pluribus

(1) Prætereà ſummum magiſtrum *Linnæum* adeant n eruditiſſimâ diſſertatione cui bono? *Amœn. Acad.* om. *III*, *p.* 231.

u-

aliis ſcientiis hodié tàm decantatis botanica præſtet, & quam multa obſervatori medico ſuppeditet auxilia confiteantur. Utinam hoc tentamine reviviſcat amor ſtudii jucundiſſimi, utiliſſimique apud nos quodam modo ſopitus !

Expendendum nobis breviter incumbit 1°. an botanici meri ſint nomenclatores, an hortulani ? 2°. An botanica medico ipſoque chemico neceſſaria ſit ? 3°. Tandem in quibus erroribus rei herbariæ dejecerit ignorantia ?

1°. Quidem ſuam cuique ſcientiæ peculiarem nomenclaturam neceſſariam eſſe nullus eſt qui non perſuaſum habeat, & ſi quis nomenclatorum nomine ſalutaret chemicos recentiores ex eo quod obſoletæ ruinis novam nomenclaturam condere ſtuduerunt ut varias variis nominibus ſubſtantias toto cœlo diverſas deſignarent, ut indè tyronibus faciliorem aditum præberet ſcientia, ut confuſioni occurrerent, non-ne ſtatim omnium riſu ſibiliſque exciperetur ? Eum qui talia de botanicis proferret ſortem non abſimilem manere arbitror. Aliundè extant præcepta à botanicis data, ex quibus patet eos ad ſcopum & ſublimiorem & utiliorem tendere, inter quæ non infimum locum illud tenet.

(*Botanicus*) *uſum plantarum adſcribat medicum & œconomicum.* Linn. phil. bot. p. 289.

Undè colligere eſt tot veros botanicos in augendo amabilem ſcientiam deſudantes circà meram nomenclaturam non verſari. Quis enim nomenclatores

vocitare audeat tot medicos in botanicâ verſatiſſimos qui tam benè de humano genere meruerunt non tantùm delectis botanicis batanicis, ſed etiam experimentis in ſemet factis (non verò chemicorum more in vitro) ut indè plantarum virtus ſalutifera aut delectrix in corpore vivo innoteſceret; ſic nonnullas in ſeipſo tentavit experientias ill. *Fouquet*, hujus-ce Scholæ Profeſſor celeberrimus; ſic ferunt *Ceſnerum* periculum vitæ facientem docuiſſe quod arnica quam *Mathiolus* aconiri ſuſpecto nomine appellaverat, magna olim prudenti medico ſuppeditare poſſe auxilia, & in causâ fuit cur arnica mirando cum ſucceſſu in uſum traheretur; ut omittam innumeras plantas quarum vires expertus eſt ill. *Gouau*, hujus-ce Scholæ Profeſſor celeberrimus, præceptor noſter, ſolo nomine cujus defendi & exornari tentamen noſtrum poteſt, quem tot botanici percelebres, indefeſſique naturæ inveſtigatores non pauci, magiſtrum olim habuiſſe nunc ſuperbiunt; brevitati in materie tam amplâ quantùm potero conſulens pauca in medio proferam (1).

---

(1) Quatuor obſervationes de morbis venereis ope radicis *aſtragali exſcapi* propugnatis, à celeb. *Quarin* relatæ ſub fine uperis cui titulus *animad. pract.* & votum ill. *Fouquet* ut noſtra materies medica tali ſpecifico, *aſtragalo exſcapo ſcilicet*, ditetur, mihi in animum indu-

In immenſum creſceret diſſertatiuncula, ſi hîc recenſere vellem innumeras cognitiones quibus botanici ex omni ævo & à medicinæ incunabilis florentes, medicinam, hiſtoriam naturalem, ipſaſque artes ditarunt: at tamen non ſilentio prætereundum quod aït cl. *Chaptal* in eximio opere cui titulus, *élémens de chimie.*

» Le végétal, *aït ille vir cl.* ſe reproduit de » la même manière que l'animal, & les botaniſtes » modernes ont ſoutenu cette comparaiſon entre » ces deux fonctions de la manière la plus heu- » reuſe & la plus concluante. *Tom. III*, *p.* 4. »

Si his jungamus pulcherrimas & recentiores cl. *Paliſſot de Beauvois* obſervationes circà muſcos (1), certè hoſtis botanices vel infenſiſſimus fateri conabitur hanc ſcientiam latiſſimum ſapienti & philoſopho meditationis campum aperire.

Quæ jamjàm attuli ſat invictè probant botanicos meræ nomenclaturæ non inſudare. Nùnc

---

cunt ut memorem quod non nulla tentarint experimenta illuſt. *Gouan* & clariſſimus D. *Jallaguier* circà *aſtragalum monſpelienſem* qui fortaſsè *aſtragalo exſcapo* cùm magnâ medicorum laude ſubſtitui poſſet, ſi experimenta & obſervationes circà hanc-ce plantam longius protraherentur & præſertim in hominibus venereis affectibus vexatis.

(1) Quod mihi nuper in litteris ex americâ ad celeb. *Gouan* ab auctore ſcriptis relegere contigit.

videamus an hortulani ſint appellandi, & quid per hortulanum intelligere debeamus ?

Audiamus virum philoſophum cl. *la Bruyere*, qui tam lepidè hortulanum deſcripſit, & videamus utrum idem character conveniat hortulano ſimul & botanico.

» Le fleuriſte a un jardin dans un fauxbourg, » il y court au lever du ſoleil, & il en revient » à ſon coucher. Vous le voyez planté, & qui a » pris racine au milieu de ſes tulipes & devant » la ſolitaire : il ouvre de grands yeux, il frotte » ſes mains, il ſe baiſſe, il la voit de plus près, » il ne l'a jamais vue ſi belle, il a le cœur épanoui » de joie : il la quitte pour l'orientale, de-là il » va à la veuve, il paſſe au drap d'or, de celle-ci » à l'agathe, d'où il revient enfin à la ſolitaire, » où il ſe fixe, où il ſe laſſe, où il s'aſſied, où » oublie de dîner ; auſſi eſt-elle nuancée, bordée, » huilée, à pièces emportées ; elle a un beau vaſe » ou un beau calice : il la contemple, il l'admire : » Dieu & la nature ſont en tout cela ce qu'il » n'admire point : il ne va pas plus loin que l'oignon » de ſa tulipe qu'il ne livreroit pas pour mille écus, » & qu'il donnera pour rien quand les tutipes ſeront » négligées, & que les œillets auront prévalu. Cet » homme raiſonnable qui a une ame, qui a un culte » & une religion, revien chez ſoi fatigué, affamé, » mais fort content de ſa journée : il a vu des tu- » lipes. *La Bruyere, t. II, p. 12, chap. de la* » *mode.* »

Omnibus ritè & ſcrupulosè perpenſis luce meridianâ clariùs patet qood hortulanus ſuprà deſcriptus non ſit cum botanico confundendus, quià ut botanicè & philoſophicè loquar (1) caret charactere botanico eſſentiali, id eſt, ſcientiâ & utilitatis ſcopo quæ ſibi proponit botanicus & quæ prior minimè curat, nam ſi fides cl. *la Bruyere* ſententiæ in ſuis characteribus; *le fleuriſt ou le jardinier ne va pas plus loin que l'oignon de ſa tulipe*, concludere debemus eos eſſe in botanicis & in philoſophicis omninò rudes qui non percipiunt hortulanum & botanicum inter maximam eſſe differentiam, ac proindè non eſſe confundendos : ſi quis ergò botanicum cum hortulanis in anguſtâ mente comparaverit unquàm, candidè exclamet cum tityro paſtore Romam humilibus agreſtibuſque caſis ſimilem crediđiſſe dolente, candidè inquàm exclamet :

.... Sic parvis componere magna ſolebam,
Verùm hic tantùm alios inter caput extulit....
Quantùm lenta ſolent iuter viburna cupreſſi.

Virg. Eglog. 2*a.*

---

(1) Notandum imprimis quod botanica ad obſervationem informet, ordine methodico ad veritatem amplectendam deducat & judicium, mirum in modum recreando corroboret, ut obſervat clar. *Brouſſonnet filius* in præmio coronæ floræ mon-ꝑelienſis.

An Botanica Medico ipſoque Chemico neceſſaria ſit?

Circà ſecundam quæſtionem an botanica medico ipſoque chemico (1) neceſſaria ſit, nullus eſt certè qui vel levius dubium movere audeat. Ad morborum curationem duo ſunt neceſſaria, illorum dignotio & idonei medicamenti cognitio. *Cùm, inquit Baglivi, tantum intercedat affinitatis remedia inter & indicationes, de curatione morborum, nunquàm benè ſperandum, niſi hæc duo arctiori quàm hactenùs fœdere proceſſerint. Cæterum licet indicatio abſque remediis & remedia ſine indicatione mutilum quid ſint, nihilominùs tamen, ut fatear quæ ſentio ſola remedia ſanant* (2). Hæc eſt etiam ſummi *Linnæi* ſententia.

---

(1) Chemia & alchemia dùm olim in germaniâ floruerunt, multa bona ingenia à ſtirpium amore abduxerunt, ut efficaciora remedia novam per artem quærerent. Verendum quoque eſt ne his temporibus docti ſcientiam botanices negligant & chemicis apparatibus nimium dediti umbram fugacem aut *gaz* tenue pro realitate captent.

(2) Celeb. Profeſſores monitos volo hic *Baglivi* ſententiam referendo me neque eam in latiori ſenſu ſumere, neque abſolutam & empiricam remediis tribuere efficaiam (nam ut ait illuſt. *de Grimaud* medicamenta non habent niſi actionem relativam ad ſtatum animalis viventis,

Si ſcientia corruit vegetabilium, omnis quoque corruit uſus quem ex illis expiſcari poterunt ſcientiæ naturalis doctores in humani generis commoda. Verùm quidem eſt vegetabilia agere in corpus humanum ſecundùm odorem & ſaporem (1), *ſed hoc non ſufficit, niſi ordines plantarum naturales* (2) *noverimus; àt illis cognitis atque viribus quorumdm vegetabilium præterea notis tutus certè procedere poſſum in praxi medicâ, alioquin periculoſiſſima:* Amæn. Acad. t.... p. 249.

---

alterationem eorum patientis). Me neque remediorum acervis delectari, nam juxta celeb. *Bordeu* in aureo opere, *recherches ſur le tiſſu muqueux*: « cette profuſion de » médicamens rend la maladie méconnoiſſable & forme » un obſtacle ſenſible à la guériſon; la fureur de traiter » les maladies en faiſant prendre drogues ſur drogues, » ayant gagné les têtes ordinaires, les médecins ſont » aujourd'hui plus néceſſaires pour les empêcher & les » défendre que pour les ordonner). » Sed me tantùm in medio protuliſſe hanc ſententiam *ſola remedia ſanant*, ut pateret quanti referat illorum accurata cognitio quæ magnâ ex parte ſcientiæ botanices ope acquiritur.

(1) Hæc methodus materiem medicam ordinandi, ad versùs quam plurimi militant, etſi nonnullis obnoxia ſit difficultatibus, nonne quibuſdam aliis hodiè tam celebraris anteponi meretur? Quidquid ſit materies medica quæ non multis ſcateat vitiis & imperfectionibus adhùc eſt deſideranda.

(2) *Medicus notitiâ plantæ deſtitutus de viribus ejuſdem nunquàm juſtè judicabit. Linn.* mat. med.

Quare nunquàm mihi ſatis culpandi videntur medici qui congnitionem plantarum [à quibus innumera petuntur morborum remedia (1)] tanquàm indignam medico ad ignariſſimos homines, hortorum cultores ſcilicèt, ablegarunt, ſatiſque laboris ſibi inſumptum putant, ſi è quibuſdam auctoribus remediorum ferraginem compilarint, de ſolis nominibus ſolliciti, quæ ſi memoriæ ut ità dicam coacervarint, illicò morborum profligationem (empericorum more) incognitis armis aggrediuntur.

Hæc mhi ſufficiat delibaſſe ut innoteſcat quam neceſſaria ſit medico botanices ſcientia, ut inculpatè poſſit in medendi valdè procelloſo freto progredi, nec in ſcopulos vel ſyrtes adigatur, naufragium facturus famæ vel vitæ quoqué alienæ quam omni ſtudio ſervare debet.

Ut numeris omnibus abſoluta ſit ſuperiùs inſtituta diviſio, nec à promiſſis deflectere videar, pauca attingam de utilitate quam chemici ex botanicis cognitionibus expiſcari poſſunt & unum tantummodò exemplum afferre ſat erit ex eximio opere cl. *Chaptal* jam citato deſumptum. *T. I*, *p*. 80.

---

(1) Et ſanè dolendum eſt plantarum naturam nondùm magis exploratò nobis innoteſcere ; quæ mihi videntur reliquæ omni quâ patet materiæ medicæ palmam præripere & quæ inveniendorum remediorum ſpecificorum uberrimam nobis ſpem faciunt. *Sydenham præf.*

» M. Deyeux, *inquit cl. ille vir*, a prouvé que » le ſoufre exiſtoit naturellement dans quelques » plantes, telles que la patience, le cochlearia, &c. » Pluſieurs eſpèces de *rumex* confondus ſous le » nom de patience ne conriennent point de ſoufre; » j'en ai retiré du rumex patientia. *Linn.* »

Nunc (illud ſupponamus) chemico qualicumque in linnæanâ ſcientiâ peregrino, experientias à cl. *Deyeux* & *Chaptal* tentatas circà plantam apud *Linnæum* ſub nomine *rumex patientia* deſcriptam, in animum veniat iterare; quid indè? Vix poteritis vultum componere & ilia præ riſu cingetis, cùm hunc hominem vobis conſpicere dabitur, qui ſub vago (1) & gallico nomine, *patience*, omnes ſpecies confundit, indiſtinctè *rumicem* modò criſpum, modò acutum, nunc pulchrum, nunc aquaticum, modò acetoſam, modò acetoſellam, &c. analyſi ſubjicientem, chemicos apparatus hùc, illùc verſantem & fatigantem, ardenteſque formaces vitali excitantem & alentem aëre, ſed incaſsùm, neque tamen ſulphuris atomum obtinebit, & experientias à celeberrimis chemicis factas ut falſas repudiabit, eo quod præcisè ſpeciem quæ ſulphure ditata eſt

(2) In vago nomine non acquieſcit verus botanicus, hoc innixus axiomate. *Species tot numeramus, quot diverſæ formæ in principio ſunt creatæ. Linn.* phil. bot. pag. 299.

aut

aùt non noverit diſtinguere, aut ignoraverit an ſit ſolo propria.

Patet itaque chemicum ſacilè decipi & decipere poſſe circà ſubſtantias vegetales varias quas analyſi ſubjicit ſi botanicis notionibus deſtituatur.

In quibus erroribus rei herbariæ præcipitavit ignorantia?

Profectò non deſunt graviſſimorum errorum exempla in quibus botanices dejecit ignorantia; ſic *Schulzius* loco arnicæ, olim virgam auream adhibuiſſe medicos ex ignorantiâ characteris botanici docuit. *In mat. med.*

Porrò ſub duplici reſpectu conſiderari poſſunt illi errores, nempè vel quatenùs leviores ſunt, nec magna in praxi poſt ſe trahunt incommoda, ut v. g. ſubſtitutio *eryngii*, *calcitrapæ*, *variarum umbellatarum angelicæ*, plurimarum *gallii* ſpecierum *rubiæ tinctorum*, non-nullarum *matricariarum matricariæ camomillæ*, &c. vel quatenùs ſunt graviores & tunc ſcopum in medendo ſibi propoſitum rudis medicus nunquàm aut ferè nunquàm attingit & celeb. auctorum in ſimilibus caſibus obſervationes, niſi ut omninò falſas, ſaltem ut dubias rejicit. E millenis exemplis talium errorum quæ nobis attulit in eximiis botanicis lectionibus non ſatis laudandus ill. *Gouan* quædam tantummodò

ſeligam; ſic pro *conio maculato* (1), *chærophyllum ſyveſtre*, pro *æthusâ cynapium*, *ſcandicem anthriſcum*, & pro granis *kermes* vegetabilis, *phytolaccæ* fructus imperitiæ causâ non-nullos uſurpaſſe abundè conſtat.

Nec tamen ſilentio premendus error maximi momenti, errorum antiquiſſimus, qui omnium hujus-ce ſæculi doctorum oculos & attentionem in ſe convertit, illud exemplum à manu ſcriptis ab ill. Profeſſore noſtro *Gouan* mihi communicatis deprumptum; publici juris facio. (De helleboro *Hipp.* agitur.)

Medicinæ parens eximias hellebori vires adversùs melancholicos, maniacos, epilepticos inſultus, laudibus extulerat; hæc-ce planta per ſæcula integra famam ab *Hipp.* ſtabilitam quaſi everſam vidit, imò prorsùs neglecta fuit à medicis quibus in illâ adhibendâ vel minima ſucceſſus ſpes illuxit; at herclè ſuam nec ignorantiam, nec ſubſtitutiones ſuſpicabantur. Equidem non-ne mirum eſt plantas circiter duodecim prorsùs diverſas, veri veterum hellebori loco ab omnibus Europæ pharmacopæis venundari ac in uſus medicos diſtribui?

---

(3) Error enim hic facilè contingere poſſet quod hæ plantæ quandam habeant ſimilitudinem, ità ut non niſi à botanico ſyſtematico facilè diſtingui poſſint. *Quarin*, *diſſ. de cicutâ*.

Et reverà *helleborum viridem* fuiſſe uſurpatum teſtis eſt *Loeſekius*.

Pariſiis & in Angliâ *helleborus fœtidus* in uſum trahitur.

Synonimia quædam ex *Bauhinis* fratribus deducta *dodonœum* ad id impulit ut crederet helleborum *Hipp*. nihil aliud eſſe niſi planta quæ ſub nomine *adſtrantia major* nobis innoteſcit.

Adonis vernalis cui diù helleboris *Hipp*. nomen tributum eſt â pleriſque germanis uſurpatur, & hanc plantam ex *Taurino* ſibi adferri curant.

Gallos quoque *tabernæmontani* errore deceptos, eam adhibere refert *Vogelius*.

Radices arnicæ, veri hellebori loco, adhibitas fuiſſe teſtatur *Hoffmanuus*.

Helleboro nigro convallariam polygonatum ſubſtitutam fuiſſe *Hallerus-Albertus* aſſerit.

In uſum aconiti debacchatus eſt *Schulzius*. Eumdem errorem opprobrio vovit *Renealmus*.

Medicus regis primarius celeb. *Lemonnier* radices *chriſtophorianæ* (1) apud pharmacopæos ſub nomine *hellebori Hipp*. ſervatas deprehendit, &c.

Cùm auctoritates nec plures nec ſanctiores ad comprobandam talium errorum exiſtentiam ex defectu notionum botanicarum, deſideraturum arbitror neminem, finem imponam referendo quod aït

---

(1) Actea nigra *Linn*. chriſtophoriana. *Cluſ*.

Renealmus quem præ manibus habeo, quique rationem ope cujus in botanicis imperiti ſuam obnubilant ignorantiam ſat concinnè expoſuiſſe mihi videtur.

Vidi, *inquit* Renealmus, *qui helleborum nigrum intrepidè præſcriberent*, *non enim animadvertebant pro radicibus illius hodiè proſtare iu officinis radices pernicioſi veneni quod rei herbariæ periti napellum vocant: cùm æger interiit*, *in alias cauſas infelix caſus rejicitur*, *quas commentantur & quam diſertiſſimè poſſunt mentiuntur*.

Hæc certè ignorantia cum magnâ hominum pernicie atque exitio conjuncta eſt, ità ut de ejuſmodi medicis illud *Plinii* jnre dici poſſit: *diſcunt periculis hominum & experimenta per mortes agunt*.

Sed in tantâ rerum confuſione ad ſcientiam botanices tanquàm ad ſacram anchoram confugiendum. Celeberrimorum enim botanicorum munus & officium eſſe à naturâ involuta obſcuraque aperire & illuſtrare, nova jam inventis addere, propè inter mortua & quæ temporum injuriâ interciderunt magno labore revocare, tanquàm ad inferis excitare, & graviſſimis erroribus frænum injicere ſequens dilucidabit exemplum.

Celeberrimo *Gouan* datum erat tantam de helleboro *Hipp*. litem componere rogantibus ill. in arte hippocraticâ viris Dominis *Lemonnier* & *Lieutaud*.

» M. *Lemonnier*, aït vir celeb. & M. *Lieutaud*

» ſon prédéceſſeur, digne pareillement des plus
» grands éloges, m'engagèrent, il y 14 ans, à
» réſoudre ce problême important (1); & en con-
» ſéquence après pluſieurs recherchés, après des
» vérifications, des confrontations ſcrupuleuſes,
» je fus en état de ſatisfaire le zèle de ces deux
» grands hommes, & j'oſai prononcer que le vr a
» hellébre d'*Hipp.* n'étoit aucune des plantes qu'on
» diſtribuoit le plus ordinairement duns le com-
» merce, mais bien l'*helleborus niger flore roſeo.*
» Linn. »

» Je pourrois (*addit ill. Gouan*) en dire autant
» du vrai *opopanax* (2), de la *ſcammonée*, du
» *jalap*, du *calaguala*, &c. (3). »

Ex ſuperiùs allatis ſatis patet quantis erroribus obnoxii ſint botanices ſcientiam ſpernentes (4). Solis botanicis tales errores jam graſſantes emendare, jam naſcentes ſuffocare datum eſſe, & ſcientiam quam colunt non eſſe meram nomenclaturam luculentèr demonſtratur. In fumùm ergò abeant futilia de

---

(1) Quiſnam eſſet verus *Hipp.* helleborus, an *conſiligo Plinii*? An &c. ab illuſt. viris quærebatur.

(2) Paſtinaca opopanax. *Linn.*

(3) *Polypodii* ſpecies. *Gouan.*

(4) Siquidem (quod, ait *Lommius* poſt *Cornel. Celſum* in præf. comm. de ſanitate tuendâ) ita exiſtimo plures malos ſic & indoctos eſſe qui ea quæ non didicerunt non ſolum malè judicant, ſed etiam odio perſequuntur.

botanicis colloquia ; ſupplices liberaſque ad cœlum extollamus manus, ut botanicâ magis ac magis excultâ, maxima in genus humanum redundet utilitas.

En novus rerum naſcitur ordo, annuat utinam! ſalubris comitatus ſollicitis Profeſſorum celeberrimorum votis, qui peroptant ut primus Galliæ hortus *Richerii Belleval* (1) ſtupendum opus, labentem recuperet ſplendorem, & ferveat in dies botanices ſtudium, ducibus Profeſſoribus celeberrimis quorum profundam in omni genere ſcientiam, & in edocendis alumnis curam & ſtudium, quis unquàm æſtimare pro merito poſſet, nedùm oratione conſequi!

In diſſertatiunculâ cujus objectum eſt botanices utilitatem quaſi raptim delineare te non laudatum relinquere nefas ac piaculum amico foret, amiciſſimè *Martin* apud Gallo-provinciales medicè, tu qui primus mihi dives, odoratumque floræ recluſiſti fanum, cùm herbarii tui quaſi irretitus illecebris, omnia otii momenta ſummo *Linnæo* vovere juravi; non ſemel & illud tempus heu! nimis breve adhuc menti memori arridet, non ſemel inquam, te ſocio, ſylvas, ericetaque rimatus, maris littora pervagatus, rupium anfractus, montiumque aſper-

---

(1) Qui plura ſcire deſiderat de *Richerio Belleval*, adeat hujuſce eximii viri doctum ac diſertum incomium quod clar. *Dorthes* in botanicis, chemicis & hiſtoriâ naturali notiſſimus, publicavit.

rima juga audax exſilii, tunc temporis in botanicis innocuam tantùm voluptatem quærebam; hodiè verò duce & magiſtro celeb. *Gouan* adversùs errores multifarios verè medicinalem utilitatem inveni: attamen hoc tentamine omnes ad botanicam convertere mihi ridicula ſpes non illuxit, non enim Virgilii oblitus ſum ſententiam.

Non omnes arbuſta juvant humileſque myricæ.

Et aliundè tanta eſt plerorumque ad veritatem amplectendam tarditas, & ex aliâ parte tanti ſunt momenti variæ rationes quas ſuperiùs attuli ad comprobandum quam neceſſaria ſit medico ſufficiens & ſyſtematica botanices cognitio, ut illud me effari poſſe arbitrer de illis rationibus, quod in ancipiti ſucceſsûs expectatione aït cl. *Labruyere* de ſuis characteribus ſub fine tomi ſecundi.

» Si on ne les goûte point, je m'en étonne; & ſi
» on les goûte, je m'en étonne encore. »

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ,
Univerſitatis Cancellarius.

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.

DISSERTATIO MEDICA
DE ANGINA INFLAMMATORIA

Quam, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi tueri conabitur,

AUCTOR,

AUGUSTINUS FURNON, Anicæus olim apud Velaunos, nunc in Partitione quæ dicitur *Département de la Haute-Loire*, Liberalium Artium Magiſter, & in celeberrimâ Monſpelienſi Univerſitate Medicinæ Alumnus; pro trimeſtri Aprilis anni 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

.... Doctâ plus valet Arte malum.
OVID. *Lib.* I.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

1791.

Has in Arte medicâ primitias in æternum amoris & reverentiæ monumentum,

OPTIMÆ ET CARISSIMÆ

MATRI SUÆ

Dicat, vovet & conſecrat

Obſequentiſſimus nec-non beneficiorum memor filius
A. FURNON.

DISSERTATIO
MEDICA
DE ANGINA INFLAMMATORIA.

MORBUS quem græci *Synanchen* & *Cynanchen* dixere, latini vocant *anginam*. Inter varias ejus ſpecies, frequens & periculoſa inflammatoria, aliis ſub nomine veræ, ſeù legitimæ, cognita. Suffocantur etenim ægri hoc morbo laborantes intrà paucos dies; quinimò intrà paucas horas, niſi promptâ manu in auxilium advocentur remedia efficaciſſima quæ illum debellare queant. Aliquandòque tamen adeò gravis eſt, ut remediorum

potentiſſimorum efficaciam effugiat, & æger invitâ arte experti medici, poſt varios cruciatus intolerabiles, miſerrimè è medio tollatur.

Angina inflammatoria definitur impedimentum ſeù difficultas reſpirandi aut deglutiendi cùm dolore, calore, & tumore conjuncta, procedens ab inflammatione partium deglutitioni & reſpirationi inſervientium, ſuprà pulmones & ſtomachum poſitarum: in hâc modò velum palati pendulum, uvula, tonſillæ, muſculi oſſis hyoïdis, & maxillæ, & linguæ radix; modò pharynx, & ſuperior œſophagi pars; modò larynx atque aſperæ arteriæ initium inflammantur. Quandòque etiam plures harum partium ſimùl eodemque tempore laborant.

Anginæ inflammatoriæ magis ſubjacent juvenes plethorici, victui lauto & calefacienti, aut vinoſis liquoribus maximè dediti, exercitatores: mares ideò frequentiùs quam feminæ, & præſertim pilos flavos aut rufos notante *Sydenham* habentes; & potiſſimùm ii qui jàm ſemel eâdem laboraverint.

Innumereræ ſunt cauſæ quæ huic morbi anſam dare valent. De præcipuis tantùm hic ſermo erit. Tales ſunt impedita tranſpiratio, & cujuſcumque excretionis conſuetæ ſuppreſſio; frigoris & caloris ſubitæ mutationes; corporis exercitatio vehemens;

equitatio vento in faciem ex adverſo ſperante ; aër per rimas anguſtas, aut portas oppoſitas frigidus, præſertim collo illapſus ; cantus, declamatio, vociferatio, tubarum inflatio, præſertim in aëre frigido ; alimenta, acria venena, aut medicamenta ingeſta, aut inſpirata ; tuſſis vehemens aut creber vomitus ; metaſtaſes materiæ cujuſcumque ; peculiaris aëris conſtitutio ; miaſma epidemicum, &c.

Cognoſcitur malum ex deglutitione vel reſpiratione impeditâ, pulſu celeri, duro, ſiti, dolore, rubore faucium, urinâ rubrâ, variiſque ſymptomatibus pro diverſitate partium affectarum.

Peculiare nomen accepit angina ratione loci diverſi quem occupat : hinc *tonſillaris*, *pharyngea*, *œſophagea*, *laryngea*, *trachealis*, & ex his *compoſita* profluunt.

Tonſillaris nomine inſignitur ea in quâ tonſillæ velum palati pendulum, uvula, linguæ, baſis, muſculi, glandulæ, membranæque harum partium inflammantur. Sequentibus ſignis eruitur ejus diagnoſis. Febri continuâ vehementi cùm faciei rubore comitatur. Reſpiratio eſt incommoda, difficilis, per nares nulla vel parva : ſi ore aperto, & depreſsâ ope cochlearis linguâ fauces inſpiciantur, tumor & rubor ſanguineus ubique apparet qui

quandòque in collo conſpicitur : dolor ingens ibidem percipitur in aurem per tubam euſtachianam protenſus ; cibi deglutiendi per os redeunt ; fauces areſcunt, ſed frequentiùs viſcidâ, mucosâ, tenacique pituitâ opplentur : non rarò etiam crepitationis ſenſus in aure inter deglutiendum perſentitur cui ſurditas accedit.

Si pharinx & œſophagi ſive gulæ ſuperior pars inflammatione corripiuntur, id mali inſpectis faucibus illicò in conſpectum venit. Reſpiratio eſt ſat commoda, deglutitio dolens, impoſſibilis, deglutienda per nares redeunt, eadem in aſperam arteriam impulſa aut illapſa tuſſim violentam exſuſcitant.

In larynge inflammato ſymptomata ſequentia animadvertuntur. Vox eſt acutiſſima, ſtridula, tuſſis accedit ſicca & ferè ſuffocans ; dolor ſummus, non ex deglutitione quæ tùm libera eſſe ſolet, ſed ex elevatione laryngis percipitur in deglutiendo ; reſpiratio parva, rara, ſtertoroſa.

At ubi aſperam arteriam ſivè tracheam potiùs quàm laryngem obſidet inflammatio, tunc oritur ibi tumor, calor, dolor, febris acutiſſima exardeſcit, nulla adſunt ſigna externa, ſed tactu compreſſâ tracheæ fiſtulâ acerbius dolet, quo potiſſimùm mali ſedes detegitur. Vox eſt acuta, clan-

goſa, ſibilans; inſpiratio acutè dolens; reſpiratio parva, frequens, erecta cùm ſummo molimine; pulſus ob circulationem ſanguinis per pulmones difficilem mirè & citò vacillans; tuſſis plerùmque permoleſta ægrum vexat.

Verùm ſi ſolos muſculos elevando oſſi hyoïdi inſervientes inflammatio teneat, plerùmque tantùm teſte illuſt. *Quarin* in uno latere talis affectus hæret. Inſpectione faucium factâ, nullus ſæpè tumor apparet, quia muſculi illi profundiùs locantur. Diſtinguitur hæc anginæ ſpecie à præcedentibus, quod reſpiratio ſatis libera maneat, neque acuta adeò & clangoſa vox ſit.

Ex prædictis ſymptomatibus attentè obſervatis cujuſlibet ſpeciei evidens & certa eruitur diagnoſis. Ad prognoſim verò inſtituendam, maxima ratio habenda eſt mali vehementiæ, loco affecto, conditioni ægri, conſtitutioni tandem epidemicæ.

Inutilè forsàn non erit dicere quod angina infl. eoſdem habeat terminos ac cæteræ inflammationes; terminatur etenim reſolutione, ſuppuratione, gangrænâ & ſcirrho.

Reſolutionem ſperare licet, ubi inflammatio ſatis brevis, humores blandi, &c. per copioſum ſalivæ viſcidæ excreatum, ſudorem, urinam multam & coctam.

Inflammatio laryngis maximè periculoſa eſt, timendum enim ne à tumore ſubitò ſuffocetur æger periculum verò magis augetur, quo propinquiùs malum glottidi eſt.

Aſperæ arteriæ inflammatio, omnium rarior, eſt quoque omnium peſſima. Subitò enim homines è medio tollit, quod *Sydenham* paucis nonnunquam horis fieri monet.

Quæ uvulæ tonſillis, &c. accidit, quæque aliis frequentior eſt, minùs infert periculi, & rarò lethalis eſt ait illuſt. *Quarin* niſi peſſimè tractetur. Tonſillæ etenim, inquit, extrorſum adtolli poſſunt, & versùs oris cavum prominulæ inveniuntur. Hinc minùs timendum ne reſpiratio impediatur

Notandum verò quod quandòque lingua adeò inflammatur, maximè circà ejus radicem, ut nonnunquàm ſuffocationem minitetur.

Verſatur in ſummo periculo æger, ſi plures partes ſimùl inflammantur. Peſſima prognoſis inſtituenda ubi impedito reditu ſanguinis in jugulares externas, tumor ingens vultus, oculi prominentes, ſenſus hebetes, & ſtertor obſervantur. Hæc ſunt ipſiſſima verba jam laudati *Quarin*.

Perniciem exitiumque extremum expectari licet, ubi collum, ſivè cervix, fauces-ve nullum tumorem

aut ruborem oſtendunt. Auctor *coacarum prænotionum* eodem die, ad ſummum tertio has anginas enecare ſcribit, ſic inquiens : *anginæ quæ nec in cervice, neque in faucibus quidquam conſpicuum edunt, ſuffocationem vehementem & ſpirandi difficultatem inferunt, atque eodem die aut tertio occidunt* (1).

Idem dicendum de tumoribus quæ ſinè bonis ſignis evaneſcunt, neque ad exteriora convertuntur ; in illo enim caſu metuenda eſt materiæ morbificæ ad caput, ad pulmones ad hypocondria converſio, quod fieri nequit, niſi cùm ſummo ægrotantis diſcrimine.

Verùm ſi iſta defuerint, aut iis contraria evenerint, ſpes erit ſalutis recuperandæ. *Hinc*, ait *Hippocrates ab anginâ detento tumorem in collo fieri bonum : foras enim morbus vertitur* (2). Item bonum eâdem de cauſâ aſſeverat, ſi *tumor*, & *rubor in pectore & collo prorumpat*. Illud enim denotat bonâ metaſtaſi materiam inflammatoriam ad exteriora tranſire.

Anginæ inflammatoriæ curatio, remediis quæ

---

(1) Coac. lib. V ex *Jacotii*, recentione & editione.
(2) Aph. 37, ſect. VI.

humorum motum & copiam minuunt, atque à ſuperioribus derivant promovenda. *S*ed in eorum adminiſtratione ratio ſemper habenda eſt ætatis ſubjecti, morbi vehementiæ, &c. *extrema extremis*, ut aïunt. Hinc in ſpecie quæ laryngem aut tracheam tenet, ſtatim venæ-ſectio audax, larga inſtituenda, recrudeſcente malo ſubitò repetenda. In brachio primùm, dein in pede inſtituatur phlebotomia, non verò in venis raninis, ut multi commendant, nàm monente *Huxam*, venæ ſub linguâ non ſatis ſanguinis in vehementi anginâ fundunt.

Sin harum venarum ſectio non ſatis profecerit, ſanguis è jugulari venâ, ſi fieri poſſit, extemplò mitti debet, quò nihil præſtantiùs ad imminuendam in proximis partibus ſanguinis congeſtionem (*Burſerius*).

Ad eumdem ſcopum adhibendæ veniunt cucurbitulæ ſiccæ, ſed meliùs cruentæ, cervici poſteriori, colli lateribus, aut ſubter mento, aut ſcapulis, incisâ altiùs cute, nec-non pediluvia, epiſpaſtica ut ſemen ſinapi, veſicatoria brachiis, femoribus, cruribus pedibuſque admota, imò circà partem affectam : ex his potentiſſima revulſio materiæ morbificæ expectanda.

Effectum quoque revulſivum expectare licet, ex

antiphlogiſticis alvum moventibus, ut ſunt, v. g. manna, ſerum lactis tamarindinatum addito pauco nitro, poſito quod æger deglutire valeat; at ſi deglutitio impoſſibilis eſt, clyſmata in uſum vocanda, acriora verò & ſæpiùs repetenda, partim ut revulſio fiat, partim ut corpus depleatur (*Quarin*).

Intereà jubendum ut vapores infuſi florum ſambuci, quibus etiam additur modica aceti quantitas inſpirentur; loca inflammata directi adluere valent, hinc multùm proſunt, ſed monente, ill. *Burſerio* cavendum ne nimiùm calidi aut nimiùm irritantes ſint.

Commendantur & etiam gargariſmata ex ſyrupo morarum, decocto hordei cùm melle roſaceo & ſale prunellæ, cùm hâc cautelâ adhibita ut ne nimiùm in ore agitentur, alioquin partes inflammantur.

Diæta inſtituatur tenuis, refrigerans, ex decoctis ſeminibus farinoſis admodùm dilutis, ſero lactis, aquâ pulli, & ſimilibus : ubi verò via deglutitionis impeditur, clyſmatibus nutrientibus ex lacte vel jure carnium confectis utendum, priùs lotis inteſtinis craſſis enemate purganti. Si ſitis ingens ægrum vexat, acida mineralia multùm diluta pro potu commendat, *Quarin* præcipuè in inflammatione linguæ uvulæ &c.

in aliis ſedulò abſtinendum, eum ejuſmodi meraca acida minimè perferre valeant.

Febre jàm mitigatâ per venæ-ſectionem & apta remedia, ſi angina perſeverat, nec ſigna ſuppurationis adſint, tùnc præſentiſſimum, & ferè unicum auxilium præbet prudens, & cauta partium ſcarificatio, quâ ſanguine effluente, citiſſimè detumeſcunt.

Interdùm negligenda haud ſunt ea quæ extrinſecùs adhibita levando morbo adjutrices manus conferre creduntur. Hinc partes externæ, ut collum, cervix, cataplaſmatibus emollientibus perpetuò involvendæ. Uſitatiſſima, ad id eſſe ſolent decocta ex malvâ, altheâ, parietariâ, ſeminibus lini, fænu græci, floribus ſambuci, meliloti, &c. atque ex his cataplaſmata quoque parantur, addito oleo quodam pingui veluti nympheæ, violarum, roſarum, aut ſimili.

At ubi jàm ingens ſubitæ ſuffocationis metus incumbit, ut quandòque evenit in graviori laryngis inflammatione, ad bronchotomen per ſe nec difficilem nec periculoſam deveniendum eſſe ſine morâ exiſtimamus, verùm hæc operatio, inquit *Quarin*, tantùm inſtituenda tumore inaf lammatorio, vel circà laryngem, vel in parte ſuperiori aſperæ arteriæ hærente, ut infrà locum affectum ſectio fieri poſſit.

varia ſunt adhùc momenta ſedulò perpendenda in ejus inſtitutione quæ hìc locum habere non valent propter paginarum volumen, legantur auctores qui de eâ perfunctoriè tractarunt. Utiliſſima præcepta apud *Van-Swieten* & *Huxam* reperiuntur. Reſtant mihi quædam dicenda de variis ſolutionibus quas ſuſcipit angina inflammatoria quando in reſolutionem non abit. Hæc paucis explanabo.

Cùm ergò ad ſuppurationem vergit invitâ adminiſtratione remediorum reſolventium, nec criticâ evacuatione aut metaſtaſi ſolvitur, quod cognoſcitur per durationem, imò incrementum ſymptomatnm inflammatoriorum; doloris ſcilicet obſcurioris, febris cùm pulſationis ſenſu in parte læsâ, pulſus mollioris, quibus accedit rubedo partium minùs intenſa, tumor mollior, cùm puncto ut-plurimùm albo dein apparente, tùnc ei quantùm fieri poteſt favendum. Locus ubi ſuppuratio fit, vaporibus, collutoriis, cataplaſmatibusque emollientiſſimis aſſiduè humectandus fovenduſque eſt. Pure demùm confecto, abceſſus, ſi ſponte qnod ſæpè fit, non rumpatur, pharyngotomo aperiendus.

Notandum verò quod ubi tonſillæ pluries & ſæpè inflammationi obnoxiæ fuerunt, nec unquam perfectè detumuerunt, & facilè in eandem levi ex

cauſâ relabi ſoleant ; tunc ſi eas inflammatio occupârit, non maturè nimis aperiendæ ſunt, ſed expectandum donec ſuppuratio omnem duritiem & tumorem conſumpſerit : ſic enim non ſolùm earum ſcirrhoſa induratio, verùm etiam ad inflammationem nimia proclivitas averti ſolet.

Strenuè promovenda ſuppuratio, inquit *Quarin*, & abceſſus diſponendus ut antrorſum rumpatur; nam, ſubjungit, hujus retrorſum verſus fauces ruptura, periculum facit ne pus in glottidem labatur, cùm ſummo ſuffocationis diſcrimine. aperto, vel ſponte rupto abceſſu, ſufficientem judicat aquam, *Burſerius*, ex hordeo decocto cùm melle mixtam, ut ulcus leniter detergeatur.

Gangræna anginæ inflam. ſuperveniens, ſigna ſequentia præbet. Pulſus ſunt debiles, inæquales, parvi ; color faucium ex rubro in lividum, aut nigrum mutatur, aut ſummopere albidum ac pallidum ; tumor ſubſidet, dolor ceſſat, fœtor ingens oris adeſt, facies eſt cadaveroſa, frigus partes extremas poſſidet ; deglutitio tandem & reſpiratio faciliores fiunt. His præſentibus nulla ampliùs ſpes ſalutis remanet. Initio morbi ad antiſeptica intùs & extùs ſumpta confugiendum. Apud quoſdam auctores multùm laudatur camphoræ, kinæ-kinæ,

alkali volatilis uſus, ſed plùs nocent quam proſunt illa remedia, niſi ſummâ cùm prudentiâ adhibeantur. Virtute etenim acri & irritante gaudent, & ideò cavendum ne inflammationem adaugeant. Ut coerceatur gangrænæ progreſſus, adhibenda venit gargariſatio ex rutâ, ſcordio, cum melle roſarum, addito pauco ſpiritu acido ſalis marini, vel volatili ſalis ammoniaci. His verò non proficientibus, manibus acceſſu dato, partes affectæ ſcarificandæ.

Rarius evenit ut angina inflam. in ſcirrhum degeneret; id verò ſi unquam incidat, glandulæ, & præſertim tonſillæ, præ cæteris partibus, hoc malo tentantur.

Recenti morbo frictiones, aceti vapores, & emplaſtra laudantur; ſi hæc non proficiant, ſcirrhus chirurgi manu facile, & ſine periculo exſcindi poterit, aut crebris ſcarificationibus paullatim deteri, & ſuppuratione inductâ conſumi. (*Van-Swieten*).

Celebriora planè artis auxilia quæ ad anginam inflam. curandam adhibentur, indigitavi, quamquam nec omnia ſemper, nec in quâvis ejus ſpecie neceſſaria reputantur. Leviores enim faucium, epiglottidis & tonſillarum inflammationes, paucioribus, mitioribuſque adjumentis diſcutiuntur.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES - BAPTISTA - TIMOTHEUS BAUMES.

TENTAMEN
MEDICUM
DE
VARIOLIS,

QUOD in Augustissimo Ludovicæo Medico Monspeliensi, Argumentantibus Illustrissimis Professoribus Regiis, D. P. J. BARTHEZ, Universitatis cancellario; D. G. J. RENÉ, decano; D. A. GOUAN, pro-decano; D. F. BROUSSONET; D. F. VIGAROUS; D. H. L. BRUN; D. H. FOUQUET; D. J. B. T. BAUMES. Ad primam Appollinarem lauream consequendam publicis, subjiciebat disputationibus, Auctor JOANNES RAMOND, ex urbe Eymez, in novâ partitione dictâ *Département de la Dordogne*, olim apud aquitanos; in almâ Burdigalensi Facultate Liberalibus in Artibus jam laureatus, nec-non saluberrimæ Facultatis Parisiensis, almæque Universitatis Monspeliensis alumnus, pro trimestri Aprilis anni 1791.

Ad utilitatem vitæ omnia consilia, factaque nostra dirigenda sunt. TACIT.

MONSPELII,

Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

M. DCC. XCI.

PATRI. OPTIMO.

ET. VENERANDO.

AMICO. INTEGERRIMO.

NEC-NON.

MATRI. TENERRIMÆ.

ET. COLENDISSIMÆ.

TENTAMEN. HOC. MEDICUM.

DE. VARIOLIS.

IN. PIETATIS. REVERENTIÆ. ET.

GRATI. ANIMI. SIGNUM.

SE. SUUMQUE. TENTAMEN.

JOANNES. RAMOND.

D. V. C.

NATIONI,
LEGI,
REGI.

TENTAMEN
MEDICUM
DE VARIOLIS.

PRO tentamine in lucem prodeunte, è statuto jam pridem more in hacce celeberrimâ medicorum scholâ, omniumque antiquissimâ, hunc morbum tam sæpe gravem, tamque plurimis perniciosum in medium prolaturus; neque ipsius antiquitatem, neque originem, neque causas fusiùs explanare sinunt, nec animus, nec vires, nec arctiores hujusce dissertatiunculæ limites. Attamen quæ sunt tempora, quæ sunt loca ubi variolæ natales habuerunt, paucis recensere consilium nobis arridet.

Circa variolarum antiquitatem in diversas abiverunt sententias in arte viri: dum enim alii acri studio conantur, ut sub nomine *Phlictenarum*, *Carbunculorum*, *Anthracum*, *Efflorentium*, consimiliumque aliorum in cute exanthematum, ex *Hippocratis*, *Galeni*, *Celsi*, aliorumque veterum monumentis manifesta variolarum vestigia eruant: alii haud inæquali eruditione præditi,

contrariam opinionem tuentes, negant variolas ab antiquis medicis, tum græcis, tum latinis, ullatenus fuisse cognitas. Primis enim, inquit *Cl. Mead.* » his-ce artis nostræ magistri, in
» in signis morborum omnium describendis et
» distinguendis tam sagaces, tamque diligentes,
» non stylo brevì ac curto, sed potius diffuso
» ac præstanti, in conscribendis variolis, usi
» fuissent, si morbum adeò molestum, adeò
» conspicuum, adeò nefandum cognovissent ».

Quidquid sit de antiquitate hujus morbi, saltem in eo satis consentire videntur eruditi, quod *Rhazès*, qui circa annum æræ christianæ nonagentesimum floruit, Arabum medicorum primus fuerit, qui distinctum et accuratum de variolis tractatum edidit. Sollicitâ disquisitione Arabum vestigia sequentes, totam curam totamque solertiam, huic morbo cognoscendo et curando, felici equidem cum successu, impenderunt post *Rhazem*, *Sydenham*, *Morton*, *Frein*, *Huxham*, *Cullen*, *Tissot*.

Quoad locum ubi variolæ prima habuerunt cunabula, non minor apud authores dissentio. Et reverà, alii testantur Arabes, imperante *Calife Omar*, Ægypto armis subactæ variolas communicasse, quæ cum ipsis hinc et inde cùm propagabantur, pervenerunt quò illorum et arma et commercium pervenerunt; unde ex Ægypto in Syriam, Palestinam etc., in Hispaniam, deinque per Europeos ad extra mare, sicque totum ferè per orbem. *Leclerc*, hist. de med. *Astruc*, malad. des fem. vol. 3, pag. 248. Alii tempore quo bella, horrida bella (les croisades) sæviebant, in Europam advectum fuisse variolosum

contagium. *Sauvages* Nosologia. Alii, *Van-swieten*, *Weisz*, hanc labem contagiosam, in Arabia primò ortam, diro modo paulò post furiisse in tota Asia, Affrica, Europa, et tandem adeò latè diffusam, ut in regione Americana apparuerit, subindeque ibi multùm pululaverit. Communis enim hæc est opinio, Americæ incolis hunc morbum ipsis omninò incognitum, per Europeos communicatum fuisse, *Werlhof*, de variolis et anthracibus, pag. 15.

Invadunt variolæ sub omnibus ferè tempestatibus : frequentiùs tamen sub quibusdam anni temporibus vigent; v. g. vernali tempore, æstivò præcipuè grassantur, autumnali cedunt, superveniente dein hyemali frigore vix emicant. Sed cum maximum malum à cœlo gravi morbosoque variolis accedat, eo salubri, has esse benigniores opportebit. Hinc æstas plurimorum ut potè præ aliis anni partibus, morborum mater, omnium pessimam variolarum progeniem dabit, vitio temporis multiplici, bilioso, putrido, maligno contaminatam. Hanc proximè autumnus excipiet ; at hyems et ver, si ea tempora fuerint qualia oportet, præ cæteris variolas sinceras ferent, et sui moris et indolis bonæ tenaces. Contagione etiam hujus mali propagatâ, lentiùs vel citiùs, modoque diverso, pro diversâ ægrotantis ætate, idiosincrasia, aeris constitutione, etc. suas strages exercet.

Quamvis contagium variolosum junioribus sit frequentius, nemo tamen certè hanc labem non expertus, blandiri sibi poterit, quod ad ultimum vitæ terminum ab illâ immunis mansurus sit. « Memini, inquit *Van-swieten*, me cura-

» viſſe hoc morbo decumbentem vetulam plus
» quam sexagenariam, quæ ridebat me, dum
» variolas erupturas brevì præsagiebam. Quin
imò nullus sibi potest plenam ab illo contagio
immunitatem promitti, licet sœpius huic contagio
expositus, nullam omnino inde noxam
senserit. « Octogeneriâ majorem, ait *Van-*
» *swieten*, sæpe sæpius absque ulla noxa contagio
» varioloso expositam, tandem hoc morbo
» infectam fuisse novi, et avidos nepotes, qui
» certâ optimæ hæreditatis spe freti, advolaverant
» ex dissitis etiam locis, falsè risisse,
» dum ex tanto discrimine emergebat, per
» integrum adhùc sexennium superstes, et
» quantùm in ultimo senio sperare licet, sana
» satis. » Non nullos similes casus apud *Diemerbroeck*,
Boerhaave, *Syndenham* et alios legere
datur. Hinc quamvis verum sit infantes tetrum
hujus morbi fœtorem maximè perpati, ad seram
tamen usque in ultimo senio mortem metuendus
est hic morbus. Latentem adhuc in utero
materno fætum aggreditur quandoque, et ante
diem calamitates humanas cogit perferre. In
tractatu *Cl. Bartholin*, de variolis et morbillis,
pag. 274, videre est, pauperculam mulierem,
variolis laborantem, in luce edidisse fœtum,
cujus tenerum corpus æquè multis ac maternum
variolis obsitum erat, et qui paulò post nativitatem
fato defunctus, matre adhuc per triduum
superstite, tuncque pariter vi morbi decumbente.

Vulgò semel tantùm hominem in vita variolis
laborare notum est. Non nullis tamen exemplis
constat bis vel et sæpius in vitæ curriculo infici
posse. Sic *Petrus Forestus* de proprio filio narrat

quòd, quadriennis cum esset, et bis variolas jam habuisset, deinde in morbillos inciderit. Sic *Sarconius* et *Moscatus* in civitate Neapoli eumdem hominem, variolis equidem confluentibus, bis, ter viderunt infectum. Sic *Borellus* mulierem agnovit Banoniensem, quæ septies variolas perpessa, anno tandem centesimo decimo octavo eodem morbo periit. Hinc minùs bene negaretur bis, quandoque sæpius in eodem subjecto observatas fuisse variolas.

Varia nomina obtinuerunt variolæ; gallicè vocantur *petite vérole*, ab Occitanis plurimisque aliarum Galliæ - Provinciarum incolis, insigniuntur nomine *picotte*. Datur adhuc pustularum genus quoddam, pueris familiare, variolis simile quoad magnitudinem et figuram; sed in éo ab illis distinguitur quòd in variolis pustulæ cum rubore et inflammatione appareant, in illa vero specie, pustulæ sunt albæ, velutique vessiculæ seroso humore repletæ, quæ intra triduum in cute elevantur, exsiccantur, mitioribus stipantur symptomatibus, nullasque relinquunt cicatriculas. Id pustularum genus gallicè dicitur : *petite vérole volante*, *vérette*, *vérolette*.

His positis, nunc paucis perpendamus quid authores de variolarum divisione protulerunt; omissis quæ de natura et essentia viru-variolosi somniarunt » Hæc quippe sunt ex illis arcanis » quorum nos exactè scire noluït altissimus con- » ditor. *Diemerboeck*. » Plurimi authores variolas *in discretas* et *confluentes* divisas habuerunt. Alii in *benignas* seu *simplices* et in *malignas* illas dividi voluerunt. Illæ duæ opiniones mihi unum et idem videntur, cum discretæ sunt plerumque

benignæ, confluentes verò malignæ. Observare est tamen in peculiaribus quibusdam epidemicarum constitutionum casibus, confluentes variolas periculo vacare, dum discretas pericula subsequuntur. Nomine *discretarum* intelliguntur illæ quarum pustulæ numero distinctæ in orbem elevantur, quarumque febris citò post eruptionem terminatur. Sub nomine *confluentium* cognoscuntur eæ quarum simul et invicem papulæ confluentes catenam mentiuntur. Vulgò apparent flaccidæ, planæ. Febris adhuc sævit post eruptionem. Hæ duæ species in plures adhuc alias dividuntur, ratione *sitûs*, in *cohærentes*, ratione *figuræ*, in *Silicosas*, *acuminatas*, *verucosas*, *depressas*, *elevatas*; ratione *typi*, in *regulares*, *anomales*; ratione *humoris* contenti, in *cristallinas*, *sanguineas*, *ichoroſas*, *lymphaticas*, *&c.*

Dicendum aliquid hìc nobis est de differentia morbillorum, nonnullorumque aliorum exanthematum in cute prorepentium. 1.° quidem morbilli à variolis distinguuntur, in eo quòd in contagio morbilloso papulæ plerumque multò faciliùs erumpant, febris sit intensior, calor major, pruritus acrior, pustularumque per exiguarum, vixque in cute eminentium numerus multò major quam in variolis maximè confluentibus. Verùm ineunte morbo, non nunquam pronuntiare difficillimum, num variolæ, num morbilli apparere debeant. Hosce enim duos affectus eodem tempore epidemico more non rarò sævire, eodemque in subjecto consociari notum est, ut quam plurima existunt exempla apud

de Haen , *Diemerbroeck* , *Etmuller*, (1) *Tissot* et alios. 2.° Distinguntur variolæ à febre miliari in eo quod miliares pustulæ haud numerandæ in tota corporis superficie disseminentur , faciem si excipias : quæ pustulæ figurâ , colore , humore contento symptomatibusque aliis plurimùm à variolis differunt. 3.° Distinguuntur variolæ à peste in eo quòd pestilentiali in contagio bubones , anthraces in cute se prodeant ; dum in variolis pustulæ sensim crescentes , suppurantes, in crustulas desinunt mox deciduas : quibus elapsis , cicatriculæ aut foveolæ in cute relinquuntur.

Antequam in conspectum sese prodeant variolæ , quibusdam signis dignosci potest , aut potiùs multum suspicari hujus modí affuturam febrim , præsertim si vigeat epidemica constitutio variolosa. Hinc , si quis , si puer sit , qui febre laboret, magna tunc est suspicio epidemico illum mulctari morbo , præsertim si communicaverit cum alio hac labe affecto ; si ingruens variolarum morbus , præbeat assueta , febribus continuis , symptomata : ut sunt vires prostratæ , horripilatio , rigor , sitis , calor , nauseæ , vomitus , oculorum splendor , dolor capitis , lumborum , dorsi , præcipuè circà partes cordis scrobiculo subjectas , anxietas magna , somnolentia , spirandi difficultas , lacrymæ involuntariæ , urinæ rubræ , pulsus celer , durus : sudores copiosi in adultis : in infantibus verò motus convulsivi ,

---

(1) Clarissimus Etmuller historiam refert fœminæ cujusdam, in uno corporis latere variolis , in altero verò morbillis laborantis.

epileptici, qui quidem variolas brevi erupturas nobis denuntiant, ni ulla sit aliunde ratio vermium præsentiam suspicandi: *Van-swieten.* aut, ni illi insultus dentitionis fuerint effectus: *Sydenham.*

Talia hæc sunt variolarum symptomata quæ vigent in invasione, seu in primo morbi stadio. In eruptione verò seu in secundo stadio, quod à tertio ad septimum usque diem provehitur, erumpunt pustulæ, parvæ, rubræ, pulicumque morsus æmulantes. Conspiciuntur primò in facie, collo, itemque in parte capitis capillatâ: paulò post ad pectus, humeros, brachia, manus, et denique ad totam corporis superficiem disseminantur.

Septimo circiter die sequitur suppuratio seu tertium morbi stadium. Tunc temporis ægrorum os in adultis scatet tenui salivâ, quæ ad veram gradatim salivationem adaugetur. Diarrhæa in infantibus suboritur, quæ supplet salivationi. fauces quandoque inflammatione laborant, tument, dolent, deglutitio fit impossibilis, et tandem supervenit ptyalismus, qui, ut annotavit *Sydenham*, multò frequentior in regionibus frigidissimis, quam in meridionalibus, eò quòd transpiratio insensibilis minùs sit impedita. Pustulæ magis ac magis in orbem crescentes, pyramidisque formam æmulantes, in apice serositate tenui albescere incipiunt. Cum verò papulæ, hactenus tenues et rubræ, suam magnitudinem obtinuerint, exasperantur, albescunt, et in pus convertuntur. Febris tunc redit, si jam ab eruptione evanuerit, ut in discretis benignis; inhorrescit verò in confluentibus. Interdùm faciei et manuum inflammatio colorem exhibet, in

pustularum interstitiis, plus minusve floridum, pro ut mitiores sunt variolæ, vel sæviores. Non rarò accidit ut palpebræ rubræ turgescant, materieque serosâ obvolvantur, adeò ut quandoque luce privetur æger. Intumescunt simul facies, nasus, labia, infectusque odor è toto corpore ægrotantis emanat. Lingua materie obvolvitur tenaci, viscosâ : acriùs dolent fauces, sputa sunt spissiora, urina fit persæpe flamméa, copioso pure turgent papulæ, cutis igne quasi comburitur, vix præ anxietate cubitus, somnus. Intra tres dies aut quatuor terminatur suppuratio, et incipit exsiccatio.

Suppuratione jam stabilitâ, pustulæ quæ primùm erupere, maturitatem jam adeptæ, in facie flavescere arescereque incipiunt. Tunc febris accenditur cum calore majori, pulsu pleno, duro, cum siti, anxietate, dyspneâ etc. quæ omnia constituunt secundariam febrim, quæ fit à retenta perspiratione, et pure multo iterum in sanguine resorpto. Gradatim detumescit facies, imminuitur ptyalismus, et tunc temporis manus, brachia, pedes intumescunt, alvusque solvitur, vel sudores copiosi et urinæ abundantes superveniunt. Verùm si facie detumescente, ptyalismoque cessante, nil tale eveniat, tunc adsunt respirationis difficultas, anxietas, vox clangosa, stupores, coma, convulsiones et tandem mors. Rebus bene verò se habentibus, tunc cutis obtegitur crustulis aridis, quæ posteà decidentes, excipiuntur squammulis furfuraceis, ſoveolas in cute excavantibus. Morbo finito, multa horrenda possunt subsequi, scilicet oculorum inflammationes, ulcera, abcessus, phthisis, tabes, aliaque quàm

plurima. Talia hæc sunt quæ in variis variolarum stadiis observantur. Omnes tamen æquè non afficiunt; apparent enim in his plura, in illis pauciora, nunc graviora, nunc leviora, pro minori majorive humorum corruptelâ, solidorum constitutione, aëris indole, etc.

Quam dubia variolarum prognosis esse debeat, et observatio et praxis quotidiana suadent. Hic præprimis valet *Hippocratis* illud effatum; *prædictiones de vitâ et morte admodum dubias esse.* Vix enim alterum reperias morbum tot et tàm gravibus complicatum symptomatibus, tot et tàm variis, frequentibusque obnoxium revolutionibus. Errores minimi in regimine, levissima aëris mutatio, aliæque quam plurimæ causæ, maximas afferunt varietates. Hinc patèt difficultas, tùm de vità tum de morte certa eruendi judicia. Nihilominùs tamèn quædam de prognosi modò fausto, modo infausto explorare conandum est. Periculum morbi tanto majus esse notum est, quod æger hujus morbi evolutioni minus sit dispositus, seu illud oriatur è propriâ subjecti idiosyncrasiâ, sivè è nimiâ organi cujusdam imbecilitate, sivè ex aëris epidemicâ constitutione, etc. Ex observatis enim constat, contagium variolosum sæpè sæpiùs sub eodem tecto, in eâdem familiâ variolas modò discretas et benignas, modò malignas et periculosissimas produxisse. Quotiès enim videmus illum qui primus contagio varioloso laboravit, benignissimas habuisse variolas, è contra confluxisse pessimisque in altero stipatas esse symptomatibus? Quò pustulæ minùs confluentes, quò pauciores, eò meliùs

fit. Felicem eventum hariolari licet, si secundo stadio febris major sit remissio, si pustulæ pauciores infacie, pure albo viscidoque ritè promineant: è contrà minor spes affulget, si pus sit fuscum et tenue; si pustulæ flavescentes apice depresso terminentur. Cæteris paribus, quò brevius est primum stadium, eò pejores spectandæ sunt variolæ. Convulsio, delirium ante eruptionem vulgò nil mali habent. Pessima autèm sunt, cùm in statu et declinatione eveniunt. Diarrhæa in genere utilis est infantibus, primas enim vias liberat depravato fomite, quo sæpè sæpiùs infarciuntur, et cujus irritatio maximo est pustularum evolutioni impedimento. Visæ sunt alvi perturbationes, quibus retrogressarum variolarum materia purulenta equidèm cum maximo fructu fuit evacuata, ut observat *Baglivi*. Huìc tamèn diarrhææ nimis indulgere cavendum est; vires enim enervat, et morbo ad finem vergente colliquationem potest adducere. Cessatio salivationis in confluentibus variolis, signum pessimum est, nisi dejectiones, sudores, urinæ-ve copiosæ ipsius vicem subeant. Ab ipso ptyalismo æger diro modo vexatur, suffocationisque metus est quandoque, à materie, anteà tenui et facilè excreabili, viscidiore, jàm factâ et tenaci. Micturitiones continuæ in morbi principio, pejoris sunt ominis, ut annotavit *D. Haller*. In genere hæmorrhagiæ infausti sunt eventi, præcipuè sanguinis mictus, qui apprimè distinguendus est, ab urinis rubris in hoc morbo frequentissimis. Quò magis interstitia pallent, eò minus, bonum. Quò magis livent interstitia, vel ipsæ

pustulæ, eò pessimum. Si detumescente facie, ptyalismoque cessante, non eâdem proportione intumescant brachia, manus, pedes, lethale est in confluentibus signum.

Magna faucium inflammatio, anhelitus creber, urina pellucida cum nebulis suspensis, stridor dentium, floccorum lectio præsentem intentant mortem. Colli, temporum fortiter pulsantibus arteriis, pulsu intenso, arcto, frequenti, delirium: debili verò pulsu, parvo, vacillante, mors ostia pulsat. Pessimæ indolis est, cùm pustulæ lento gradu ad exsicationem deveniant, mutatâ voce, amissâque memoriâ: eruptione jàm factâ, cum febris majori furore polleat, morbus gravis est, nec vano metu medentes terrent exanthemata atro-livida, gangrænosa, linguæ labiorumque nigredo. Ischuria, dysuria alvi fluxus nimius, præsertim dysentericus, abdominis tumefactio, dolor ad tactum acutus, delirium, angustiæ in faucibus, ptyalismus in adultis sufflaminatus, aut diarrhæa suppressa in infantibus, pessima inter recensentur symptomata. Malum, si variolæ numerosiores in capite, pectore sunt; paucæ verò in reliquis corporis partibus. Notandum quoque est signum esse non bonum, cum variolæ cum morbillis aliove morbo epidemico connubium coeuntes, homines in pubertatis ætate, vel sequiorem sexum in suis primis mensibus aggrediuntur, *Etmuller*, *Diemerbroeck*. Nonnunquàm tamèn per fluxum menstruum mitescere crudeliora symptomata; sed non rarò in pejùs versa observarunt *Mead* et alii.

Medico ad curationem variolarum sese ac-

cingenti incumbendum venit, ut omni ope atque operâ enitatur morbosam materiem foras eliminare, et in hoc, tota versatur medela ut si nimis ad intùs torpeat, ad cutem criticè protrudatur. Si vero illud principium heterogeneum tumultuariè impetum et pleno agmine faciat, cautè et prudenter cohiberi debet, auxiliis propriis, regimineque potissimùm diætetico ritè instituto. Quam primum igitur hoc morbo corripitur æger, lectum petat ibique decumbat stragulis solitis munitus, sub aëre identidem in conclavi renovato; à curis, timore, cæterisque animi pathematibus quantum fieri possit immunis, verum somnum, aùt saltèm quocumque modo capiat. quoad variolas benignas naturæ beneficio fere relinqui possunt, soloque regimine diætetico blandisque diluentibus illas adjuvare satis est. Non ità autèm de variolis confluentibus, quæ medelam expostulant accuratissimam. Sic, si æger sanguine polleat, si magno vexetur calore, cum difficili respiratione, urinâ rubrâ, linguâ siccâ, intolerabili siti, et oculorum et faciei rubore, pulsu duro, forti, ac frequenti, tunc adhibendæ venæ-sectiones, moxque iterandæ pro ægri viribus, symptomatibusque recrudescentibus. Hic simùl præscribenda veniunt, refrigerantia ut potus avenæ, hordei, orisæ, ptysanæ acidulæ, levesquè emulsiones nitratæ, quæ omnia sanguinis ardorem et ebullitionem compescunt, omnibusque simùl favent secretionibus. Si vero febris commixta postulet, si turgeant saburrâ, biliosoque apparatu ventriculus et intestina, si os sit amarum, lingua fætida, si sint nauseæ, vomitus, emeto-

cathartica alvum vomitumque lenè moventia, maximam adimplent paginam. His enìm adhibitis, dolor capitis, delirium, meteorismus, faciei, oculorumque rubor evanescunt. *Stoll.* Emetico jàm in ventriculo actionem exercenti, singulariter favent aqua simplex calida, vèl infusio florum sambuci, cardui benedicti, aut theiæ et similia. Notandum tamèn est, quod medicus emeto-cathartica procùl arcere debeat, si suspecta, aut vetita videantur, haudque gravioris ventriculi aut intestinorum inflammationis signa palàm se prodeant, tutissimum tunc enim est lenissima tantùm diluentiaque remedia, ut potè detergentia et emollientia in medium proferre. Clysteres huc quoque conferunt. Si verò febre nervosâ, malignâ langueat æger, si pulsus sit debilis, parvus, si sit color faciei pallidus, si ita sint prostratæ vires ut materies heterogenea in corpore jam stabulans, pus bonæ indolis fieri non possit, tunc ad sacram quasi anchoram confugiendum est, ad cardiaca, corticem peruviarum, pulverem florum arnicæ, et potissimùm ad vessicantia, quæ dum levi succussione viribus stimulum addunt, dehiscens et jamjam ruiturum ædificium sæpe numero sustentant. *Stoll.* Si sint capitis dolor acutus, anxietates, aut alia hujus generis symptomata, ita ut, ut sæpe fit, frenitide urgeatur æger, cucurbitulas scarificatas scapulis apponere suadet, *Baglivi.* Pediluvia tepida, vapores emollientes, cataplasmata hìc etiam multùm prosunt, ut potè dolores capitis minuunt, cum humores ad inferiora derivent. Ast autem si fauces, oculi, lingua, nares variolis malè afficiantur, gargarismis

rismis fauces detergentur, nuchæque, ponè aures aliisque partibus vicinis applicentur vesicatoria. *Rosen.* Quoad oculos, foveantur decocto hordei, lacte callido aut psyllii, vel aquâ simplici, etc. Cum convulsiones vulgò in junioribus boni moris, si, ut notat *Syd.*, variolarum eruptionem præcedant, tamen cum in adolescentibus nimiùm portendant, *Stoll* vult ut ii exponantur in aerem liberum, aut opio utentur. Diarrhæa quæ pustularum elevationem maturitatemque impedit, rhabarbaro, itemque clisteribus ex lacte vel hordeo confectis, citò corrigenda est. Difficultas mingendi cum adsit, levibus diureticis utendum est. *Syndeham*, hac in occurrentiâ, ægros à lecto arcere et in cubiculo deambulare jubebat. Mox inde urinam satis copiosè reddebant, maximo equidem cum levamine. Idem commendat remedium *Tissot* infantibus pulsu irregulari, convulsivo, cordis, majorumque vasorum palpitatione laborantibus. Cum pustulæ maturitatem jam adeptæ, ad dolorem sedandum purisque resorpsionem præcavendam, acu aureâ aut forfice percissione pluries et gradatim repetitâ, primùm in facie, dein in brachiis et cruribus aperiendæ sunt, ut adnotant *Stoll*, *Tissot*, maximæque notæ alii; hac enim frequenti pustularum scissione, inquiunt hi auctores, maxima exurgit utilitas, tum ad venustatem, tum ad morbum debellandum. Sic tensio cutis solvitur. Sic ingenti puris copiâ liberatur corpus. Sic puris in massam sanguinis retrocessus tantus tamque timendus non est. Si febris secundaria obvolvitur, quod pluries evenit, charactere malignitatis vel putredinis, si labescere ægri vires,

sî pus formari nimium, ac tabescere inde æger incipit, corroborantibus et antisepticis iisque omninò remediis, quæ quocumque alio in casu tabificas febres à pure natas coercent. *Stoll.* Optimum tunc sane remedium esse corticem Peruvianum dicunt *Baglivi*, *de Haen*, et præsertim *Barthez*, qui hoc remedium omni variolarum malignarum stadio adhibuit, et semper cum felici successu. Salivatio quæ pergere solet in hoc stadio, præcipuè in confluentibus quæque apud adultos tanti est momenti, quanti diarrhæa apud infantes, si subitò sufflaminetur quin aliæ evacutiones majori copiâ effluant, maximis obsidetur periculis æger. Adhibeantur ergo omnia remedia, quæ huncce fluxum citò excitare et revocare queant. Alii mercurialia vesicantia adhibent, alii cantharides emplastro emollienti adjungi volunt; alii variis gargarismis calido potu, salivantibus v. g. radice pyretri, absyntii, arthemisiæ utântur. « Dans un cas « aussi pressant, dit *Huxham*, il faut employer » tous ses efforts pour renouveler cette evacua- » tion, appliquer des vesicatoires, donner au » malade un clystère laxatif, emollient, et ne » point épargner l'oximel scillitique et le lait « ammoniacal » Sed si fortè, quod aliquoties evenit, immoderato salivæ fluxu excoriantur lingua, fauces, nil meliùs revellit humòrem quam purgans mannatum, vesicatorii ad caput applicatio, non nullaque alia apud *Stoll* jucundè delineata.

Cùm tandèm morbus ad suum exitum fertur, scilicet cum pustulæ sunt siccæ, deciduæque, ægrorum aliquotiès purgare venæque sectiones

pro indicatione admittere , juxta *Sydenham* decet. Hâc enim vià plurimorum malorum quæ assequi posset , id est pectoris objectiones , herpetes , tumores , scabiem et alia immunis habetur æger. Non raro fit , ut in hoc-ce variolarum stadio ultimo oculi sæpè glaucomis et ulceribus afficiantur , invitis medici præsidiis et sollicitudinibus. Hoc in casu kina adhiberi suadet *Werlhof* in scriptis de *Febribus*. Carnium et vini usum omninò prohibet , lac verò per quoddam temporis intervallum suadet clarissimus *Tiſſot*. Crustulæ oleo amygdalarum dulcium recentissimo , vèl oleo ovorûm , vèl butyro recenti optimè solvuntur.

Hisce delineatis , patet quàm difficillimùm sit , in variolarum curationem methodum certam statuendi ; ut felicem exitum hoc morbo tractando sperare possit medicus , propriam intueri debet ægri constitutionem , exqua medicamentorum omnino pendet efficaciz temperiem cœli , sub quo vivit , et præsentem aëris statum quæ sunt agendi rationis indicia certissima.

F I N I S.

TENTAMEN

MEDICUM

CIRCA

AFFECTIONEM GASTRICAM PITUITOSAM,

QUOD Deo juvante, in augustissimo Ludovicæo monspeliensi tueri conabitur, argumentantibus ill. Profeſsoribus regiis D. D. P. J. BARTHEZ, Universitatis-Cancellario; G. J. RENÉ, decano; A. GOUAN, pro-decano; F. BROUSSONET; F. VIGAROUS; H. H. L. BRUN; H. FOUQUET; J. B. T. BAUMES.

AUCTOR

CASIMIRUS-MATHÆUS SARGET, è loco Luchapt olim apud Pictones in almâ Universitate Pictaviens. Liberalium Artium Magister, & in Celeberrima Monspeliensi Universitate Medicinæ Alumnus. Pro trimestri Aprilis. 1791.

Pro Baccalaureatûs Gradu consequendo.

MONSPELII,

Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

M. DCC. XCI.

PATRI OPTIMO

NEC-NON

TENERRIMÆ MATRI

HAs in arte medicâ primitias tanquam gratitudinis et amoris monumentum,

D. V. C.

Addictiſſimus & obſequentiſſimus
Filius
C. M. SARGET.

TENTAMEN

MEDICUM

CIRCA

AFFECTIONEM GASTRICAM PITUITOSAM.

ITA à naturâ comparati sumus, ut nulla nobis sit ætas, nulla pars quam morbus non invadat, unde *Hippocrates* » omnis homo » ægritudo est ». Miserrimam nostram vitam expresserunt poëtæ :

Editus in lucem jacuit sine viribus infans, Ovid.
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est
Cui tantum in vitâ restat transire malorum, Lucret.

Notandum est tamen quod non ideò sint diversi generis morbi, quia diversum locum afficiunt ; curationes enim naturam morborum ostendunt ; itaque si phrenitis, v. g., pleuritis ophtalmia, surditas etc. iisdem remediis curan-

tur, indè sequitur istos morbos esse ejusdem generis: porro rem ita se habere sæpè sæpiùs clarissimorum virorum de re medicâ bene meritorum, scilicet *Sydenham*, *Stoll*, *Selle*, *Tissot*, *Vagler*, *Roederer*, etc. observationibus constat, et celeberrimorum hujusce licei professorum praxi confirmatur, ut quotidie ex illorum ore audire est: idem de ætate dici potest, et quamvis observatio docuerit morbos infantum et mulierum ut plurimum ad pituitosos pertinere, juvenum ad inflammatorios, virorum ad biliosos attamen clymata tempestates et vivendi modus, cum maximus sit illorum influxus in œconomiam animalem, hunc naturalem morborum ordinem invertere possunt: nihil enim in naturâ absolutum. Legibus ut satisfaciam universitatis affectionem gastricam pituitosam suscepi tractandam, et eam eo lubentius amplexus sum quod hodie mihi longe aliis frequentior videatur.

Inter diversas causas quæ huic morbo ansam præbere possunt, primum locum occupant sequentes: temperamentum phlegmaticum seu pituitosum; regio frigida simul et humida *Hippocrates*. » Aëris ambientis humiditas, inquit » *Ballonius* pituitosos acervat humores, et non » paucas generat aquositates ». Alimentorùm inopia atque inædia, victus farinosus *Roederus* et *Vaglerus*. Alimenta vapida aquosa, male sana, cruditas fructuum, substantiæ mucilaginosæ *Huxam*. Potionum gelidarum abusus *Baglivi*. Auster, unde *Hippocrates* de flatibus » auster » pituitæ parens ». exercitium neglectum; vigiliæ, studia. labores nimii, vehementiores animi affectus, ira, terror, mœror, quibus morbum

hactenùs latentem, febris saltem expertem, subitò accensum aut exasperatum aliquoties notaverunt *Roederus* et *Vaglerus*, phlebotomiarum, emeticorum purgantium mulierumque abusus *Huxam*. Febrim variolosam pituitosam vidit *Tissotus* ab evacuationibus et diætæ præparatoriis nimium protractis; evacuationum mucosarum suppressio, exanthematum retropressio, sic juxtà *Vaglerum* et *Roed.* huic febri preveniendæ optimum fuit herpete, scabie, aliisque cutis affectionibus laborare. Sudores matutini neglecti, si qua sit ad hunc morbum dispositio, quod cognoscitur attendendo ad ea quæ supra retuli. » Nihil magis, inquiunt auctores libri de » morbo mucoso, ad febres abdominales eas» demque pessimas disponit quam neglecti su» dores matutini et in universum turbatæ nocturnarum febricularum crises, fibrarum laxitas, unde non mirum si infantes et mulieres generaliùs afficiat hic morbus; sic legitur apud *Stollium* in sequiori sexu subinde epidemicum esse, dum parcit viris, sunt innumeræ aliæ causæ, sed quas retuli, mihi sufficere videntur.

Hanc affectionem denuntiant lassitudines, anxietates, somnolentia summa, *Weiz*, *Baglivi*, articulationum dolores, cutis pallidus color, tristitia, ponderis sensus in regione epigastricâ, nauseæ, ructus acidi, » en gé» néral, l'habitude d'éprouver des rapports » acides dénote assez communément cette dis» position du corps qui le rend très-sujet aux » fièvres gastriques pituiteuses » *Grimaud*. Sitis vix ulla, cibi fastidium ingens, lingua glutinosa substantiâ albâ quasi lardo obducta, sen-

sus materiæ tenacis fauces obsidentis *Kæmpf*, aphtæ, saliva lenta *Stoll*, dentium spurities, sapor linguæ depravatus matutino tempore, et fœtor quidam oris *Baglivi*. Dejectiones pituitosæ febris huncce morbum concomitans typum sæpissimè quotidianum quandoque quartanum sequitur, exacerbationes sunt vespertinæ, et illud signum tanquam pathognomonicum ope cujus affectio pituitosa à biliosâ sanguineâque discerni potest, præbet *Sthalius*. Calor fere naturalis est, quamvis juxta *Stollium* erumpentes quasi igneos calores ex fronte atque oculis querantur ægri. Pulsus vix immutatus, lentior tardiorque quandoque quam in statu sanitatis. Urina tenuis limpida *Kæmpf*, *Selle*, aquæ similis quandoque naturalis *Baglivi*. » L'urine est communément pâle » et souvent limpide, fréquemment de la cou» leur du petit lait ou semblable à de la bierre » éventée, elle n'a pour l'ordinaire aucun sédi» ment ou si l'on y en trouve, il ressemble à du » ſon éparpillé » *Huxam*. Caput stuporis et gravedinis sensu valde afficitur. Mentem multo frequentius à vitio gastrico turbatam vidit *Stollius* quam à sanguine aut alibi existente causâ. Æger vel in coma vel in phrenitidem facile incidit, at non eò excandescentiæ et furoris ascendit phrenitis in hâc febre pituitosâ atque illâ, quâ febre biliosâ sanguineâve correpti laborant, ut optimè observavit cl. *Sydenhamus*, quin imo æger potiùs tranquillè delirat incongrua subinde effutiens. Alvus tarda, levis vel nullus catharticorum sat efficacium effectus. » Alvus stiptica, inquit *Baglivius* »

abdomen plerisque intumescens, dolens, et magna virium dejectio. Hæc sunt symptomata præcipua affectionem gastricam indicantia.

Istius morbi in principio si recta et opportuna instituatur medela, quam facillimè sanatur æger; si vero nimium protrahatur morbus et altas radices injiciat, heroïca artis auxilia aliquando contemnit et perit æger.

Nihil rectiùs conducit ad veram morbi therapeïam, quam cognitio viarum solutionis quas hic morbus affectat. Observatione autem constat solutionem (1) morbi de quo hic agitur per vomitum et alvi fluxum materiæ pituitosæ accidere. Itaque cum medicus sit naturæ minister, ducere debet quo natura vergit. Sed cum pituitosæ materies tantâ ut plurimum donentur viscositate ac tenacitate, ut in principio nec emeticis, nec catharticis oedere possint, præmittenda sunt digestiva, quæ illis mobilitatem et fluiditatem concilient. Hunc effectum optimè sortiuntur oximel, taraxaci decoctum, salia neutra parvâ dosi, præcipuè sal ammoniacum, quod huic febri magis quam aliis juxta *Stollium* congruit. His præmissis si materies sursum turgeat, quod cognoscitur sequentibus signis, linguâ squallidâ ita ut sordities digito desumi possit juxta *Sellium*, animâ fœtidâ, inquietudine etc. Illico ad emetica confugiendum est scilicet ipecacuanha, et præparationes antimonii. Si vero deorsum quod indicant genuum

---

(1) Solvitur etiam quandoque per urinas et sudores sed rarius inde utilitas sudoriferorum præcipuè sub finem.

gravitas, lomborum dolor ad cathartica (1) deveniendum est, inter cathartica probatiora annumerari debent salia neutr, Senné, manna, rheum, agaricum præparationes mercuriales, etc. Primis viis sat purgatis, de tono ventriculo et intestinis restituendo cogitandum est. Ad hoc inserviunt kinakina, arnica, vinum, et regimen corroborans. Sic se generatim gerere debet medicus. Propter autem aliquâ symptomata alia auxilia veniunt adhibenda, ut vesicatoria tum propter delirium, tum propter vires nimis debilitates, tum quia materies morbifica diversas corporis partes infarcit.

---

(1) Tempus quo sopita maneat omnia symptomata opportunissimum est ad illorum administrationem *Baglivi*.

FINIS.

DISSERTATIO
MEDICA
DE
DYSENTERIA PUTRIDA,
A QUIBUSDAM CAUSIS MEMORANDIS PRODUCTA;

QUAM, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Ludovicæo Medico Monſpelienſi publicis ſubjicit diſputationibus;

AUCTOR,

ANTONIUS VABRÉ, Glenatenſis apud Arvernos; Liberalium Artium Magiſter, & in celeberrimâ Monſpelienſi Univerſitate Medicinæ Alumnus. Pro trimeſtri Aprilis anni 1791,

Pro Baccalaureatûs Gradu conſequendo.

Curantur in libris, moriuntur vero in lectis. DEGNEVUS.

Nationi,
Legi,
Regi.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANÇISCUM PICOT, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

M. DCC. XCI

CARISSIMIS
FRATRIBUS MEIS,

HAs in arte medicâ primitias tanquam publicum amoris et reverentiæ monumentum,

D. V. C.

Obsequentissimus & addictissimus
A. VABRÉ.

NATIONI,
LEGI,
REGI.

DISSERTATIO

MEDICA

DE

DYSENTERIA PUTRIDA,

A QUIBUSDAM CAUSIS MEMORANDIS, PRODUCTA.

PELICULOSIORES inter morbos quibus gens humana vexatur, annumerari certe poteſt dyſenteria; nam celeb. *Zimmer.* dicit, quod exceptâ peſte cæteriſque morbis peſtilentibus, nullus detur alius majori homines objiciens periculo quam dyſenteria . . . . . iſte affectus varia apud diverſos auctores nomina cæpit; nam nominatus fuit ab *Hip.* inteſtinorum vitium, placuit *Celſo* per tormina definire, à *Latinis* difficultas vocatus, *Cellius Aurelianus* ab inteſtinis illum provenire voluit. Nos au-

tem illas prætermittamus deffinitiones, & iſtum morbum per parcum alvi fluxum & frequentem, modo ſanguineum, modò mucoſum, modò omni alio colore indutum, teneſmo, anxietate, torminibus modò mitioribus, modò atrocioribus, & febre donatum, ſpectemus.

Nullum verbum de dyſenteria inflammatoriâ, de lentâ vel chronicâ, de malignâ, nec de nervoſâ, faciam; incumbendum mihi erit tantum in diſquiſitione cauſarum quæ anſam morbo, de quo hic quæſtio eſt, præbere poſſunt, de ſymptomatum enumeratione quibus ſtipatur, & de methodo therapeuticâ accommodatâ.... quod ad dyſenteriæ cauſas; vera & propior nobis humorum videtur depravatio, effectus enim aëris in noſtra corpora tantummodo eſt occaſionalis, nam aër quatenus calidior, ſuo ardore & ſiccitate diuturnâ humores noſtros ita ſingulariter altera & mutat, ut naturaliter blandi nunc abeant in corruptionem acrem, putredinoſam, ac veram inde veneroſam qualitatem induant, corpuſque ad ſummum diſſolutionis periculum diſponant, quatenùs nimirùm unum aut alterum ſubjectum ad hunc morbum eſt diſpoſitum. Variæ temporis mutationes maximum intulere damnum in corpore humano valent; nam corpus calori vehementi obediens, magnoperè incaleſcit, tunc actio perſpirationis audaugetur, & ſi in illo caſu derepentinò ſuccedat tempeſtas frigida & humida corpori æſtuanti maximè nocere poſſit, minuendo vel tollendo actionem perſpirationis, qui humor perſpirabilis retropulſus, in corpus manet ſuperfluus, acquirit

quandam acrimoniam alios inquinare humores valentem, unde ſi verſus inteſtina propellatur, poteſt noſtrum producere morbum talis eſt ſenſus illuſtriſſ. *Zimmer.* » On ſait que la cha- » leur ouvre les pores, & excite une grande » tranſpiration, que l'air frais arrête ſubite- » ment & avec danger vers le ſoir; les hu- » meurs qui doivent tranſpirer ſont donc ré- » percutées, ſe jettent ſur les inteſtins ». *Roſen.* Prava aëris illa diſpoſitio ab *Hippocr.* cognita fuerat. Fatentur *Monro*, *Pringle*, *Van-Swieten*, ſæviſſe morbum cum calori urenti ſuccedebat frigus acerrimum, & dum ſereni fervidique eſſent dies, & intenſum per noctes vigerent frigus.

Favent quoque huic morbo habitationes in locis paludoſis, in domibus humidis nuperque ædificatis, humiditas temporibus æſtivis veſpertina, ingurgitatio aquæ frigidæ dum corpus æſtuat valdè; non ſolum ſuo ardore ac ſiccitate aër in noſtris humoribus degenerationi ortum dare poteſt, ſed etiam pravis miaſmatibus quibus aliquando abundat, nam cauſæ illæ aëri innatantes, à terrenâ evaporatione, locis paludoſis, lacunis, latrinis, &c. Putrefactis animalibus, vegetalibus, producuntur, in locis ubi aër non renovatur, in carceribus, &c. Vapores qui originem ducunt è corporibus animalibus ad putredinem vergentibus poſſunt procreare morbum. Nam *Pringlius* narrat, » Qu'un homme fut attaqué d'une véritable » dyſſenterie en reſpirant l'odeur du ſang hu- » main, devenu putride pour avoir reſté quel- » que temps dans une fiole ». Illuſt. *Cullen*

huic inhæret quæſtioni dubius, nam verba faciendo de effluviis ſubſtantiarum putridarum animalium, dicit: » On a obſervé que les » exhalaiſons qui s'élèvent des ſubſtances ani» males très putrides, affectent très facilement » le canal alimentaire, elles produiſent cer» tainement la diarrhée dans quelques occa» ſions; mais je n'ai jamais été à portée de » m'aſſurer avec certitude ſi ces exhalaiſons » occaſionnoient une véritable dyſſenterie ». Quod dicit *Pringlius* ab illuſt. confirmatur *Sydenhamio*.

Nunc de alimentis agendum venit. Hùc referuntur carnes ad putredinem vergentes; carnes, inquam, labe quadam infectæ, malè concoctæ, piſces corrupti, condimenta, aquæ corruptæ, pravorum uſus fructuum etiam ad maturitatem perventorum dum ſubjecta maximâ donantur debilitate; inde in plebe ſeſe victu viliori & ſordidiori nutriente præcipuè ſævit. Purgantia nimiâ doſi ſumpta, qui ſeſe largiori vino liberant, liquoribus ſpirituoſis. Suppreſſio hæmoroïdum, vel catamæniorum. Fœces retentæ & in inteſtinis induratæ ſubforma ſcybalæ, ut contendit *Cullen*; uno verbo quidquid tubum inteſtinalem lædere poteſt, vermes in inteſtinis hoſpitantes, ſic *Pringle* & alii obſervârunt dyſenteriam verminoſam. Scabies, virus venereum, ſcorbuticum in tubo inteſtinali tractum. Animi pathemata, ſicuti ira, mæror, triſtitia; nam ſi homo licet ſanus terrore vel timore percellatur, ſtatus ille naturalis tali modo mutatur ut omnes corporis partes perturbentur, quæ perturbatio creat morbum ſi corpus fuerit

pauliſper diſpoſitum. *Zimmerm.* dit » que la » crainte eſt plus nuiſible que la plus mau» vaiſe conſtitution de l'air ; elle donne la » maladie regnante aux ſujets les plus ſains, » & fait périr un malade qui voit mourir à » côté de lui une perſonne qu'il chériſſoit ». Si novimus homines in rure venientes, qui audientes dyſenteriam hic graſſari tanto metu correpti ſunt, ut confeſtim hinc confugerint, & eodem modo afflati brevi tempore extinguerentur. *Degner*. . . . contagioſum eſſe morbum nemo neſcit, veſtibus, linteis, aëre propagari poteſt. . . . .

Materiem bilioſam acrefactam in inteſtinis hærentem habent auctores tanquam morbi cauſam ; nam materies bilioſa ſeu putrida tanta donatur aliquando acrimoniâ, ut ſtrages maximas poſſit ordiri, niſi modò convenienti emendetur & foras projiciatur, unde poſſunt oriri inflammationes & inteſtinorum exulcerationes. Quando illa ad ventriculum uſque pervenit irritatio, tunc nauſeæ, vomitus, cardialgiæ. . .

Exeunte æſtate, aut ſub autumni initio ſeſe prodit hic morbus, nec omnes æquali modo invadit, & varia in variis ſubjectis vigent ſymptomata, quæ illam præcipuè ſtatûs morboſi partem efficiunt, quæque in ſenſus ſivè ægri, ſivè medici incurrit. Talia ſunt ſub initiis horror vel rigor, inteſtinorum dolores antè dejectiones aliquot horas aliquando durantes, qui dolores ſi non minuantur, ſed è contra ſi, invitis evacuantibus adaugeantur malum omen ; teneſmus, oris amarities, linguæ ſpurcities, facies ut plurimum pallida, cibi faſtidium, de-

jectiones verſicolores, modò flavæ, modò viridæ, modò ſanguinis tinctæ. Adeſt virium proſtratio, frigori ſuccedit calor ſæpiſſimè intenſus, in ſpina dorſali & regione lumborum perſentiuntur dolores, ſub initio apparet febris ſat mitis, ſed eundo vires acquirit, crebræ eveniunt dejectiones & adeò copioſæ ut ægris cuncta videantur viſcera per anum corruere. » *Zimmer.* a vu des malades aller à la ſelle » juſques à deux cens fois en vingt-quatre » heures ». Illæ dejectiones aliquando levamen afferunt ægrotantibus, ſed brevi tempore cum deſidendi cupiditate redeunt dolores; in quibuſdam initio ſunt ſanguinolentæ dejectiones, in aliis ſeroſæ aut mucoſæ, non longo poſt tempore, virides, flavæ, rubræ, & etiam nigræ fiunt, odorem fœtidum, cadaveroſum, exhalant: adſunt nauſeæ, vomitus, qui vomitus materiem bilioſam & verminoſam expellunt & ægri lævantur. Dum pulſus eſt debilis, parvus, inæqualis periculoſior morbi conditio, ſi fiat intermittens deficiens & per totum corpus ſuperveniant ſudores frigidi, ac extremitates inhorreſcant, hæc ſymptomata pro ſigno mortis proximæ habenda. Apparent ſingultus, delirium, aphtæ, maxima virium proſtratio, faucium inflammatio, ſubſultus tendinum, oculi concavi, ſudores frigidi. Ubi ſtat maximum periculum, obſervatur oppreſſio pectoris, appetitus proſtratus, vigiliæ continuæ, ſitis inextinguibilis, maxima tandem debilitas. Si dejectiones adſint ſanioſæ, virides, nigræ fœtidiſſimæ malum omen. Non raro ſtranguria, dyſuria huic morbo ſæperveniunt.

A dyſenteriâ ad ſanitatem difficilis adducuntur infantes, ſenes qui debilia viſcera habent aut aliis morbis debilitati, mulieres quoque magno exponuntur periculo. Mulieri in utero gerenti ſi alvus multum fluxerit periculum ne abortiat *Hipp.* modo craſſa, modo tenuia afficiuntur inteſtina, ex opinione tamen, *Cul.* ſolum craſſa afficiuntur præcipuè colon. . . . . .

Antequam huic morbo quamdam medendi methodum aſſignemus; diſtinguendus venit à morbis quibuſcum confundi poſſet. 1°. A diarrhæa. Adſunt tormina in dyſenteria raro in diarrhæa, in principio hujus morbi largior, diuturna et frequens dejectio excrementorum ſine febre, teneſmo, parvæ è contrà in dyſenteriâ ſunt excretiones. 2°. A cholera morbo. Diutius durat dyſenteria, nullus vomitus niſi in principio aut ſtat morbi. Epidemica contagioſaque eſt, acerbior teneſmus. In cholera morbo violentiora & acerbiora ſunt tormina. 3°. A fluxu hæmorrhoidali, in hoc morbo ejicitur ſanguis ex hæmorroidalibus venis cum fructu. 4°. A fluxu hepatico ſanguis aquoſus & loturæ carnium ſimilis excernitur, nulli ventri dolores, nulla tormina.

Ad indicationes curatorias nunc deveniamus, conſtant in materiâ peccanti evacuandâ, progreſſius putredinis coercendis, humorum acrimoniâ demulcendâ, inflammatione prohibendâ, inteſtinorum & ventriculi motibus convulſivis ſedandis, tonoque his partibus reſtituendo. Sunt qui ſuaden venæ ſectionem ſicut *Monro*, *Sydenham* à repetitione cavebat *Pringle*, tanquam ſuſpecta habebatur *Degnero*; bilem enim non corrigit venæ ſectio, ſed potius vires vitæ fran-

git & naturam in motibus ſuis naturalibus conturbat, undè vomitus cruentus & mors venæ ſectionem citò ſequebantur: pergit idem autor, ſunt tamen caſus in quibus adhibenda venit, dummodò vigeant vires, ſi robuſtus, vino deditus, plethoricus ſit æger; pulſus, durus, &c. Inter indicationes maximè urget evacuatio, ope cujus expelluntur materiæ putridæ, aut partin minuuntur progreſſus, reprimuntur dolores, anxietates, & debilitas evaneſcit ut obſervatum fuit a *Zimmerm.* emetica & purgantia habentur tanquam præſtantiſſima. 1°. Emetia conveniunt ſi ſit humorum depravatorum ſuperabundantia, ſi turgeſcat bilis; ſunt tamen caſus, in quibus illa remedia ab ægris ſumpta, nullos aut ferè nullos præſtent effectus, dum ventriculus tenaci & glutinoſâ obducitur materiâ, in illâ circumſtantiâ potus delmulcentes præſcribi debent ut materies attenuetur & faciliùs ope emeticorum foras amandetur. Juxtà *Hipocrat.* corpora ubi purgare volueris, facilè fluentia redderre oportet. Inter emetica annumerantur tartarus ſtibiatus, hypecacuanha, in iſto frequentius adhibetur hypecacuanha morbo; fuerunt tamen nonnulli qui uſi illâ radice, ut narrat *Degner*, indè major fluxcus exitatus fuit dyſenterious. Poſt emeticorum actionem laudandum pro potu venit decoctum hordæi, orizæ, nimpheæ cui *Zimmer.* addebat ſal tartari, potes utiliter etiam pro potu ſerum lactis amigdalarum dulinem lac, decoctum album Sidenhamii, quorum doſis remediorum juntà ætatem, vires, ſexum, & multas alias circunſtantias menſuranda eſt. In pulſu accelerato, & febrili motu percepto, nitrum

admiſci hypecacuanhæ & rheo vult *Eller*, ſi pulſus irregularis frequens & parvus reperiretur rejiciendum. Si a fomite putrido gaſtrico non procedat diatheſis humorum putrida, nulla ſeſe offert certè ad hypecacuanham adhibendam indicatio, tanquam remedium evacuans. Valet tamen hypecacuanha fractâ doſi adhibita, aut ſub formâ decoctionis, & cum remediis ad degenerationem humorum putridam idoneis combinata ut refert DD. *Dorthes* in ſuatheſi pro regiâ cathedrâ vacante per obitum illuſt. *Sabatier* hujuſce univerſitatis profeſſoris meritiſſimi. Optimum a quibusdam habetur ſal ammoniacam tanquam bilis corrigens, ſed ab aliis videtur primas debilitare vias. quomodocumque res ſe habeat vitentur quam maximè omnia draſtica, ſcamoniata, jalapina, colocynthiaca, halleborina, aliaque hujusmodi; inteſtina enim redendo, eorumque mucum naturalem abradendo, inflammationem magis accelerant, aliaque mala funeſta inducunt. Purgantia magis huic morbo accomodata, ſunt v. g., tamarindi, cremor tartari, caſſia, &c. ſed ſi materies in ſtomacho reſidet inutilia ſunt, ut pluries obſervatum ab *Stollio* his remediis poteſt adjungi rhabarbarum; aliquando tamen fit ut illa radix ſub declinatione morbi, nullum præſtet èffectum, adhibita ſive ſub pulveris, ſive ſub tincturæ formâ.
» Certains Médecins s'imaginent être forts importans quand ils ont donné quelques gouttes de teinture de rhubarbe. *Degner* donnoit ſeulement toutes les quatre ou ſix heures une cueillerée ou demi-cueillerée de ſa teinture de rhubarbe dans la dyſſenterie

» de nemegue, mes doſes furent plus fortes
» & plus fréquentes; néanmoins la rhubarbe
» opéroit trop lentement, en ce qu'elle ne laiſ-
» ſoit pas aſſez évacuer à la fois, ne réſiſtoit
» pas efficacement à la putridité, & laiſſoit
» monter la maladie au plus haut degré *Zimm.*
Si ſtet inteſtinorum inflammatio debet maximâ cum cautelâ adhiberi rheum, ut vult *Lieutaud.* Reſpuenda veniunt evacuantia in ſummâ virium proſtratione. Herniæ, ad hæmophtiſes diſpoſitio ſunt totidem purgantium contraindicationes. Præſtantiſſimus ſtat quoque acidorum uſus inter ipſa prævalent ex regno vegetabili ſuſcipiuntur, qualia ſunt ſuccus citri, aurantiorum, acetum, ipſa enim putredinem ſufflaminant, & ſic tanquam in herbâ ſuffocatur morbus. Si cum febre intermittenti complicetur morbus, ad kinamkinam; ad anthelmentica, ſi ſuſpiciantur vermes. Si ſigna gangrenæ, ad corticem peruvianum. Plurimi Medici laudibus extollunt mercurium dulcem, ſi in primis viis ſtabulent lumbrici. Si fruſtrà adhibita fuerint purgantia, ad alia recurrendum auxilia, fomenta ſcilicet, emollientia, balnea tepida. Flatus in iſto ſæpè morbo lateris dolores afferunt, ſed evacuantibus & fomentis evaneſcunt. Enemata optimo ſunt emolumento ad inteſtinorum cruciatus, & teneſmum; parari poſſunt ex decoctis, plantarum, vel ſeminum emollientium, è lacte, ſero lactis, oleo camæmeli, lini, iterari poſſunt quoties neceſſe eſt, ea tamen cum cautelâ, ut non in magnâ copiâ adhibeantur, ſed parcius & repetitis vicibus. Clyſteres enim copioſè præſcripti quan-

doque exacerbant malum *Baglivius*. Si adhibitis illis remediis non ceſſant dolores, tunc proſperos effectus habent veſicantia parti dolenti, juxtà illuſt. *Pring.* monita.

Ubi teneſmus nec clyſteribus, nec emollientibus cedit materierum putridarum reliquiæ, in inteſtino colo hoſpitantium, ſuſpicandæ veniunt, & ope tincturæ rhabarbari, mannæ, ſalis ſedlicenſis ipſarum exitus quærendus eſt. Manna tamen debet maximâ cum cautelâ adhiberi, putredinem enim ampliat, nedum corrigat. Sed ſi invitis illis evacuanbus, teneſmus perſeveret, è contrà dolores illis medicamentis revocentur, ſi mucus ferè tenax, acer, virulentus promanet, ab ulcere recti foveri teneſmum videtur ſimillimum. Putat tamen *Sydenhamius* ab ulcere recti non pendere teneſmum. Exulceratis inteſtinis, niſi maximâ cum prudentiâ adhibenda veniunt medicamenta pingnia, glutinoſa, ulcera enim fædant, juvant balſamica deterſiva, *Baglivius* & alii illis remediis maximè uſi fuerunt. aliquando poſt dyſenteriam optimè & legitimè ſanatum, levis diarrhæa; ex tono inteſtinorum amiſſo, apparet; in illis tunc circumſtantiis, abſtringentia, tonica proſunt. Debemus tamen eſſe certi antequam hæc adhibeantur remedia, materiem irritantem fuiſſe expulſam.

Dum narcotica veniunt adhibenda, ad illorum adminiſtrationem valdè attendendum, experientia enim plurimorum auctorum probavit fuiſſe nociva, niſi ſufficienter evacuatæ fuerint materies putridæ; quietem momentaneum

equidem exhibent, quodam tempore alvi fluxum reprimunt, paulo poſt dolores & febris exacerbantur, anxietates rurſus apparent. Sunt tamen non nulli caſus in quibus narcoticorum adminiſtratio non fit inutilis, ubi adeò ſæviunt dolores, ut in ipſis ſedandis præcipuè ſuam debet medicus afferre attentionem; & tunc totam liquidum *Sydenhamii* laudanum adimplet paginam, cum rhabarbari tinctură maritatum. Tonica & adſtringentia veniunt uſurpanda, ubi maxima adeſt inteſtinorum relaxatio propter morbi diuturnitatem, ſi aliquid ſit pro ægroto timendum, incipiendo à mitioribus & progrediendo ad fortiora; in tali circunſtantiâ ſimarrubam, KinamKinam clariſſ. *Degner* & alii extulerunt laudibus, ſed tantum ſub declinatione morbi ubi proſtrantur vires. Ex clariſſimo *Stollio* arnicæ radix in caſibus deſperatis ſaluti fuit. Ratione febris ac putredinis exulandus eſt omnis carnium & juſculorum uſus.

Cum nullam aliam cauſam agnoſcat quam refrigerium, ſuppreſſamque tranſpirationem, totus in eâ revocandâ cardo verſatur; maxime autem proſunt juges & tepidæ potiones cum lecti tepore, potus leniter aromaticus & opii pauxillum ſub veſperam. Tutò tali medendi methodo excitatur diaphoreſis. » Dans » les légères attaques la ſueur fait ſouvent » ceſſer ſubitement le cours du ventre & les » autres ſymptomes, au lieu qu'il n'y a que » du danger ſi cette ſueur ne paroît pas. » *Zimme*. ».

Ut convaleſcentes fiant à récidivis immunes,

per aliquot tempus debet obſervari diæta, uno verbo debito modo in uſu ſex rerum non naturalium ſe gerant; ſi è contrà, in eumdem morbum recidunt ob inteſtinorum debilitatem.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

D. D. PROFFESSORES REGII,

PAULUS - JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

GASPARDUS-JOANNES RENE', *Decanus.*

ANTONIUS GOUAN, *Pro - Decanus.*

FRANCISCUS BROUSSONET.

FRANCISCUS VIGAROUS.

HENRICUS - LUDOVICUS BRUN.

HENRICUS FOUQUET.

JOANNES-BAPTISTA BAUMES.

DISSERTATIO
MEDICA
DE
EXERCITATIONE,

QUAM, argumentantibus ill. professoribus regiis D. D. P. J. BARTHEZ, Universitatis cancellario; G. RENÉ, decano; A. GOUAN, pro-decano; F. BROUSSONET; F. VIGAROUS; H. L. BRUN; H. FOUQUET; J. B. T. BAUMES, in augustissimo ludovicæo Monspeliensi tueri conabitur,

AUCTOR,

LUDOVICUS MONTENARD, ex urbe Besse, in partitione dictâ du Var. Pro trimestri Aprilis, anni 1791.

Baccalaureatûs Gradum conſequendi gratiâ.

Nationi,
Legi,
Regi.

MONSPELII;
Apud JOANNEM-FRANÇISCUM PICOT, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

M, DCC, XCI

NATIONI,
LEGI,
REGI.

DISSERTATIO MEDICA

DE

EXERCITATIONE,

An ad ſanitatem, ut corporis sic et mentis exercitatio.

UT suæ felicitatis, ita et suarum miseriarum artifex homo naturæ vertit in crimen quod sit incerta fallaxque valetudo, vita fluxilis, promptior lethi necessitas. Quin potius accusemus inglugiem, intemperantiam, effrena animi pathemata, venerem indomitam, torporemque

illum quem sub otii nomine summum sibi bonum animis fingunt plurimi. Ità homini benè consuluit natura, ut illa voluerit cætera animalia ab homine non sola rationis præstantiâ, sed etiam corporum robore superari. Homo namque inter animalia solus qui quadraginta per annos non cesset à laboribus variis, continuis, multiplicibus. Tanta insita est corpori ejus vis vitæ, ut nullius alius animalis tantum sit robur quod æquè superare possit incommoda, quæ perpetuo viventibus procreant inevitabilis aëris necessitas, tempestatum vicissitudines, caloris et frigoris vices regionum aspectus varii, varietasque alimentorum. Quacumque enim patet terra reperiuntur homines, solaque species hominum undiqueſpargitur. Cessemus igitur ab injustis questibus, utroque cum quintiliano profiteamur : frustra mala omnia ad crimen naturæ relegari neminem nisi suâ culpâ dolere verùm et se ipso et iis quæ ipsum circum ambiunt homo nescit uti. Intemperans est, gulæ deditus; noctis dieique vices mutat, ita ordinem naturæ subvertit, ut æstate glaciem amet, hieme frigus cautiùs vitet. At inter rerum non naturalium crebros abusus, unde infirma hominum valetudo, degenerisque humanæ speciei ruina, non ultimus numerandus, torpor sive corporis, sive animi.

II.

Quantum ad robur et sanitatem conferat corporis exercitatio, ut innumera probant rerum experimenta, sic uno ore omnes conclamant. Ignavia aït *Celsus*, corpus hebetat, labor firmat, illa maturat senectutem, hic longam reddit adolescentiam. Chæneus verò motûs et quietis commodam iustitutionem non minoris ferè ad vitam sanam momenti esse, quàm ad ipsam vitam nutrimentum, affirmat. *Boëraavius* ipse noster motum corporis ad primum usque exortum lenissimi sudoris, vel usque ad initium lassitudinis commendat. Exindè fortasse fertur quod ipse solitum habuerit unâ quâque die equum conscendere, atque duarum circiter horarum spatio, indulgere exercitio: scilicet ut experiretur quid in robusto corpore mens sana possit exequi. Etenim illæ gentes cæteris populis et animorum et corporum viribus præstitêre semper, quas labor magis impiger induraverat. Quàm ingens, referente *Tacito*, germanis olim corporum robur, quam firma illis animorum constantia, cùm libertatis amor romanæque servitudinis odium ipsos exerceret. Gentium regina succubuit victrix Roma, postquam cives ejus otio diffluxerunt. Ipsam subvertit dura gens quam aluerat

septentrio : adeo nihil non superat labor improbus : et vero mollis est asiaticus non solummodo quod ejus membra calor resolvat , sed insuper quod facilis pateat undique campus rerum omnium quæ sunt ad vitam necessariæ ex se, proprio telluris munere absque hominum labore ferax ; dùm contrariâ ex parte durus septentrionis incola non nisi defatigatus altos montes superat, densa penetrat nemora, gelu constrictam aratro scindit tellurem, nec nisi multo labore vitæ substentamina sibi congerit. Sed quid opus externis ? Ruricola quam robusto corpore, quam firma gaudet valetudine ! magnatibus vero quam delicatula corporum compages, quam obnoxia millenis morbis rustico ignotis. Melius antiqui quàm nos. Jure enim suo atheniensium, Lacedemoniorumque legislatores gymnasticam artem tantopere commendabant ; quin eam ipse lycurgus sacrâ religionis authoratiie confirmatam voluerat. Sed quid molior multa. Natura pueros quos amat gremioque fovet ut pote puros innocuosque à contagio vitæ perpetuo invitat ad cursus, subsultus, generis omnis motus. Ipsa inter eos choræas agitat manuque sublevat. Miserrimum nobis quod deinceps longiùs à naturâ recedamus.

III.

Quamvis quænam vincula corpus et animum

conjungant inter se, ex quo extitere philosophi, disputatum fuerit, nec dum inventum sit ac demonstratum; nihil ominùs manet inconcussum in homine præter corpus dari substantiam dissimilem à corpore, cogitantem animi nomine iusignitam. Utriusque illius substantiæ divinitùs unitæ, tale existit commercium, ut utraque· agat. in se reciprocè. namque non solum modo morborum pestes mentem perturbant, sed et variæ animi affectiones varia producunt in corpore symptomata. Undè ad sanitatem corporis multi refert qualem servaveris animæ statum. Nam non cogitandum aut fingendum cum quibusdam omnem animi affectionem omnino pendere à corpore; omniumque pathematum corporeas existere clausas. Nihil potest assignari in corpore amori aut odio simile. Illa non in organis, sed sunt in animâ. Et quemadmodum logici docent calorem non inesse igne sed intra animam, sic amor et odium insunt non nervis varie motis sed mente. Atque tamen aït *Boëraavius* hæc conditio mentis amoris aut odii excitat in corpore motus. Unde mentem in corpus agere probatur abunè cum in corpore motus mens excitet.

IV.

Quemadmodum exercitio corpus induratur,

sic labore mens firmatur, aptiorque evadit rerum naturas callere earumque pretium justi estimare. Exinde molestiæ quæ nos quotidie quandiu vivimus lacescunt, hujusque humanæ nostræ conditionis indivulsæ sunt comites, cum miserias et cruciatus procreant iis hominibus quorum mens est sævior, omni proindèque muliercularum genti, sapientem feriunt impavidum. Animum vero regere quanti ad sanitatem corporis intersit, quis non videt? Verum quis modus animum servare tranquillum adversus tanta hæc mala in scriptis philosophorum præsidia sumendo? Quantas in corpore tragædias excitet immoderatus animi impetus, sola satis demonstrat ira, dum torvo lumine vultum, modo pallore, modo intenso rubòre suffundens, dentibus infrendit atque omnis generis vasorum canale coarctato angustatoque spiritum pluribus intercludit. Dicant practici quanti in morbis momenti sit placido esse animo; quot morti tradat vesanus mortis timor; quoties præjudicata opinio insanabilia reddiderit ea, quæ periculi nihil habebant. Digna quæ notetur historia virginis cujusdam Massiliensis, quæ tempore quo pestis Massiliam depopulabatur peste cum ipsa tentaretur, ad hunc pervenit morbi gradum, ex quo vitæ reddebatur nullus, unaque pluria inter millia convaluit, ex eo scilicet, qùd quo instante decubuit, ipsi cum

fucum facerent Medici, salubri errore delusa, alio quam peste morbo se laborare quandiu duravit ipsius morbus, arbitrata èst. Ipsi vero Medici unde nosocomia, pestiferorum domos, mortis atria ingrediuntur illæsi, nisi quia mens ipsorum cum sit exercitata magis, sapientior quoque et firmior est, nec ea turbetur iis quæ cæteris hominibus vix sunt tolerabilia? At vero gens melancholicorum, ad quos maxime pertinet nostra propositio, unde tot miseriis cruciatur, vexaturque? non tam in ventriculo lenta mortis tabes, non tam in obſtructis visceribus, âut denso nec circulante purpureo latice recondita latet, quam in eorum vivendi genere. Maximum illis malum est otium, maxima pestis vitæ pondus et horarum. Hinc ipsis vel levissimus in vitâ eventus instar supplicii est, ægraque mens trahit insons corpus in partem magnam miseriarum.

V.

Nec objiciat aliquis magnam hominum partem, agricolas nempè, omnisque generis artifices, integerrimâ gaudere sanitate absque ullâ mentis exercitatione, illi namque homines operibus suis dum sunt intenti, minimè sunt otiosi. Quemadmodum enim litteratis hominibus deambulare exercitium, sic rustico, levis

animi attentio labor est : diversa namque sunt ; ut corporum, sic ingeniorum, pro diversis tum ætatibus, tum conditionibus instituenda exercitii genera. Præclarè igitur *Galenus*, fieri potest ut idem motus alteri sit exercitatio, alteri non sit. Non igitur matribus nostris, magnatibusque viris, auctor fuerim ut mollia frangant duris membra laboribus ; ipsos sed ad jucundiora, nec minùs utilia, invitaverim. Quod sibi scientiarum aut artium genus arridet quisque videat, et quò trahit sua voluptas, sequatur. Dulce sequi quidquid placet ; et tot habet rerum natura quæ placere possint? Si te delectat cantus, cantare bonum, mollesque agitare choræas. Multa potens agere in corpus nostrum musica ; dulce quoque est errare silentibus in sylvis ubi teneros amores avium populus suspirat, aut viride peragrare pratum florumque carpere odores. Nec omiserim blandam voluptatem, historiæ naturalis studium ; illo namque studii genere mens eruditur, corpusque exetcetur. Utile quidquid corpus aut mentem exercet, utilius et mentem et corpus simul exercere. cuicumque igitur sanitas curæ est, ille et animi et corporis, angue pejus, otium vitet.

FINIS.

TENTAMEN
MEDICUM
DE
ERYSIPELATE,

QUOD, Deo duce, in auguſtiſſimo Ludovicæo Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

PHILIPPUS-J. BABAUD DE MONVALLIER, è loco Conſolens, partitione *Haute-Charente*, liberalium artium magiſter, in celeberrima Monſpelienſi Univerſitate Medicinæ Alumnus; pro trimeſtri aprilis 1791.

Pro baccalaureatûs gradu conſequendo.

MONSPELII,

Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

1791.

MATRI TENERRIMÆ,

HAS IN ARTE MEDICA PRIMITIAS,

Dicat, vovet, conſecrat,

Addictiſſimus filius,

P. J. BABAUD DE MONVALLIER.

TENTAMEN MEDICUM

DE

ERYSIPELATE.

ERYSIPELAS eſt macula rubri vel ex rubro flaveſcentis coloris, cum tumore ſuperficiali, diffuſo, ardore & pruritu nunc majori nunc minori, ſubindè à parte in partem ſerpens. Eryſipelas diſtingui debet ab aliis morbis cum quibus facilè confundi poteſt. Sic *Galenus* plegmonem ab eryſipelate diſtinguit: » communia amborum, inquit *Clerc*, tùm tumor » qui præter naturam ſit, tùm verò calor. Diſſident » inter ſe primùm & maximè colore; quandò ſi » is ruber ſit, plegmonem vitium appellant, ſin » pallidus flavuſque, vel ex pallido flavoque co-

» lore mixtus, eryſipelas. Præterea pulſatio magni » plegmonis proprium eſt ſymptoma, quippè quæ » altè magis in corpus demittitur: eryſipelas verò » in cute potiùs conſiſtit quàm altè deſcendit. » Differt ab œdemate, quod eryſipelas dolorem quodammodò prurientem & ardentem inferat, cùm in œdemate ſenſus frigoris potiùs & naturali torpidior eſſe ſoleat.

Multæ ſunt ſpecies eryſipelatis, ſivè partem affectam, ſivè febrem cum eryſipelate conjunctam, ſivè habitum externum ſpectetur. Si ad partem affectam ſpectes, eryſipelas modò faciem, modò collum, modò pectus, & omnes corporis partes infeſtare obſervabis. Aliquandò etiam in partibus internis ſedem habet, ut in naribus, ore, faucibus, œſophagis, aſperia arteria, pulmonibus, & tunc videntur ſymptomata morborum quæ affectant illas partes.

Si febris concomitans ſpectetur, ſunt eryſipelata inflammatoria, bilioſa, putrida.

Si ad habitum externum attendatur, tunc eryſipelas eſt ſimplex vel puſtuloſum. In omni eryſipelate præſertim faciei; phlyictenæ frequenter efflo-reſcunt parvæ & rotundæ, quæ lymphâ tenui, pellucidâ, aut ſubflavâ, plùs minùs acri turgent, & plerùmque facilè exſiccantur, cuticulâ in ſquamulis ſecidente.

Eryſipelas puſtuloſum à multis auctoribus vocatur ignem ſacrum.

Zona vel zoſter videtur eſſe ſpeciem eryſipelatis puſtuloſi : hoc malum, id eſt zona, infeſtat præſertim truncum corporis & abdomen; nonnunquàm medium hominem cinguli inſtar ambit. Zonam quæ totum caput ſerti inſtar cingebat obſervavit *Burgius*.

Eſt etiam eryſipelas aliquandò complicatum vel cum phlegmone, vel cum œdemate, vel etiam tumor ſolito durior eſt, nec digito præmente cedit.

Hinc orta eſt differentia eryſipelatis phlegmonodis, œdematoſi, ſcirrhoſi, quam apud *Galenum* reperire eſt. Sunt etiam eryſipelata quæ ſymptomaticè accedunt in morbis chronicis.

Exiſtunt etiam eryſipelata periodica quæ eumdem locum infeſtant; tale eryſiipelas obſervavit *Hoffman*.

Nunc ad cauſas quæ producunt eryſipelas deveniendum eſt. Celeberrimi auctores in ſuis obſervationibus frequenter viderunt colluviem in primis viis & præſertim bilioſam, producere eryſipelas.

Primus enim *Galenus* diſertè, & generaliter ex ſucco bilioſo eryſipelas naſci, & medicamenta quæ bilem educerent, ad curationem eſſe proficua docuit. *Hoffman* bilem vitiatam & corruptam in præcordiis diutiùs ſtagnantem eryſipelatum eſſe cauſam docuit, præſertim ſi tranſpiratio impedita fuerit.

Cl. *Lieutaud* obſervationem habet de juvene qui

de doloribus univerſalibus, præſertim artuum, de oris amarore & nauſeâ querebatur. Cum febre vehementi erupit eryſipelas totum brachium fermè occupans. Brachium læſum gangrænâ corripitur, & paulò poſt obiit æger. In cadavere diſſecto magna copia bilis porraceæ in ventriculo reperta fuit. Ill. *Tiſſot* bilem corruptam plerumque cauſam eryſipelatis eſſe docuit.

In eryſipelate producendo multùm valent animi pathemata, ira ac terror, graviores enim animi paſſiones, ſecretionem bilis, ejuſque craſim perturbando, aptam ad colluviem bilioſam producendam occaſionem ſubminiſtrant.

Sic ex terrore hunc morbum ortum vidit *Hoffmannus*. *Fallopius* refert naſum mulieris, quotieſcumque ira excanduit, eryſipelas deturpaſſe.

Inter cauſas occaſionales eryſipelatis recenſendæ ſunt errores diætæ, cibi nimis calefacientis, genera piſcium inſalubrium ſicut mytuli. Ill. *de Sauvages*, Profeſſor iſtius Univerſitatis, loquitur de viro, qui cum uxore duobuſque natis, hepar catuli marini manducavit; ſtatim à paſtu decumbebant per biduum triduumve, ſomno & delirio detenti, ſimulque eryſipelate univerſali, citrà calorem, ſed cum acri pruritu corripiebantur, ſurgentibus cuticula totius corporis ſenſim à cute ſeceſſit.

Perſpiratio ſuppreſſa frequens eſt occaſio eryſi-

pelatis, quia humorum depurationem impedit, & colluviei inteſtinalis generationi favet.

Vermes etiam inteſtinales anſam præbent eryſipelati.

Fluxus menſtrui & hæmerrhoïdalis ſuppreſſiones eryſipelatis ortui favent.

Superſunt adhuc cauſæ eryſipelatum quæ ſilentio præterire non licet.

Sunt enim eryſipelata producta, per metaſtaſim criticam materiæ morboſæ, ad ſuperficiem cutis delatæ; ut patet obſervationibus *Hillary*, qui in febribus catarrhalibus, eryſipelata in pedibus efflореſcere vidit cum magno ægrorum levamine & febris decremento.

Ambuſtio, apum veſparumque puncturæ, vulnera, fracturæ, contuſiones, læſiones, ligaturæ anſam huic morbo præbere poſſunt; ſed dubito an illæ eryſipelas producere poſſint, niſi in corpore jam ad hunc morbum diſpoſito.

Ex dictis jam patet periculum in hoc morbo imminere pro febre concomitante.

Eryſipelas morbum eſſe qui vel nullis, vel diaphoreticis tantùm atque diſcutientibus externis medicamentis egeat, non ſolùm vulgi eſt opinio, ſed etiam quorumdam medicorum; ſed huic ſententiæ ſubſcribere nolumus.

Attendendum eſt ergò, an febris ſit inflamatoria,

cum diatheſi ſanguinis phlogiſticâ : tunc omnia ſunt adhibenda, quæ nimiam ſanguinis copiam minuunt, inflammatoriam ejus diatheſim corrigunt.

Febris vehementiæ, eryſipelatis gradus, pulſus, magnitudo & durities, linguæ & cutis ſiccitas, & partium nobilium oppreſſio indicabunt, an venæ ſectio ſit neceſſaria & quoties ſit repetenda. Eadem indicantia, nitri & acidorum majores vel minores doſes determinabunt, quæ ſi alvum molliorem & liberiorem reddunt, eo præſtantiora, quia in omni inflammatione puritas viarum primarum reſpicienda eſt. Quod ſi congeſtio ſanguinis, in eryſipelate capitis magna eſt; cucurbitulæ ſcarificationes, &c. uſurpandæ ſunt; revellendi ſcopo.

Tiſſot laudat pediluvia tepida, & ſinapiſmos plantis pedum.

Raræ ſunt febres eryſipelatoſæ merè inflammatoriæ. Sed frequenter febris bilioſa cum inflammatoriâ complicata eſt; & tunc refrigerantia cum alvum ducentibus mixta adhibenda ſunt. Sæpiùs adhuc ex ſolâ colluvie oriuntur ſymptomata: purgantia in hoc caſu ſunt abſolutè neceſſaria; ſed ſi ſordes versùs ſuperiora turgeant, cùm alvus ſit ſatis aperta & libera, vomitorium egregiè conveniet, & plerumque morbum citiùs tollet.

Si febris ſit putrida, adhibenda ſunt antiſeptica, prægreſſâ alvi evacuatione.

Auctores inter ſe non conveniunt, an remedia externa parti affectæ applicari debeant; ſed imitandos eſſe puto auctores, qui nulla remedia externa applicanda dixerunt, quia illa remedia externa non raró tranſitum eryſipelatis in ſuppurationem, ulcera mali moris, gangrænam promovent, aut materiam morbidam à ſuperficie cutis, ad partes internas repellunt.

Sed ſi pars affecta in blando tepore non conſervetur, tunc admoveri poteſt farina ſecalis, fabarum, lupinorum, vel ſacculi cum ſpeciebus paregoricis, floribus ſambuci, camomillæ, herbâ melitoti & ſimilibus.

Tales ſunt meæ in hac diſſertatione vires, indulgeatis illuſtriſſimi Patres.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES-BAPTISTA BAUMES.

DISSERTATIO MEDICA DE FEBRE BILIOSA PUTRIDA,

QUAM, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

JOANNES-LUDOVICUS TALODE DUGRAIL, ex urbe Sancti-Agripani, in partitione dictâ *Département de l'Ardêche*, ſtudioſorum commiſſarius, liberalium artium magiſter, & in celeberrimâ Monſpelienſi Univerſitate medicinæ alumnus, pro trimeſtri julii, anni 1791.

Pro baccalaureatûs gradu conſequendo.

Venæ ſectionem in morbis putridis gaſtricisque intempeſtivè, vel ab ipſomet ægro, vel ab aliis male conſulentibus, antequàm ad nos venirent, inſtitutam ſæpius lugebamus. &c. &c. STOLL, *rat. med. lib.* 1 *pag.* 126.

MONSPELII,
Ex Typis J. F. TOURNEL & J. G. TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographorum & Bibliopolarum.

M. DCC. XCI.

A LA PLUS TENDRE

DES MERES.

C'EST à plus d'un titre que je vous offre ce faible tribut ; le lien ſacré qui m'unit à vous, s'eſt reſſerré par la perte de celui qui partageoit mes affections les plus vives, & dont le ſouvenir toujours préſent à ma mémoire, me montre en vous ſeule l'objet qui doit le remplacer à jamais dans mon cœur. Recevez donc à la fois l'hommage pur & ſimple de deux ſentimens que j'aimois à confondre pendant ſa vie, & qui ſe confondent encore pour ſe concentrer autour de vous, puiſqu'il n'eſt plus. Je ne vous rappelerai point ni vos vertus, ni votre bienfaiſance, ni

votre humanité : vous n'avez pas beſoin de mes éloges pour être appréciée, & j'aime mieux d'ailleurs ne vous entretenir que de votre tendreſſe maternelle au moins pour cette fois. Vous avez le goût des actions vertueuſes, l'habitude de bien faire, les inclinations d'une ame ſenſible, & le plaiſir que vous goûtez dans l'exercice d'une vie ſans tache, en eſt, je crois, la récompenſe la plus douce & la plus digne de vous : il en eſt une autre qui ne peut manquer à votre ſenſibilité ; elle la trouvera dans le cœur attendri d'un fils qui vous devroit du reſpect & de l'amour, quand même vous ne ſeriez pas ſa mère,

J'ai l'honneur d'être avec le plus profond reſpect,

MA TRÈS-CHÈRE MÈRE,

Votre très-humble & reſpectueux fils,
TALODE DUGRAIL.

LA NATION,

LA LOI

DISSERTATIO MEDICA

DE FEBRE BILIOSA PUTRIDA.

FEBREM bilioſam putridam cui propiùs accedunt, *meſenterica Baglivii*, *acuta ſtomachica & inteſtinalis Heiſteri*, *ſtercoralis Queſnæi*, *gaſtrica acuta Burſerii*, *putrida* demùm quorumdam recentiorum, generant, vel degeneratio humorum bilioſa, à læſione virium digeſtivarum, vel bilis corruptæ in primis viis, partibuſque vicinis colluvies, neglectâ emeſi, venæſectionibus viribus enervatis, incautè & infauſtè adhibito purgante, in oceanum ſanguineum irrepens. Eam quoque producere valent effluvia putrida tempore humido & calidiſſimo. Vid. *Pringle*, *Huxam*, *Hilari*, *Lind*, *Monltrïe*, *Ludwig*, *Wintringham*, *Sauvages de amphimerinâ Hungaricâ.*

Cauſas inter prædiſponentes adnumeranda veniunt, omnia quæ ciborum coctionem lædunt, perturbant, & depravant, quæ bilem uberiorem aut acriorem reddunt, fibrarum robur minuunt,

motum humorum in imo ventre retardant, ſecretiones, excretioneſque viſcerum abdominalium ſupprimunt, cruditates, impuritateſque ventriculo aut inteſtinis ſuppeditant : talia ſunt, conſtitutio epidemica; pluviæ immodicæ; aquarum inundationes; crebræ frigoris & caloris viciſſitudines; carnium, piſcium maximé non recentium abuſus; victus pinguis, caſeoſus, oleoſus, auſterus, farinoſus, vappidus; carcerum, noſocomiorum aër peſtiferus; aër humidus ſimul & calidus; vita deſes, aut curis, vigiliis, ſtudiiſ-ve nimium diſtenta, venus immoderata, animi pathemata diuturna, & præ cæteris ætas adulta, & temperamentum bilioſum, &c.

Signa morbum imminentem denotantia, ſunt languor, triſtitia, appetitus proſtratus, ſomnus inquietus, capitis, lumborum & genuum dolor, ponderis & gravitatis totius corporis ſenſatio; hæc per aliquot dies perdurant, deinde horripilationis & caloris vices alternas experiuntur ægri; ſequitur febris quæ remittit, iterùm exacerbatur ſine typo- (*Quarin*). tùnc pulſus qui ab initio erat parvus, & celer, ſe incipit efferre, & quandòque ſit vehemens, non tamen durus, niſi quidquam inflammatorii junctum ſit; oculi ſunt rubri aut dilutiſſime flavi, vel cùm modicâ flavedine ſubvireſcentes, genæ intensè rubent, cùm flaveſcente aut vireſcente palore circà nares aut labia ; lingua eſt alba, hirta, ſordida, aut ſæpiùs flava, os amarum eſt, anima fœtens.

His accedunt nauſea, vomendi conatus, aut ipſe vomitus materiei porraceæ, æruginoſæ, vitellinæ,

atræ, fauces exurentis, dentes ſtupefacientis, ſaporis acerbi, plenis, elatis, gravatis præcordiis; ructus amari, urentes, rodentes, auſteri, ſudores olentes, nidoroſi : urina eſt pauca, à principio ferè flava, crocea, ſpumoſa, jumentoſa, lateritia, peſſimè olet; alvus conſtipata, quandòque crebriores dejectiones fœtidiſſimum odorem ſpirantes.

Præter communem ſub veſperas febris intenſiorem gradum, non nullis etiam interdiù aut noctù, aliæ quædam atque inordinatæ primis potiſſimum diebus obveniunt quaſi acceſſiones, ſivè incrementi ſpecies quæ ægrum exagitant. (*Burſerius*).

At vigente morbo exaſperantur & excandeſcunt omnia; cooritur intenſiùs calor, mordax, interna comburens, dùm ſæpiùs ad externa frigus ferè marmoreum; dentes, lingua, fauces viſcidâ, & tenaci pelliculâ, modò albidâ, modò fuſcâ & nigricanti, modò flavâ, viridâ & luteâ obteguntur : increſcunt dedolationes, temulentia, ſtupor, delirium aliquandò mite, ſæpiûs ferox, auditus graves, reſponſio tarda, coma.

His adde nares ſiccas, fuliginoſas, ſicca labia, oculos colorem rubrum, ſubflavum, ſubviridem referentes, lacrimoſos, ſqualidos, lemâ obductos, diſtortos albugineâ proſpectante; anorexiam ſummam, ſitim aut nullam, aut inexplebilem, cardialgiam, alvum fœtidiſſimam, halitum olidum & ferè cadaveroſum, calorem acrem, mordaciſſimum, cutim ſiccam, aſperam, imperſpirabilem, variegatam maculis rubris, aut lividis, aut obſcuris, pulicum morſibus ſimilibus, præſertim circà collum,

dorſum & pectus ; miliaria rubra , alba , modò ſolitaria , modò peticulis intermixta , cùm moleſto pruritu ; aphtas , parotides , bubones , anthraces , &c.

In hoc morbi ſtatu in ſcenam prodeunt ſummæ præcordiorum anxietates ; epigaſtrii , aut lateris unius ſecundum hypocondria dolor acutiſſimus pleuritidem ſimulans ; virium defectiones , lipothimiæ ; ſingultus ; tremores manuum , tendinum ſubſultus ; mentis emotiones ; ventris & hypocondriorum meteoriſmus ; motusque ſpaſtici quibus faciei muſculi convelluntur.

Tandem evenit ut mente ſivè delirâ , ſivè profundo ſomno oppreſsâ , ipſa excrementa alvi , & cùm his ſæpè lumbrici egeruntur , inſciis plerumque , aut non animadvertentibus ægris , qui ſupini omninò jacent , ad crura ſenſim delabuntur , & cuncta miſerrimè reſpuunt auxilia : nec rarò muſcas venantur , feſtucas colligunt , garriunt , obmurmurant. Inter hæc pulſus fiunt exiles , celeres , inæquales , obſcuri , intermittentes , nec facile eorum ictus numerari poſſunt ; ſudor frigidus undiquè manat ; ſtertor ſuccedit , & demùm mors feralium ſymptomatum agmen claudit.

Quandò verò purus, benignus, legitimus , nec ullâ cùm malignitate conjunctus morbus eſt , nec arte aut neglectu pervertitur , aliquandiù in eodem primo ſtadio , quod ſuprà expoſuimus , perſiſtit , quin ingraveſcat , aut minuatur. Poſteà mitior fit ; ſymptomata omnia pacantur : acceſſiones minori profectò vi recrudeſcunt , citiùſque , & manifeſtiùs ſeſe

remittunt ; capitis dolor tolerabilior eſt ; alvus non ità crebrò , ſed faciliùs excrementa dimittit , quæ ut concocta magis , & copioſiora deſcendunt , ſic evidentiùs , certiùſque relevant ægrotantes. Urinæ pariter uberiùs profluunt ; ſomnus incipit facilior , & placidior eſſe , vires , animumque reſtaurans ; lingua naturalem colorem , atque humiditatem acquirit ; aliqua redit cibi cupiditas , & paulatim , cute molliori , & vaporosâ ubiquè redditâ , omnium functionum priſtina integritas reſtituitur.

Ex his quæ hactenùs dicta ſunt videre eſt febrem billioſam putridam benignam quandòque , quandòque malignam eſſe. Poſteriorem oſtendunt ſymptomata graviora , virium lapſus , exanthemata , nervorum affectus , delirïum , ſpaſmi , & alia hujuſmodi : horum abſentia priorem.

Ad prognoſim inſtituendam maxime confert iſtius differentiæ conſideratio , nàm ſi levis & benigna , paucos intrà dies finitur , & emeticum unâ tantùm vice propinatum , morbum quandòque ſolvit ; emeſis , ait *Tiſſot* , febrim ſæpé omninò jugulat. Si verò gravior & maligna , ad triginta , vel quadraginta dies protrahitur ; imò etiam longiore tempore , ſi ab initio primæ viæ non ſatis purgatæ fuerunt. At quoties vehementiſſimis urget ſymptomatibus , ineptèque curatur , ſæpè accidit , ut ægros jugulet nonâ die , interdùm decimà - octavâ aut vigeſimâ.

Non raro in intermittentem , obſtructiones viſcerum , & icterum degenerat. Nonnulli cutim ictericam , ut peſſimum ſignum tenent , ſed , ſecundùm

illuſt. *Quarin* ſententiam nec bonum nec malum ſignum eſt.

Salus ſperanda ubi hypocondria mollia, æqualia, non dolentia, decubitus ſanorum ſimilis, reſpiratio facilis, mens conſcia, pulſus æqualis, & alia ejuſdem generis. Si pulſus in celerem, parvum, inæqualem mutetur, ſi facies tetra, livida, pallida; convulſiones, mentis aberrationes, tendinum ſubſultus, ſingultus, ſumma virium proſtratio, accedant; ſi ægri flocos carpant, excrementa inſcie deponant; ſi puſtulæ purpureæ vel & lividæ corpus deturpent; ſi abdomen & hypocondria tenſa & inflata ſint, æger ferè moritur.

Perniciem, exitiumque extremum pronunciant hæmorragiæ variæ narium oculorum, pulmonum, cutis, gingivarum, inteſtinorum, ulcerum antiquorum, uteri, aliarumque corporis partium; ſanguinem enim putridum & ad ſummum gradum diſſolutum indicant.

Diarrhæa aſſidua, ægro inſcio, verminoſa, cadaveroſa, fœtidiſſima, ſemper mali ominis eſt, notat enim ſummam humorum colliquationem. Extremorum frigus, cùm olidiſſimis, pallidis aut fuſcis dejectionibus, inteſtinorum gangrænam aut ſphacelum imminere, proximamque mortem ſignificant. In gangrænam quoque abeunt viſcerum inflammationes quæ huic febri ſuperveniunt, nec mirum in tantâ humorum putredine, aut ad putreſcendum proclivitate. Reliqua bonum aut malum eventum indi-

cantia, ſatis, ni fallimur, ex iis quæ in hujuſce febris hiſtoriâ protulimus, erui poſſunt.

Medendi methodus varia erit pro gradu, vehementiâ morbi, varioque tempore & circumſtantiis, ſindromeque virium, &c. Morbi natura, atque ratio ipſa poſtulat, ut quam citiſſimè omnis è primis viis ſaburra expellatur, inflammationis ſi quis timor eſt, aut metaſtaſeos providè avertatur, ſpaſticæ ſolidarum partium affectiones tollantur, & putredini, aut ſanguinis putridæ diſſolutioni, quoad fieri poteſt, eatur obviam. Ante omnia verò ritè perpendendum eſt nùm protinùs ab initio ſanguinem mitti expediat; ætas florida, temperamentum ſanguineum, bonus corporis habitus, plethora, pulſus magnus, vehemens aut durus, dolor capitis atrox, pectoris oppreſſio reſpirationem lædens, diæta calefaciens, diatheſim, phlogiſticam ſanguini inducens, demùm diatheſis bilioſæ cùm inflammatoriâ connubium phlebotomiam indicant: aliàs ſupervacua eſſe conſuevit imò noxia. *Sanguis fræ-num bilis autumabat Avicenne.* Veterum & neotericorum quam in putridis fuerit exitioſa innumeræ teſtantur obſervationes. Sic *Galenus*, *comm.* 4. *aph.* 55. *febrem ardentem fieri novimus, quandò venæ exſiccatæ, acres & bllioſos humores ad ſe traxerint.* Idem *Valleſius*, *de feb. differentiâ.* Idem *Foreſtus*, *obſerv.* 18. *in ſchol.* Idem *Platerus*, *venæ per ſanguinis detractionem inanitæ in ſe illuviem ex venis meſaraïcis primum, illamque ab inteſtinis uti voluerunt rapient*, *de feb. pag.* 116. Ità *Glaſſius*, *pag.* 74.

Pringlius, *Vogel*, *Stoll*, *Selle*, *Huxamus*, *Brochlesbi*, *Fothergill*, *Quarin*, *Tiſſot* (1).

Sanguinis miſſio, ſi neceſſaria, confeſtim, ac inter initia inſtituenda, & ſi ſemel ſatis non fuerit iterato id etiam fieri poterit; dein primarum viarum colluvies maturè excutienda. Nùm turgeat nec-ne attendebit medicus; ſi non turgeat, mobilem efficiet lenibus reſolventibus, refrigerantibus, aſceſcentibus, ſaponaceis, ut ptiſanâ ex citris aurantiis, tamarindorum decocto; ſero lactis tamarindato, nitrato; juſculis levibus, hordei, oryzæ cremoribus, melle, oxymelle, &c. &c.

Mobilem factam, vomitorio, ſi ſursùm turget, expurgabit (2), purgante autem ſi deorsùm; nullâ ratione habitâ medicorum præceptis, numquàm in febris initio & vigore purgandum eſſe, medicinam ad morbi momenta, non verò ad temporis menſuram accommadabit, poſt conſilium *Freind*, *de purgant. in ſeq.* variol. feb. Lond. 1719. *pag.* 23.

---

(1) Antequam vomitorium propinetur amareſcentiæ bilis attendendum. Quandò bilis multum amara eſt, ut fit in febre eſſentialiter biliosâ *Vogelii*, emetici uſum præcedere debent emollientia, lenientia, incraſſantia, quæ acredinem bilis corrigunt, & eam, quaſi coctione artificiali, ad evacuationem diſponunt.

(2) M. *Tiſſot* dans ſon traité ſur la fièvre bilieuſe de Lauſane, cite pluſieurs obſervations malheureuſes faites à l'hôpital Saint-Eloi de Montpellier, qui prouvent bien évidemment le danger de pratiquer la ſaignée dans des affections bilieuſes qui ne ſont point compliquées d'inflammation.

Vomitus autem cieri poteſt, vel ipecacuanhâ vel tártaro emetico in magnâ aquæ tepentis copiâ ſoluto, & diviſim ad intervalla, donec vomitus ſubſequatur propinato; ipecacuanha autem minùs ſatisfacit, tùm quia glutinoſum bilioſo junctum ejicere non valet, tùm quia alvum adſtrictam potiſſimum relinquit, quæ tamen in hoc morbo perpetuò aperta ſervanda (*Quarin*). nec ſemel tantùm ſufficit vomitum prolicere, ſed interdùm id iterari maximè ubi digeſtiva exhibita non fuerunt opus eſt; impoſſibile ferè eſt diluentibus ſolis & acidis putridam hanc materiam corrigere (1); emeſi propinatâ vires fictitie ſuppreſſæ mirum in modum eriguntur, febris dein placide pergit, & ſine moleſtis ſymptomatibus curſum ſuum abſolvit. (*Van-Swieten*, *Tiſſot*, *Strach*, *Rhan*.)

Nonuulli medici, inter quos ill. *de Grimaud*, finitâ operatione emetici, paregoricum exhibent ad tumultus indè natos compeſcendos; ſed nocet opium, aït meritiſſ. *Quarin*, ubi natura evacuatione eget; præterea febrim auget ſudores nocivos

---

(1) M. *de Grimaud* prétend que quand la fièvre bilieuſe eſt légère, elle cède quelqueſois à l'uſage des délayans des fondans pris en grande quantité. Il cite à ce ſujet l'obſervation de *Keker*, qui dit avoir guéri très-ſouvent promptement & ſans retour, des fièvres de cette eſpèce, en faiſant boire abondamment d'une tiſane ordinaire avec un peu de ſuc de limon, mêlé avec une petite quantité de pulpe de tamarin, & édulcoré avec un peu de miel ou de ſucre. *Cours des fièvres*, *leç.* 35.

excitat in initio morbi; corpus ad putredinem magis diſponit; ab opio enim aſſumpto mortui citiſſimè putreſcebant. In decurſu morbi non magis convenit; ejus uſum, *Pringlius* obſervatione ductus meritò damnat.

Quod ſi materia in inteſtinis turgeat, quod indicabunt, Borborigmi imi ventris, flatus, tormina, ac lumborum, genuumque dolores; opportuniſſimè dari ſolent, manna, caſſia, tamarindi, cremor tartari, ſal mirabile *Glauberi*, & alia ejuſmodi bilioſis affectibus dicati; cùm hâc tamen cautelâ adhibiti, ut ne nimiùm alvi fluxum excitent, & indè ægrum proſternant.

Interdùm tantâ ſenſibilitate atque irritabilitate donantur quidam ægri, ut metui poſſit, ne emetica aut purgantia morbum potiùs exaſperent. Tùnc aptiſſimum eſt expiandis primis viis, oleum olivarum optimæ notæ, aut ſeminum lini, aut amygdalarum dulcium ſine ignis ope recens expreſſum, ad quatuor, quinque, vel ſex uncias uno hauſtu. Id enim duplici plerumquè evacuatione, nimirùm per ſuperiora, & inferiora ægris opitulatur, acres humores obtundit, viſcidas, tenaces que reſolvit, ſpaſticas contractiones laxat & lenit, aliaque bona præſtat (1).

---

(1) Olei laudes in hujuſmodi morbis confirmantur experientiâ *Bianchii* (*hiſt. hepat.*) *Valcarenghii* (*med. ration.*) *Quidetti* (*pleurit. bilioſ.* ann. 1709.) *Haënii* (ratio med. t. 3, cap. 2.) plerique oleum odio habent, & reprobant tamquam noxium quia facilè ranceſcit; ſed perperàm, nàm ſi recens & optimæ notæ eſt, & ea copia datur quâ citiſſimè ſtomachum atque inteſtina pertranſeat, omnis noxa quæ ab ejus rancore timetur, profectò vitabitur.

Purgatis primis viis, medicamenta diluentia, putredini reſiſtentia, alvum apertam ſervantia, largiter exhibenda. Acida in primis tàm vegetabilia quàm mineralia ad hoc maximè valent, quæ id inſuper boni efficiunt ut febris nimius fervor, impetuſque, ſi vehementiùs excandeſcat, compeſcatur. Phlogiſton enim cohibent, calorem refrenant, cordis, arteriarumque irritablilitatem imminuunt. Aquæ igitur quam affatim bibi oportet, inſtillatur ſuccus aliquis acidus ex iis quos vegetabilia ſuppeditant, uti acetum vini, ſuccus limonum, mali citrei, aut aurantii, ſyrupi ex his parati, itemque berberum. Ubi major æſtus adeſt, majorque ad putredinem, colliquationemque propenſio, aut ſanguis ipſe jamjàm computreſcere videatur, vegetabilibus acida mineralia utiliùs ſubſtituuntur.

Si verò per crebriores dejectiones vires magis magiſque proſternerentur, pulſus debilior fieret, à ſalibus abſtinendum; alvum enim ità moderari oportet, ut ex alterâ parte virium ruina, ex alterâ maligni humoris intrà corpus retentio impediatur.

Ubi alvus adſtricta, tenſio abdominis, præter ſalium uſum, clyſmata injicienda, crebrò repetita dummodò ex mitiorum claſſe deſumantur.

Diaphoretica & alexipharmaca *Pringlius*, *Quarin* & alii acriter ſuadent, ſed hæc remedia ſanguinis æſtum promovent, ubi circulatio eſſet ſæpiùs infringenda; prudentis ergò medici naturam ducem ſequi; ſudores molientem fovebit; potu leniter, calido, diaphoretico; ab incendiariis ſtimulis abhorrebit.

Cauſæ excitandæ, ſuſtentandæque febri pares

acuratiſſimè removendæ ſunt; æger ergò reponatur in loco elato, conclavi magno, aëre ſicco, temperato, aceti vaporibus refrigerato, ventilato. Induſia quoque, lintea, ſtragula, lectus, prout res poſtulat, ſubindè mutentur, ut â corpore omne putridum, corruptumque miaſma amoveatur; frequenter è lecto eximendus, per cubiculum ambulaturus, ne tepore lecti putredo foveatur, & decubitu continuò caput hebes reddatur, langueſcant excretiones maximè urinarum; fructibus horæis libere indulgeat, acidiuſculis, ceraſis, ribiis, &c. eminenter æſtum febrilem compeſcere, & putriditatem arcere bilioſam valentibus; potu utatur frigidiuſculo, acidulato.

Hæc ſufficient opportunè adhibita, ſed ſi invitis omnibus remediis omnia in pejus ruant, vires minuantur, & febris pergat teterrimis cùm ſymptomatibus, ad heroïca extemplò remedia, corticem peruvianum, arnicam, ſerpentariam, vinum, camphoram & cætera antiſeptica, excitantia, cardiaca, virium ruinæ, humorum degenerationi, ſolidorum debilitati accommodata, tamquàm ad ſacram anchoram confugiendum eſt.

Cortex peruvianus, anti-ſepticorum princeps, palmam præripiet, ubi viribus proſtratis, ſolidis laxis, debilibus, languenti principio vitali, proſpiciendum erit. Cavendum tamen à cortice nimis maturè exhibito. Si inter corticis uſum ægri angantur, febris augeatur, reſpiratio facilior fiat, ſignum e t putridum adhuc in primis viis hærere, hinc hæ prius purgandæ, & à cortice tamdiu abſtinendum.

Camphora, ſerpentaria, angelica, imperatoria, & præſertim vinum Rhenanum, auſtriacum, &c. quibus roborans & anti-ſeptica inſignior vis ineſt, exigua verò aut calefaciens aut inebrians, calidum innatum in foco coërcebunt, flammæque vitali pabulum fovebunt, ubi fatiſcentem indicant, pulſus tenues, celerrimi, ſummuſque putriditatis gradus, artus frigidi, facies pallida, livida, marmorea, hippocratica, delirio cum taciturno.

Diſſolutum ſanguinem quovis emunctorio profluentem nec-non & vibices, efflореſcentias, petechias, &c. compeſcent acida mineralia, inter quæ præpollebit acidum ſulphuricum.

Quod ſi his non proficientibus, febris trahatur, nec miteſcat, dolorque capitis perſiſtat, aut ab aliis ſymptomatibus, uti ſopore, aut delirio cerebrum àffici ſignificetur, veſicantia, rubefacientia, ſinapiſmi, ſuris, pedum plantis admovenda ſunt. Veſicantia virtute anti-ſpaſmodicâ, excitante, tonicâ gaudent, & ſub hoc titulo tantùm ea adhibere debet medicus, exemplo *Stollii*, qui ſuppurationem poſt excitatam veſiculam non fovebat, nec epidermidem auferri ſinebat. « Non enim ſuppuratio, ait ill. ille vir, ſed ſtimulus veſicantium prodeſt. » (*Stoll. pag.* 59.)

Arnicæ radix, vî tonicâ, anti-ſpaſmodicâ pollet, ſpaſmos itaque lenit; nervorum eſt amica, & ideò vim nerveam ſtimulo egentem egregiè excitat. Diarrhææ incoërcibili & colliquanti inſcio ægro, aliiſque largiſſimis evacuationibus felici cùm ſucceſſu opponitur.

Multa hodiè prædicantur de aëris fixi virtute anti-ſepticâ, quo aquâ tàm bibendâ, quàm per clyſteres in alvum ſubter dandâ methodo prieſtleyanâ imbui poteſt, ſed utilitatem non ſatis comprobant obſervata medica ut canones inſtitui poſſint.

Celeberrimi viri, inter quos *Pringlius*, ſalia alkalina volatilia commendant, ſed propter virtutem eorum diſſolventem, attenuantem, tenaci pituitoſæ, nervoſæ putridæ magis accommodata videntur.

His memoranda veniunt remedia meteoriſmo abdominis convenientia; itaque ſi venter ſub morbi finem tenditur, & tympani inſtar reſonat, nec preſſus dolet, ſic, ut aëre contento diſtendi inteſtina reſoluta, atque atoniâ correptâ videantur; extrinſecùs imponi debent ea quæ roborant & reprimunt; & ſimul intrinſecùs dari quæ putredinem, ex quâ aër evolvitur, coërcent, quæ aëris vim elaſticam minuunt, quæque inteſtinorum fibris robur adjiciunt. Talia ſunt extrinſecùs aqua frigida (1) fomenta ex plantis aromaticis vino incoctis,

---

(1) M. *de Grimaud* rapporte dans ſon Cours des fièvres l'obſervation d'un jeune homme qui étoit dans un état déſeſpéré, & qui fut guéri par M. *Tiſſot*, en appliquant ſur le bas ventre un linge trempé dans l'eau très-froide, & renouvellant cette application de quart d'heure en quart d'heure.

frigidè applicata; intrinſecùs verò ſpiritus nitri dulcis, tinctura mirrhæ ſuccini, caſtorei, extractum kinæ-kinæ; arnicæ, agerati, & quæ aromaticâ vi utcumquè donantur.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES.

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES-BAPTISTA BAUMES.

TENTAMEN
MEDICO - CHIRURGICUM
DE
ERYSIPELATE,

QUOD, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in Auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR

JOANNES - CLAUDIUS GALDEMAR, è Loco Vialaret in nova Galliæ Partitione, cui nomen Département de l'Aveyron, in celeberrimâ Monſpelienſi Academiâ, Liberalium Artium Magiſter, nec-non in Almâ Facultate Medicinæ jamdudùm Alumnus, pro Trimeſtri menſis Januarii 1792.

Pro Baccalaureatûs Gradu conſequendo.

Une Theſe excellente, où tout marche & ſe ſuit,
N'eſt pas de ſes travaux qu'un caprice produit.
Il faut du temps, des ſoins, & ce pénible ouvrage,
Jamais d'un Ecolier ne fut l'apprentiſſage.
BOIL. *Art. Poët.*

MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, NATU MAJOREM;

M. DCC. XCII.

OPTIMO PATRI

NEC-NON

AVUNCULO DILECTISSIMO

ALDIAS,

Has in arte Medicâ primitias in publicum æternumque amoris, venerationis & obſequii monumentum,

Dicat, vovet, conſecrat,

Humillimus & obſequentiſſimus
Filius & Nepos
J. C. GALDEMAR.

TENTAMEN
MEDICO - CHIRURGICUM
DE
ERYSIPELATE.

ERYSIPELAS, quod modò ignis ſacer, modò ignis proſerpeus, modo roſa &c. dictum fuit, eſt tumor parum elevatus, difſuſus, coloris rubro-roſei, parum renitens, dolore acri ac deurente ſtipatus, in quo ſæpe elevantur puſtulæ veſiculares; quæ deſſicando in ſquammas decidunt.

Tot ſunt Eryſipelatum ſpecies, quot ſunt tumores quibus complicatur, vel quot ſunt diviſiones quas patitur, tumores ſunt phlegmo, œdema & skirrus, diviſiones ſunt in ſimplicem, ſymptomaticum, periodicum, benignum & malignum.

In explicandis illis variis Eryſipelatum ſpeciebus non morabor, cùm de ſingulis ob laborem nimium agere ſpecialiter non exiſtimavi;

dicam vero tantum, de Eryſipelate propriè dicto, quod ſæpiſſime occurrit, ab acri bilioſo, ex conſenſu ferè omnium præcipuè pendente.

Hæc igitur Eryſipelatis ſpecies, cui prima convenit definitio, medium tenet inter veram inflammationem & febrem exhanthematicam, cùm febre ſemper, vel motu febrili producitur; cùmque ſecundum, tertiumvè poſt febris initium diem apparet. Tunc ceſſat, vel minuitur febris, ſi levis ſit affectio; æquali modo quidem graſſatur, ſi malum grave ſit. Illud præſertim accidit. Cum Eryſipelas à causâ internâ pendet, quæ vel naturaliter heret in corpore, aliove quodam modo eſt acquiſita, cum verò à causâ externâ originem duxit, vel non adeſt febris; vel Eryſipelate producta fuit, quando adeſt.

Quoad naturam febris, ſub variis circumſtiis poteſt eſſe inflammatoria, bilioſa, putrida, maligna, ſed plerumque bilioſa eſt, aut inflammatoria bilioſa, idcircò de iſtâ tantùm agemus.

Oris amarities, lingua muco flaveſcente cooperta, cutis color ad ictericum vergens, nauſeæ, vomitus, diathcſim bilioſam indicant. Pulſus fortis, plenus & durus, lingua cruſtæ albæ inducta, rubor vultûs & urinarum, inflammatoriam prædicant; quorum ſymptomatum combinatio inflammatoriæ bilioſæ caracterem prebent.

Mobilitate materiei fit aliquando, ut è parte primò affectâ dimovens, ad aliam fugit externam, vel fit metaſtaſis ad interiora, unde oriun-

tur ſive ſymptomata ſoporoſa, deliria, phrenitides, ſive oppreſſiones, dypſneæ, ſive colici dolores; prout materies ad cerebrum, pulmones, inteſtina tranſlata fuit.

In abuſu rerum non naturalium reperiuntur cauſæ Eryſipelatis internæ, quapropter ex aere, cibo, potu, motu, vigiliis, excretionibus retentis, animi pathematibus deſumi debent; externæ vero pendent è variis caſibus, ut ictus, vulnus, ulcera, applicationes variæ ſuper cutem &c. hæ cauſæ ultimæ tanquam extraneæ Eryſipelati de quo loquor conſiderandæ veniunt.

Quinque modis terminatur Eryſipelas, nempè per reſolutionem, ſuppurationem, gangrænam, indurationem & deliteſcentiam; de primâ ut pote frequentiſſimâ & aptiſſimâ dicemus.

Signa diagnoſtica, ſunt tumoris exigua elevatio, diffuſio ſine diſtincta circumpſcritione, mutatio coloris rubri in albicantem premente digito, & ſubita ruboris reſtitutio ſublatâ preſſione. Quibus eiſdem ſignis à phlegmone diſtingui poteſt.

Porro reſolutione terminandum fore præcognoſcitur, cum remittunt ſymptomata, calor tendit ad naturalem, pars ſenſim detumet, ac veluti emollita videtur.

Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora non eſt bonum; ab interioribus autem ad exteriora bonum (*Hypp.*).

Majus infert periculum Eryſipelas vultûs, articulorum, partium membranacearum, quam quod alias partes occupat. Felicem non præ-

bent prognoſim anxietates, vigiliæ, deliria &c.; nec proclivitas ipſius ad ſuppuratum, gangrænam; ſed bene dicendum eſt de ſymptomatibus remiſſis & de propenſione ad reſolutionem. Melius quoque eſt pendere à causâ externâ quam internâ.

In febribus biliofis non convenit venæ ſectio, ſed ſi ſint ſymptomata inflammatoria inſtituentur venæ ſectiones, pro febris intenſitate, ætate & viribus ægrotantis, è brachio præſertim, vel è pede cum vultus afficitur, tuncque conveniunt pediluvia. Poſt venæ ſectiones adhibentur evacuantia emetica vel cathartica, prout apparent ſigna turgeſcentiæ ad ſuperiora, aut inferiora; prinum indicant nauſeæ, vomitus &c, ſecundum colici dolores &c., inter emetica anteponendus eſt tartarus ſtibiatus inter cathatrica vero dantur minorantia, ut manna caſſia, cremor tartari, ſenna tamarindi &c.

Diæta debet eſſe refrigerans ut demulcens, verſabitur circa potum abundantem ex ptiſanis hordeaceis, aqua pulli, ſerum lactis &c.

Si à ſuppreſſione menſium vel hemorroïdum originem duxerit, tunc convenit venæ ſectio è pede, aut applicatio hyrudinum ano, vel vulvæ, ſi à perſpiratione ſuppreſſa dantur diaphoretica ut infuſio florum ſambuci, borraginis &c., in caſu metaſtaſis adhibentur venæ ſectiones, ſinapiſmi, veſicatoria. Narcotica nociva ſunt, attamen cum cautela dantur in magnis doloribus & vigiliis pertinacibus; ſed magno ſemper cum ſucceſſu alvus clyſteribus emollientibus laxabitur.

A remediis externis abſtinendum eſt in Eryſipelate faciei, ſed in partibus aliis quando dolor nimis intenſus non eſt, cum ſucceſſu applicantur topica leniter reſolventia, fortiora ſenſim adhibendo prout tumor reſolvi videtur; qualia ſunt vinum tepidum, decocta florum ſambuci, chœmemeli, aqua vitæ &c. Cum verò dolores ſunt vehementes, indicantur emollientia, ſedantia, ut decocta ex floribus malvæ, verbaſci, violarum &c; quibus remediis ſedato dolore ad reſolventia prædicta recurrendum eſt. Ab applicationibus, vel emplaſticis auctuoſis, oleoſis prorſus abſtinendum eſt.

Hæc ſunt, Profeſſores Regii illuſtriſſimi, quæ pro ingenii debilitate vobis offerre poſſum, ſalix nimium? Si has in arte medica primitias paterno conſpectu videatis.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

D. D. PROFESSORES REGII.

D. PAULUS JOSEPHUS BARTHE'S, *Univerſitatis Concellarius & Judex.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENE', *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. J. B. T. BAUMES.

DISSERTATIO
MEDICA,
DE
POTENTIIS MORBIFICIS ANIMATIS,
SEU
Interaneis animalculis.

QUAM in Auguſtiſſimo medico Monſpelienſi, Argumentantibus Illuſtriſſimis Profeſſoribus D. P. J. BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellario*; D. G. J. RENÉ, *Decano*; D. A. GOUAN, *Pro-decano*; D. F. BROUSSONET; D. H. L. BRUN; D. H. FOUQUET; D. J. B. T. BAUMES.

Publicis ſubjiciebat diſputationibus Auctor, PHILIBERTUS-CAROLUS-MARIA BATAULT, ex urbe Cabilloni ad Ararim, olim apud Burgundos nunc in novâ Partitione dictâ, *Saône & Loire*, Liberalium Artium Magiſter, & jamdudum almæ Univerſitatis Monſpelienſis alumnus. 1792, ann. 4 Libertatis.

Adprimam apollinarem lauream conſequendam.

Nationi,
Legi
& Libertati.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Univerſitatis Medicinæ Typographum.

1792.

PATRI OPTIMO
NEC-NON
MATRI TENERRIMÆ,

Has in arte medicâ primitias laborum, ſeque totum, in publicum gratitudinis, reverentiæ & amoris monumentum.

DICAT, VOVET, CONSECRAT,

Additiſſimus
Obſequentiſſimuſque filius,
P. C. M. BATAULT.

Hora fugit, memori ſub pectore dona manebunt.

Nationi,
Legi,
& Libertati.

DISSERTATIO MEDICA

DE

POTENTIIS MORBIFICIS ANIMATIS,

SEU

Interaneis animalculis.

Quid non adveſum miſeris mortalibus addit
Natura ? interno cum viſcere tænia ſerpens
Et lumbricus edax vivant inimica creanti ?
Quod genus aſſiduo laniat præcordia morſu
Sæpè etiam ſcandens oppletis faucibus hæret,
Obſeſſaſque vias vitæ anhelæ. . . . .

Q. Seren. Samonicus, C. XXX.

MULTIFARIAM ſemper variis incommodis vexatur gens humana. Inter malorum ſegetem, certe in primis viis numerari poteſt infenſiſſima verminoſa colluvies. Vitæ animalis plena omnia,

Aër, aqua tellus, communia naturæ habitacula, animantibus undique ſcatent, ſtupendus præſertim minutiorum animalculorum numerus eſt, & vis ſeſe multiplicandi ferè tantò major, quantò minoribus ſunt corpuſculis. *Gaubius.* Illud probant vermes & inſecta quæ ex omnibus animalium ſpeciebus, maximè undique diſſeminantur. Hæc-ce quidem animalcula entis contemnendi ideam nobis revocant, ſed ſtupendas ſæpiſſimè procreant calamitates, & attenti egregiâ obſervatione medici, magnoperè dignos eſſe debent.

Experientia conſtat in corpore humano ſicut & in plurimis beſtiis vivere vermes. Omnia corpora viventia in orbis ſyſtemate alia aliorum damno extant, & in hoc ſenſu rectè dici poteſt: corruptio unius, generatio alterius. Vermes in variis corporis partibus, nidulantur, pullulant, & ſenſim generantur, quinimò non in omne modo vegetantium genus graſſantur, ſed majora quoque animalia in eſcam, nidoſque convertant, horumque adversùs robur ſuâ ſe parvitate ac numero tuantur. *Gaubius* ſæpiſſimè lethales in verminantibus producunt effectus; indè graviſſimi morbi, & non raró morbis jam ſævientibus ſeſe conſociant.

Varii vermes vitam agunt in animalibus peculiaribus, & peculiares etiam ſibi eligunt partes. Ventriculum verò & inteſtina præcipuè occupant. Aliquando in aliis corporis partibus, in cerebro nempe, auribus, in corde etiam, pulmonibus, veſicâ, plurimi obſervati ſunt

(1). In quibuſcumque verò partibus exiſtit animata colluvies, ſemper infandam exercet tyrannidem.

His animadverſis, circà hanc materiem, à plurimis equidem auctoribus fretus, & præſertim *Vanden Boſch*, verba facere tentabo. 1°. Præmittam vermium originem. 2°. Eorum in corpore humano ſpecies. 3°. Circumſtantias ad vermium generationem maximè idoneas tradam. 4°. Pathognomonicam eorum diagnoſim. 5°. Felicem medelam contra vermes adhibitam exponam.

De vermium origine.

Univerſa naturæ phenomena verò hominum admiratione digna, ſemper tenebris involvuntur. Itaque ad illa perſcrutanda, & explicanda, egregii viri aliquoties proſperè, at infeliciter equidem ſummoperè laborarunt. Inter illa quæ in lucem educere conati ſunt, venit quomodò intrà corpus efflorеſcunt vermes.

Plurimæ prolatæ fuerunt ſententiæ ex quo fonte vermes intrinſecus ortum ducere poſſunt. « An equivocam, (inquit *celeb. pathol.* » *promotor.*) (2) ex putridine nativitatem ha» bent ? an ſpiritus mundi arbitrariæ facultati

---

(1) *Vid. Vanhelmont de Bomare, dict. raiſon. d'hiſt. nat. art. verſ.*

(2) *Gaubius, path.* §. 586.

» debentur ? an potiùs humano generi indè
» à primo ortu congeniti per traducem veluti
» in eodem propagantur ? utrùm verò ex
» ſemine quidem naſcuntur, at non ſuo,
» aut ex inſectis alienigenis quæ intrà corpus
» humano recepta, ob pabuli aliarumque
» conditionum diverſitatem, in aliam ſpeciem
» degenerant ? nimis hæc omnia repugnant
» communibus generationis legibus, quas ob-
» ſervatio fidelis in minimis æquè ac maximis
» animalibus detexit, quam ut admitti
» queant ».

Plurimi quod ſponte naſcantur, contendunt; quod abſurbum eſt excogitare. Alii verò, illa animalcula ſine ullis germinibus præexiſtentibus intrà corpus humanum negant formari (1). At illa germina ſinè dubio extrà intùs advecta fuere, & vermes in corpore humano inventi,

---

(1) *Il n'eſt rien moins prouvé*, dit Selle, *que tout corps animal doive originairement provenir de germes préexistans ; cette théorie eſt une raiſon trop foible pour qu'on nie, que des parties non organiſées puiſſent ſe combiner de manière à produire l'organiſation, & par conſéquent les vers. D'ailleurs ne ſeroit il pas poſſible que certaines parties du corps animal euſſent une eſpèce d'organiſation imperceptible dans l'état de ſanté mais dont il pût dans une diſpoſition particulière réſulter des vers. Med. clin. art. verſ.*

generantur tum ovis, tum ſeminibus extrà intùs advectis. Huic ſententiæ conſentiunt, *Pallas*, *Andry*, *Roſen*, *Vanden Boſch*, qui aït : « Numeroſæ obſervationes ſufficienter » evincunt ejuſmodi animalium genus, eorum- » ve ovula extrà hominem veluti in ſtagnis, » vel alio quovis modo exiſtentia, inter ali- » menta & potulenta hominum inteſtina in- » trare, ibidemque ſolitam vitam agere, » ſpeciemque propagare poſſe ».

Sic etiam quibus corruptioni vermium originem tribuunt loquitur *Andry*. « Pour les » philoſophes qui veulent que les vers s'en- » gendrent de la ſeule corruption, par une » combinaiſon de matière, ſans aucune ſé- » mence ; comment peuvent ils expliquer que » le déſordre du haſard peut arranger avec » tant d'ordre les parties organiques d'un ani- » mal, et qu'on ne voit s'engendrer aucune » eſpèce nouvelle d'inſectes, comme cela » devroit arriver ſelon leur ſyſtême. Tous » les animaux (addit inferiùs) renferment en » eux-mêmes leurs ſémences pour ſe pro- » duire (1) ».

Ovula ergo à quibus vermes ortum ducunt cum cibis & ſorbitionibus per naturales vias

---

(1) Non tamen omnimodis connecti poſſe putandum eſt
Omnia . . .
Invenies igitur multarum ſemina rerum
Corpora celare & varias cohibere figuras.
Lu rec. nat. rerum.

non ſolum in ventriculo & inteſtinis ; ſed etiam in aliis corporis partibus transferuntur, v. g. cum carnibus ſiccis, veteribus lardis, aquâ frigidâ, ſuperque muſcæ & vermes ovula deponunt. Illud aſſerunt per experientiam *Rhedi* & *Malpighi* (1) in calidis, regionibus ubi multi homines cohabitant, eamdem aquam bibunt, eoſdem cibos edunt, & præprimis in his quæ piſcibus abundant, tunc frequentiùs incolæ verminosâ epidemicâ colluvie laborant. Aſt verò ova quæ extrinſecus intùs deveniunt, conditiones ad generationem variorum animalculorum magis aut minus aptas nanciſcuntur. « Et il eſt facile » (dit *Andry*) de comprendre, qu'il peut » éclore des vers dans le corps de l'homme de » diverſes eſpèces, ſelon les diverſes matières » qui s'y trouvent, ces œufs étant comme les

---

(1) *Au milieu de l'été, ils mirent différentes ſubſtances ſujettes à corruption, telles que du poiſſon & de la viande dans deux vaiſſeaux dont l'un étoit bien fermé & l'autre ouvert. Au bout de très-peu de temps ils trouvèrent les ſubſtances miſes dans le vaiſſeau ouvert pleines de vers ; au lieu que dans le vaiſſeau fermé il ne s'en trouva pas un.* Malpighi *dit auſſi que quoiqu'il eût enterré ſouvent des viandes, & les eût laiſſées long-temps en cet état, il n'y trouva jamais aucuns animalcules.*

» grains des végétaux, dont les uns germent
» dans certaines terres, & les autres dans d'au-
» tres ». Quippè conditio quævis corpori in-
hærens, quâ illud aptum eſt natâ occaſione
morbum ſuſcipere pertinet. *Gaubius.*

Plurimi autem vermes qui in corpore humano vitam degunt, conſimiles terreſtribus obſervati ſunt; nam & faſciolas quæ etiam familiares ſunt hominibus, ex aquis evidenter originem ducere certum eſt, eaſque in hominum & ruminantium ſyſtemate biliario viſis ſimillimas, quæ in aquis vulgo reperiuntur, obſervatas fuiſſe. Lumbrici teretes humanis ſimillimi, in aliorum animalium interaneis reperti dicuntur: *Pallas*, *Vanden-Boſch.*

« Quùm itaque (aït *Gaubius*) pro ætate,
» ſexu, temperie, vitæ genere, aëre, cibo,
» potu, regione, anni tempore, &c. alios
» præ aliis magis, minus aut & nunquam
» infeſtent vermes; neque tamen & ſingulos
» iidem, ſed hos teres, illos aſcaris, alios
» iterum tænia: ſuadet profectò, analogia eoſ-
» dem quoque à foris in hominem deferri,
» ſe ſe intùs more cæterorum animalium mul-
» plicare, niſi validis naturæ viribus ſupe-
» rentur ».

Vermium inteſtinalium ſpecies præcipuæ.

Ex dictis credere licet plurimas eſſe vermium in corpore humano ſpecies. Varii auctores quinque ſpecies extare aſſerunt. In

iſtâ verò diſſertatiuncula tantùm verba faciemus de vermibus vulgò in inteſtinis repertis, qui ad très reduci ſolent, nempè *aſcarides teretes lumbrici*, *lati* ſive *tæniæ* ob figuram inſtar faſciarum latam.

Aſcarides utrinque acuatæ, graciles, albæ, caſei vermiculis ſat ſimiles, nidulantur in inteſtinis craſſis, extremis plerumque; in vaginâ etiam, aït *Stoll*; indè maximus ardor, teneſmus ad alvum & fluor albus puerorum ad urethræ orificem. His ce vermibus qui ſemper copioſi ſunt ſumma & maxima ineſt agilitas.

Lumbrici rotundi ſeu tertes colore albo, craſſi inſtar ſpicæ frumenti ſunt; terreſtribus fere ſimiles. In inteſtinis tenuibus ſtabulantur, & aliquandò ventriculum ſubeunt, ita ut interdum per os rejiciantur. Familiares ſunt pueris & puberibus undè etiam vermes puerorum appellantur; aliquandò ſeptem vel octo æquant pollices; ſubindè in glomere collecti, alvum penitùs obſtruunt.

Inter varios vermes qui in corpore humano paraſitice vitam agunt, lati ſive tæniæ certè mirabiles & ſtupendi haberi poſſunt. Vermis iſte falſo dictus ſolitarius, ſenſim minuit latitudine ad unam extremitatem ubi maximè gracicis eſt. Variæ ſunt ſpecies (1). Nonnullis

---

(1) *Duas tantum ſpecies nobis aſſignavit illuſt. prof.* Gouan, *quarum una tantum latere uno ora gerit, altera vero duobus*

tæniæ articulationibus inter ſe cohærent magis aut minus junctis ſecundum ſpecies; ſingulæ iſtæ articulationes cavitate veluti ore in medio aut lateribus donatæ videntur. Plurimis perſuaſum fuit tæniam ex cucurbitinis ob figuræ ſimilitudinem cum ſemine cucurbitæ efformari. Iſtæ verò productiones pertractæ facile disjunguntur. Motus eorum eſt veluti undulationes. Inteſtinorum parietibus ſeſe cohærent, itaque difficilimè præcipitantur. Sæpè una ex partibus vermis in putredinem venit, & cum per excrementa, tum per medicamenta ejicitur. Tænia per totum inteſtinorum tractum extenditur; attamen adhuc ignoratur quam longitudinem aſſequi poteſt. Plurimæ viſæ fuerunt quatuor, quadraginta, ſexaginta, & quinimò trecentas aulnas æquantes.

Duas alias ſpecies vermium inteſtinorum, addidit *Roſen*, ſcilicet *aſcaris Lumbricoïdes Linnei*; ſæpè confunditur cum terte; *Gordius*

---

lateribus. Hinc ſæpè medicamenta nil proſunt, ſi tænia ſtricte ora uno tantum latere applicat contra inteſtinorum parietes, moritur verò ſi ex duobus lateribus ora gerat, tum enim ſingulis oribus non occultatis contra inteſtinorum parietes, venenum undique excipit. Hinc ſolutum eſt problema ab Hallerio, D. Gouan, *propoſitum :* Cur, ſcilicet tænia facilè ſuffocetur quibuſdam remediis, dum aliquandò eorumdem omnem vim effugiat.

quorum deſcriptionem fecit. (*Vid. malad. des enf.* Sunt etiam *Trichurides Rhœdereri* : tenuiſſimi vermiculi, exacte filum ſeu capillum referentes. Vidimus in colo, aït *Stoll.* Plurima ſunt etiam inſecta quæ paraſitice in homine vivunt; *Sic pediculus humanus*, *pediculus pubis*, *pulex penetrans*; ova in variis corporis partibus deponunt. Plurima ſunt exempla larvarum inſectorum in cavitatibus corporis humani repertarum, v. g. in ſinubus frontalibus, & in aure (1).

Circumſtantiæ ad vermium generationem maximè idoneæ.

Optimum eſt ut de circumſtantiis quæ magis ut evolvantur vermes requiruntur, dicemus. Ratio habenda eſt ad ætatem, regimen, temperamentum, & aëris conſtitutionem.

Ingratiſſimi corporis humani hoſpites indiſcriminatim in omnibus ludunt tragædias. Epidemia enim ingruens incolarum modo affligit tenuiſſimos, mediæ conditionis & altioris ſortis; nec intacti manent tænior ætas, ſexus, ſenes, adoleſcentes, ætatem denique, nec hominum conditionem reſpiciunt vermes. *Vanden - Boſch.* Quandò autem primùm in corpore ſtabulantur,

---

(1) *Vid. D.* Dorthes *quæſt.* 7, *ex duod. pro cath. vac. an.* 1790.

pueri & juvenes mox illos ſentiunt, juxtà *Roſen*. Adulti contrà, quum corpore robuſto donentur, craſſiorque mucus in inteſtinis eorumdem diffluat, & ſenes quorum viſcera majori irritabilitate indigeant, vix intùs paraſiticè illos hoſpitare animadvertunt. (*Malad, des enf.*)

Familiaris eſt præcipuè animatæ colluviei præſentia iis quibuſcumque virium digeſtivarum debilitas, & debilis corporis habitus (1) iis quibus frequens uſus eſt ciborum pravi generis, ſubſtantiarum, ſuccorumque peccantium & pituitoſorum maximè vermibus faventium. Sic primariam quaſi habuit cauſam, *Vanden-Boſch* morborum verminoſorum in Hollandiâ epidemicè ſævientium, pravam vivendi normam. « Incolæ hujuſce regionis capturâ piſcium, » & terræ munere agros colendo veſcuntur; » & qui labore aſpero ætatem terunt, vitam » agunt otioſam tempore brumali. Tunc plu-

(1) *Qu'un homme fort & un homme foible*, *dit* Roſen, *prennent un même aliment où il y ait de la ſémence de vers. Dans le premier le mouvement & le ton des viſcères la précipitera, au lieu que dans le ſecond elle reſtera agglutiné au mucus dans les inteſtins, ou dans les poches & replis, vu la foibleſſe du ton des inteſtins ou de l'eſtomac, à moins qu'elle ne ſoit entraînée par une boiſſon copieuſe d'eau bouillie, ou par beaucoup de mouvement dans le travail. (malad. des enf. pag.* 378).

» rimùm lacticinia, farinoſa, pultacea, ſolana-
» que tuberoſa eſculenta, carnesque & lardos
» ſalitas in cibum recipiunt. Piſcatores tamen
» piſces navibus advectos tradunt mercatori-
» bus qui exemptos piſces foris Hollandicis,
» Brabanticisque exponunt. Quandòque ta-
» men contingit ut ruſtici non admodum re-
» centes & mortuos avidè in cibum eoſdem
» vertunt; quo & recenſito cibi genere, ven-
» triculum & primas vias ad glutem produ-
» cendum ſpontaneum, indèque oriundam
» putredinem, admodùm diſponunt. Peſſimus
» inſuper invaluit mos, ut cibis vix deglutitis,
» calidâ potione theæ mox inundent aſſumpta;
» qua etiam ſi putreſcibilis ingeſtorum indoles
» ſupprimi poſſe videatur, vim tamen ventri-
» culi coctricem & inteſtinorum in ingeſta,
» valdè debilitant, bilemque enervant, ſeſe-
» que ad verminationes valdopere aptos red-
» dunt. Hiſt. conſt. epid. verm. §. XX.

Infantilem ætatem maximè aggreditur ver-mium peſtifera lues, quod certò pendere videtur ab ejus conſtitutione totâ mucoſâ & pituitosâ quæ mirum in modum hiſce interaneis animalculis, fovendis, nutriendis, augendiſque arridet. Viget etiam apud infantes corporis & organorum digeſtivorum debilitas.

Pituita inter corporis humani humores nidum aut materiem in quâ commodè foveri poſſunt, potiſſimùm vermibus præſtat; indè fit familiare eorum connubium cum morbis pituitoſis; præſentia etiam eorum frequens quibus ad pituitam vergit temperamentum; &

ſemper vigent quotieſcumque occurrunt cauſæ diatheſis pituitoſæ productrices.

Accedit his atmoſpheræ conſtitutio ; nam per humidam & frigidam cœli temperiem viget diatheſis verminoſa. Regio in quâ imbres copioſæ, & fluminum inundationes frequentiores fuerunt, cum aëre frigido & humido, maximè animata potentia verminoſa infeſtatur. Ad finem autumni, ineunte hieme frigido & humido, potiſſimùm generantur vermes, eo quod tunc præcellat maximè diatheſis pituitoſa, & corpus abundet ſingulariter majore humiditate peccante & viſquosâ ad corruptionem diſpoſitâ, & ad vermium generationem aptiſſimâ, tempeſtatem enim humidam ad febres putridas producendas aptam exiſtere uberrimè adnotavit *Hippocrates*, & magnum calorem multo cum imbre malignas febres & peſtilentiales præceſſiſſe obſervavit. Sic viri præclarâ eruditione inſignes, *Galenus*, *Hoffmanus*, *Sennertus*, *Lanciſius*, *Mead*, aliique lumbricos & vermes iiſdem de fontibus ortum trahere noverunt, hinc ſimul intelligitur, aït *Vanden-Boſch* cur vermes malignis febribus imò & peſtilentialibus ſæpiſſimè ſubſint. Aſt autem vermes bacchari poſſunt in omni regione, omni tempeſtate, & quâcumque conſtitutione, & nullo modo negligendi ſunt.

Animatæ colluviei diagnoſis.

Furit tantâ cum ſtrage in corpore animata potentia, ut variis diverſis & ſemper ſtupendis

ſymptomatibus locum det. Plurima familiaria ſunt cum aliis morbis, & interdum per auctis difficilimè cognoſcitur diagnoſis. Nam quum ſua morbus quilibet habeat ſymptomata patet animatam potentiam in ægrotantibus hanc intùs foventibus, præter communia ſymptomata, peculiaria quædam per varia morborum genere obvia ſyſtere. Inter hæc præcipuè occurrunt *febrium typi inconſtantes*, viciſſim alternantes, vel duplicatis paroxyſmis accedentes, diùque protracti; *ſudores copioſi colliquativi rarò critici*; *aphtæ*; *exanthemata ſerina*; *hemorragiæ ſpontaneæ*, variarum partium *dolores acerbiſſimi & ſpaſtici* indèque multifarii effectus, qui tot novos ferè ex morbis morbos concitare ſolent. *Vanden-Boſch.*

Animadvertuntur etiam cum verminosâ lue, cardialgiæ, diarrhææ, dyſſenteriæ, plurima quæ in abdomine pathemata, ſtranguriæ, calculo dolores æmuli quorum exempla ſæpiùs obſervare datum eſt. Hinc omnibus patet, quantâ cum ſagacitate ſe gerere debet attentus medicus in perſcrutandis variis morbis, ut ipſius artem non ludant ingrati corporis hoſtes. Rectè præcepit *Andry*. « On n'examine pas aſſez » s'il y a des vers dans les maladies : de là » vient que pluſieurs perſonnes tombent quel» quefois en langueur, & meurent ſans qu'on » en ſache la véritable cauſe ». (*De la génération des vers*, *tom.* 1, *pag.* 339).

Inter animatæ colluviei pathognomonica ſigna, ex quibus vermes in corpore adeſſe jurare licet, illa numerantur ſequentia. Atroces ca-

pitis

pitis dolores, naſi pruritus, vultus colore modo rubro, modo livido. In pueris præ ertim vermes adeſſe datur, ſi genæ eorum interdum rubra ſint. (*James*, *dict. de med.*) Lacrimantes oculi, flammei, circà illos ſemi circulus lividus, pupilla dilatata aurium tinnitus, lingua fuſei coloris, arida, nigris ſucca inciſuris (1). Obſervatur etiam linea peculiaris albeſcens à baſi linguæ ad apicem tanquam filum protenſa: ſtridor dentium, inter dormiendum anxietas, leves convulſiones, agitatio, vociferationes inſomnia, & repentinus ad ſomnum reditus. Salivæ aſſiduus effluxus, ciborum averſio, & plerumque vorax appetitus. Oris halitus fœtidus, gengivarum ardor, aliquoties ſitis inexplebilis. Vomitus, nauſeæ, thorax conſtrictus, dolor pungitivus, lacerans præprimis circà umbilicum. Abdomen tumidum, borborygmi; alvus inordinata; modò diarrhæica & fœtida, modò ſuppreſſa; ad anum magnopere graviſſimus pruritus, leves dolores colici, per vices, inopinanter redeuntes, ſubitò ceſſantes.

Accedunt his ſudores repentè orti & frigidi, ſæpè ex omnibus membris. Macies, maraſmus, triſtitia, vaga laſſitudo. Pulſus intermittens, parvus, frequens, inordinatus,

---

(1) *Ex iis*, *inquit* Vanden Boſch, *communiter feliciterque de vermium præſentiâ vaticinatus ſum. Hiſt. conſt. epid. verm.* § LXXXI.)

urinæ jumentoſæ, palpitatio cordis, convulſiones veræ & perfectæ, ſingultus, tuſſicula ſicca; ſed nullum datur vermium pathognomonicum ſignum, niſi vermium aut partium vermium excretio. Ad ſigna autem diagnoſtica referenda ſunt etiam, cœcitas, ſurditas, inteſtinorum roſio, perforatio, humorum eſuries ob defectum chyli. Etenim ſubtractio nutrimenti, maciem, pallorem, debilitatem, atrophiam creat. Invaſio vermium in abdomen, undè naſcuntur vulnera ventris, irritatio deniquè quaquaverſum ſe extendens omne genus affectionum ſpaſmodicarum inferre poteſt. Hinc circuitus humorum turbatus, animi deliquium horripilatio, dolores varii, febris, vertigo, inſomnia turbulenta, terrores, deliria, aphonia, paralyſis, apoplexia, motus convulſivi præſertim, atque inſultus epileptici omni modo mirabilis.

Differunt autem maximè ſymptomata in verminantibus, prout in variis corporis partibus nidulantur vermes. In ventriculo; v. g. fiunt nauſeæ, cardialgiæ, ſyncopi, agitationes in omni corpore, ſtridor dentium, deliria. In parvis inteſtinis: excitant tracheas, dolores mordicantes circà umbilicum. Voracem ſæpè appetitum, abdominis tenſionem; in recto tandem: moleſtos pruritus, corroſionem & teneſmum ferè continuum. Differunt etiam ſecundum debilitatem aut robur verminantis, & animatæ colluviei naturam. Symptomata, (*inquit James*) graviora ſunt ſuprà meridiem & veſpere, quia tunc vermes corrodunt &

deſtruunt inteſtinorum canalem in quo nullum adeſt alimentum.

Symptomata profectò verminântium in ſecretorum humorum depravatorum quidem copiâ, ac viſcerum ſecernentium vitiatâ ſtructurâ; vermium ſuctu, reptatione, atque cadaverum eorum putrido liquamine & partium ſenſibilium, irritabiliumque à vermibus affectione, quærenda, *Vanden Boſch.* Quinimò in magnitudine eorum & copiâ; indè vorax appetitus laborantium. In mole & conglomeratione, indè obſtructis inteſtinis, colicæ, venti. In translatione ex viſcere in aliud, in materiâ eorum perſpirabili & excrementis; hinc cum chylo putrida mixtura, poſteà cum ſanguine. Omnium humorum depravatio, morbi lenti, dyſſenteriæ, & febres malignæ. *Roſen.*

Inter ſymptomata quæ ſuperiùs exploravimus, pleraque communia ſunt tribus vermium ſpeciebus, quædam verò peculiaria. Sic in cognoſcendis aſcaridibus, apparent alvi pruritus & narium, anxietas, animi deliquium, alvus ſæpè ſtricta & difficilis, affectus ſpaſmodici.

Lumbricis familiares ſunt dolores pungitivi, tracheæ frequentes, nauſeæ, vultûs palor, oculi poſt cibos flammei, fixi, lacrimantes, pupilla dilatata, halitus fortis, labiarum motus peculiaris, & aliquando in abdomine ſubſultus.

Latis verò vel tæniis ſymptomata graviora & intenſiora apparent. Sic v. g. ciborum vorax appetentia, undulоſus in corpore quidam motus, vehemens ſuccio in corpore, mulierum menſium ſuppreſſio; cum alimentis dulcibus

utitur ægrotans, ad partes ſuperiores ſæpè tendit, ad inferiores autem, cum acida deglutiantur. Acerbæ circa lumbos affectiones, vocis interdùm privatio. Partium verò ſectarum excretio, eſt ſignum certiùs. Producunt frequentiſſimè tæniæ dolores chronicos & mortales, causâ nondùm cognitâ.

Quoad vermium prognoſim ſemper in omnibus morbis mali ſunt ominis, nam portentoſi eveniunt effectus. Tænia difficilior ad fugandam habetur. Si vermes per excrementa mortui ejiciantur (ait *James*) ſignum eſt maximè periculoſum, nam putredinem nuntiant, per medicamenta verò adhibita bonum. In febribus acutis, (*addit idem Auctor*) vermes per os dejecti, mortem indicant, præprimis ſi halitus ægrotantis foret frequens & frigidus; « mais ce n'eſt pas un uſage infaillible, *ajou-*
» *te t-il encore*, car pluſieurs de ces fievres ont
» été guéries par l'expulſion des vers par la
» bouche.

Methodus adhibenda ut ab animatâ colluvie liberetur corpus.

His omnibus præceſſis, ſanè videtur quanta urgens neceſſitas infenſos corporis humani hoſtes aggrediendi, incumbit Medico qui tot variis caſibus medelam etiam variam accommodare debet. Singula autem remedia adminiſtranda ſunt cautè, tempore debito, ordine quodam. « Judicio autem opus eſt, ait *Vanden Boſch*,
» quo debitus fiat inter tot numeroſa pharmaca

» ſelectus, ac cum ægroto, ejuſque ætati; » ſexui, vitæ generi, atque idioſyncraſiæ pe- » culiari, tùm anni tempeſtati & morbis pu- » blicè graſſantibus convenientiſſima ſimul » etiam & prudentiſſima adminiſtratio.

Sic equidem antequàm adminiſtrantur ſingula remedia contrà animatam potentiam, & ut indiſcriminatim uti auxiliis non liceat, plurima ſuo jam tempore pulchrè indicavit *Aëtius Amidenus.* « Quum ambigua adhuc affectio exiſ- » tit & rationabilis quidem ſuſpicio adeſt, » incerta tamen, neque planè comperta, mi- » tioribus ſanè remediis uti oportet. Ab acrio- » ribus enim febres magis exacuuntur, ſi af- » fectionem falsò habuerimus ſuſpectam : ubi » verò conſtans ac evidens cognitio contigerit, » ad tempora morbi animum attendere oportet. » Ad eos enim qui circa primas horas naſcun- » tur, acrioribus remediis eſt utendum, & » magis utique ſi juxtà declinationem totius » morbi apparuerint. Eos verò qui vigente » morbo apparent mitius curabimus : atque » ideò magis, ſi inflammationes & intenſiones » viſcerum concomitentur, &c. (non minùs » nervosè inculcavit *Hoffmannus*,) errorem hic » Medicorum vulgarem notandum eſſe, quod » ſine diſtinctione temporum & individuorum, » plerumque ſtatim ad expellendos ingratos » hoſpites, acria purgantia, vel etiam cali- » diora alia propinent cùm ſæpiſſimè indè fiat » exaſperatio, tantum abeſt ut auſpicatus ef- » fectus indè ſequatur.

Primi dolores, antequàm penitùs expellantur vermes per majora remedia, liniri poſſunt, ſecundum *Roſen*, per libram unam lactis calidi recenter emulſi, vel per leve vomitorium apud infantes, confectum ex hypecacuanhâ, aut grano uno tartari ſtibiati cum triginta granis ſachari trito, in lacte calido aut aquâ per quietis momenta adhibitum. Primùm emetica, ſiniſtris effectibus procreatis, veniunt ad purgandas primas vias, & poſteà remedia corroborantia dantur. Illa methodus contra aſcarides à *Sello* adhibita fuit. Tartarus emeticus fractâ doſi ſolvit mucum vermibus faventem; aſt verò ſi materies ſpiſſior & tenax, priùs ſolventia, ſcilicet oximel cum ſale neutro propinantur.

Mercurialia magno cum ſucceſſu à Practicis fuerunt commendata; mercurius vermes fugabat, *ait Baglivi*. Mercurius dulcis noxius, ſecundum *Vagl*. ubi jungitur febris; bis ex paucis tantùm granis, ſequitur magna ſalivatio. Præſtat verò juxtà *Vandenboſch* mercurium dulcem purgantibus nubere, & ad vim ejus infringendam camphoram ipſi addere. Viribus fractis, multum juvaminis percipitur ex decoctione unciæ unius mercurii in librâ aquæ cum melle per clyſmata. Lumbrici nimirùm prodierunt vivi ferè ſemper clyſmatibus & emollientibus illecti, raro mortui. Mercurius tamen in corpore injectus, vermes quandòque enecat, quandòque tantùm expellit.

Inter anthelmintica efficaciſſima remedia;

ſunt olea tracheas obturando (1) & inteſtinorum parietibus firmam eorum adhæſionem impediendo. Pollent præſtantiſſimâ virtute in alvinis doloribus, inque aliarum partium ſpaſmodicis conſtrictionibus, adque vermes ipſos enecandos. *Foreſtus* Summâ cum laude oleum olivarum cum ſucco granatorum exhibuit. Potiones oleoſæ præſertim ricini & amygdalarum dulcium efficaces habentur. Atroces colicos dolores excitant quandòque vermes dum inteſtina rodunt. Non rarum dolores illos ſubitos ceſſantes videre eſt, ſi fomentationes ex abſynthio, illinitiones ex oleo gallicè dicto *huile de gabian* adhibeantur (2). Ad placanda ſymptomata, infantibus ſæpe duo vel tria cochlearia amygdalarum dulcium manè dantur. Plurimi oleoſa reformidabant, alii in uſu continuato perſiſtere nolebant. Vigente inflammatione noxia ſunt, nam tunc ſi in primis viis ranceſcant, inflammationi intenſiori locum dant.

Aliquandò ſunt caſus ubi quidam morbi verminoſi, ſimplici purgante medicamento, feliciſſimè curantur, ſilentibus poſt emiſſos lumbricos ſymptomatibus. Ità animadvertitur in diarrhæâ verminoſâ, præter terreſtria cum rhei vel corticis peruviani tantillâ quantitate, vix alia defi-

---

(1) *Lumbricos immiſit* Baglivius *in oleo amygdalarum dulcium, ſequenti die erant adhuc vivi, ſed torpidi & languidi.*

(2) *Vid.* D. Goguet, *quæſt. ſexta ex duod. pro cath. vac.* 1790.

derari, ſed tunc nidus vermium ſolvitur, vermeſque ipſi inteſtina perreptantes occidantur. Mucus verò adeò copioſus eſt, ut in eo ſepulti jacentes ſuffocantem oleoſorum ipſam vim non experiantur vermes; in iſtis caſibus adhibebat *Vanden Boſch* nauſeoſa & leniora emetica, ut potentiſſimè animalcula inteſtinorum exagitari, atque inteſtinorum contractionibus è loco ſuo aptè moveri queant, purgantibus poſteà forâs educenda. Ita & fortiora purgantia à ſuperiori memoriâ egregia an helmintica habita ſunt. Sic ut minimo exiſtente vermium nido, animalia nudiora faciliùs remediis lædentur, præcipuus uſus erit helmintocorton & coralinæ offic. helmintocorton ou *mouſſe de Corſe* frequentiſſimè imperatur contrà vermes, in pulvere redactum cum melle vel in infuſo vel decocto. Feliciter etiam adhibetur cum catharticis maritatum. Sæpè illius ope ſingularis educitur materiei glutinoſæ vermibus ſcatentis copia, valeriana phû laudatur in motibus convulſivis à verminosâ colluvie pendentibus, præſertim nupta cum tartaro ſtibiato ad granum unum, vel in pulvere redacta cum hypecacuanæ radice.

Sæpè in putredine bacchatur animata potentia, tum deprehendenda acida mineralia, diluta, correcta; ſic accidit, ut egregias facultates elixiris vitrioli in ſummè periclitante experiri licuerit. Ubinam apparent ſubitanea debilitas, languor, pulſuſque vacillatio, cæteræque putridorum ſpaſmodicæ affectiones, inſerviunt optimo uſui extemporaneum elixir vitrioli, tinctura cinnamomi & corticis peruviani qui

mira adeò præſtare ſolet in laxa alvo cornui cervi uſto, & rheo quandò ſtrictâ, ſociatus. Oleum vitrioli, & vinum aliquandò maximè contrà putredinem utilia fuerunt, ſed vinum cautè adhibendum eſt. Convenit etiam kina cum ferociori orgaſmo putredo major ſuccedit, ſic *Vanden-Boſch* nigricante linguâ, exacerbatis nervoſis ſymptomatibus, & apparentibus ſignis putredinis humorum admixtæ, confugiebat ad corticem, quam acidis mineralibus miſcebat, ſi major & adhuc ſupererat orgaſmus. In febre gaſtricâ, verminoſâ, ſimulque putridâ, ſub primâ periodo efferveſcente ſanguine, abſtinendum erit ab anthelminticis calidioribus, ſed nitrum, acida locum habent, quibus, ut vermibus conſulas, helmientocorton junges.

Incomparabilis eſt acidorum uſus in verminantibus. Præter acida vegetabilia oleum vitrioli cum fructu uſurpavit *Diemerbroeckius*, & vidit illud non modò putredines, omneſque corruptiones tollere, verùm etiam lumbricos, ventriculi & inteſtinorum enecare ac conſumere, & talibus malis infeſtatos ægros etiam deſperatos ſæpè præter expectationem reſtituiſſe. De acidis judicium tulit *Riverius*. « Acida enim » omnia vermes enecare, notiſſimum eſt. Hinc » ſuccus limonum ad hanc rem utiliſſimus eſt, » & in potu ordinario aqua ſpiritu vitrioli aci» dula reddita, in hoc effectu mirabilis eſt. » Quandòque juxta *Van Swieten*, in febribus » acutis, putridis, continuis, acidi ſpiritus » ex ſale marino, nitro, ſulphure, vitriolo » igne expreſſi adeò proſunt.

Felici cum ſucceſſu in auxilium etiam vocantur amara ; abſynthium ſcilicet , centaureum minus , ſcordium rhea , cichoreum ſylveſtre , polygala , & præſertim quæ purgante pollent virtute , v. g. aloës , rhabarbarum , ſemen contra , colloquintium ; camphora nota eſt quæ inſecta lædat aliundè ſpaſmos tollere potens eſt. Meretur camphora laudes apud febricitantes , præſertim æſtum febris non accendat inſtar amarorum mercurii & plurimorum aliorum anthelminticorum. Generatim aromatica amara , opium nempè , kina kina , ſemen ſantonicum , quorum ope enecatis vermibus , citò foras ejicientur. Deindè ſub actione catharticorum , proſunt. Ad enecanda autem interanea animalcula per ſpecifica media , (ſi ſint) optima ſunt inter gummata , opponax , myrrhum , aſſa fœtida quâ corrigitur etiam verminoſa diſpoſitio ; inter plantas taneſia , ſercidium , abſynthium & variæ ſubſtantiæ quæ per odorem ſulphuroſum & fœtidum neci vermium maximè ſavent. Hâc ipsâ de causâ ſummè nocent halitus camphoræ ; ſulphur , alium & cepa præſertim contra vermes magnoperè utilia ſunt , nam quibus his ſingulis ſtimulantur , tumeſiunt & pereunt.

Salia quævis incidentia , vitriolica , metallica , metalla ipſa , anthelminticis ſpecificis , purgantibuſque nupta , peculiari morborum & ægrotantium conditioni & ætati accommodata , ad enecandos , expellendos vermes conflari poſſunt ; uno quaſi impetu inteſtinorum animalcula, foras extrudunt poſt aſſumpta fortiora purgantia , minimè , ait *Vanden Boſch* vituperandus

mos eſt, magnam aquæ frigidæ copiam imperare, quod & ſecurius adhuc aquis mercurialibus, vel extentioni metallorum, ſi idoneis viſceribus propinantur, fieri poteſt. Pilulæ etiam Hoffmanianæ clariſſimè elucefcunt.

Bilis ſtatu naturali gaudens ſingulariter vermibus adverſa cognoſcitur; illam nempè anthelminticam noverat *Hippocrates* qui fele taurino contra vermes utebatur. Bilis verò vappida, copioſa, depravata vermibus favet; itaque ubi in malam abit hic humor generationem, evacuantia imperanda ſunt. In his caſibus creberrimè ac feliciſſimè fuit uſus mixtura ex ſale polychreſto, rad. rhei electi & valerianæ ſylv. vel pulveres tantum per ſe, mane ad pondus drachmæ unius, vel minori quantitate. Amaricantia etiam adhibentur, rhabarbarum ſcilicet, quod ait *Duretus* : « Purgat chyloſum excre-
» mentum, & tollit materiem cui vermes qui
» feruntur in morbis, ſiniſtri judicii metum af-
» ferunt. » Inter purgantia præſtantiſſimum eſt, quod etiam juxta *Riverium* præſenti a vi fluxui & febri convenit; ferè tam in mucoſis quam bilioſis & verminantium morbis, evaſit hocce medicamentum, & ad alvum ducendam ſatis validum. In frigidis ac valdè pituitoſis jungi poteſt huic tinctura aſſæ fœtidæ & oximellis ſcillitici & ex aquis abſynthii, cochleariæ, raphani ſimplicis. Ægrotis etiam profuit medicamentum ſecundum *Storck* ex pulvere rad. jalappæ, valerianæ ſylv. & ſal. polychreſti drach. cum unciis quatuor oximellis ſcillitici, vino addito; aſt verò ſi ægroti qui primum medi-

camentum aſſumunt, in continuos vomitus agitentur, gratiola maximè utilis eſt. Oximel ſcilliticum ingentis eſt adhuc utilitatis in clyſmatibus, cum tinct. aſſæ fœtidæ ex decoctione corticis peruviani, abſynthii, ſcordii, tanaceti. *Vanden Boſch.*

Adhiberi poſſunt topica remediis internis. Optima ſunt epithemata confecta ex abſynthio, aloë, colloquinte, ſucco centaurei minoris ſuper regionem epigaſtricam & umbilicalem. Frictiones magnoperè laudantur ſuprà abdomen, cum oleis abſynthii, rutæ, menthæ, hyperici.

Hæc omnia remedia ſuprà numerata generatim adversùs lumbricos, aſcarides & latos conveniunt; ſed plurima peculiaria ſunt. Aſcarides expelli queunt lacte calido cum ſale per enemata, aut aquâ acidulâ, aut unâ ſemi drachmâ rhei & cinnabri interiùs ſumptâ. Doctor *Heberden* hocce ultimo cum medicamento eduxit plurima flegmata viſcoſa cum ovibus ſimul & etiam aſcaridum copia. Non tantùm valet rhabarbarum ſolum; uncia mercurii, ait *Roſen*, cum melle ebulita in librâ unâ aquæ per enemata, proſperos ſucceſſus habuit. Duplici poteſtate quædam medicamenta agunt, nimirùm ſolvendo & purgando; quæ proprietas præſertim aloë ineſt, idcircò à longâ memoriâ, ait *Vanden Boſch*., ad turbandos & expellendos lumbricos uſitata. Suppoſitorium ex ſapone veneto, lardo, utiliſſimè contra aſcarides adhibetur.

Quoad verò tæniam, omni tempore ſpecificum remedium ab omnibus Practicis quæ-

ſitum eſt. Ægrotantes valdè cruciantur cùm ad illam educendam ſolliciti ſunt Medici. « La » choſe ſeroit aiſée, dit *Roſen*, ſi nous con- » connoiſſions un moyen de l'attaquer, ſans » attaquer en même temps l'eſtomac & les » inteſtins. Dès qu'il eſt une fois mort, il ne » peut plus enfoncer ſa tête ni ſes canaux ab- » ſorbans, il ſe précipite avec les ſelles. Le » grand point eſt de lui faire lâcher abſolu- » ment priſe. » (*Maladies des enfans.*) Obſervaverat idem Auctor, in aquâ frigidâ quaſi mortuum ſtare, & ſi paulò poſt in tepidam immergebatur reviviſcere; et dùm tæniam expellere tentaret, medicinæ purganti multam aquam frigidam ſuperhibere jubebat; quod curationis genus feliciſſimum ſæpiſſimè etiam adversùs Lumbricos ipſe uſurpavit *Vanden-Boſch.* Remedium *Herenſchwadi* per plurimos annos contra tæniam feliciſſimum habitum eſt. Sed ſemper felices non habuit ſucceſſus. Obſervatio docuit adversùs tæniam uſum acidi vini, aſſæfœtidæ, extractus abſynthii (1). Alium ſemper funeſtiſſimum fuit tæniæ. Oportet ut per medicamenta interiùs capta in præcipitem detur, &

(1) *Clar. Prof.* Gouan *hypecachuanæ & julepi antihelmintici adminiſtratione, ſanitatem reſtituit præfecto exercituum ruſſo qui, talis remedii ope, tæniam latam cum membranis evomuit, quam jamdiù in ventriculo volva membranacea involutum gerebat, ſenſationem ſphetæ mobilis ei communicantem.*

cathartica poſteà adhibenda ſunt quæ magnopere agitant & fatigant, & tandem tentandum eſt penitùs illum expellere vermem cum pulvere jalappæ uſque ad duodecim & viginti grana cum ſaccharo. Sequente die doſis iteratur & augetur, ſi opus ſit. Intrà ſellas bibenda eſt aqua frigida. Coralinam officinalem & polypodium filix, ou *fougere mâle* adversùs tæniam uſurpavit *Hippocrates*. Radix filicis maris, adjuncto purgante etiam adhibetur. *Stoll.*

Interdùm ita accidit ut medicatiſſimæ res induſtriam exercitatiſſimorum Medicorum fruſtrare valeant. Caûſam acutiſſimè indicavit *Baglivius* : « lumbricos frequenter abſcondi in » cavitatibus inteſtini coli, ad quas cùm inter» dùm difficulter perveniant medicamenta : » idcircò nil mirum, ſi non raró ex optimis » quibuſcumque remediis optimos ſucceſſus non » habere ? » Caveant igitur, præcepit *Vanden-Boſch*, « juniores Practici, ſingulari tantùm » formulæ, utut decantatæ, nimis fidere ; vel » eadem omnibus & ſingulis verminantium » ærumnis mederi velle.

FINIS.

ANNOTATIONES
QUÆDAM
CIRCA
VIRES NATURÆ MEDICATRICES;

AUCTOR,

IGNATIUS-LUDOVICUS PARRA, è loco Sancti-Illidii, partitionis *du Cantal*, liberalium artium Magiſter, & jam-dudùm medicinæ Alumnus, pro trimeſtri januarii anni 1792 & Libertatis quarti.

Pro baccalaureatus gradu conſequendo.

Optima medicina interdùm eſt medicinam non facere. HIPP. *de articulis.*

MONSPELII,
Ex Typis TOURNEL, patris & filii, Univerſitatis medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

1792.

PROŒMIUM.

SI medici officium ſit, ut naturæ votis obſequatur, veſtigiiſque inſiſtat, quanti ſingulas naturæ agendi facultates, varioſque morborum propugnatrices callere modos ejus interſit, perſpectè patebit. Medicus enim humanitatis potiùs tortor, quam infirmitatum levator erit, ni in morbis profligandis, quid à naturâ, quid ab arte ſpectandum ſit, mutuos utriuſque limites, quia impunè perfringi nequeunt, reciprocos conſenſus, quia periculosè permiſcuntur autoritates tandem relativas quia eas ſimul agere plurimi refert, maliſque ægrotantium rebus ſibi invicem opponuntur, cognoſcat. Sed horum-ce erit inſcius, ni quid ſibi relicta valeat natura, animo teneat.

Doctrinam ergo in naturâ perdiſcat ſcientiæ cultor iatricæ, ſacros ejus attentè volvat codices, ſi fortunatos concupiat exitus. Medici enim de humano genere bene meriti irritas conſpuerunt theorias, experientiæ & obſervationi œconomiæ phœnomenorum animalis, ex quibus artem theoricam ſimul & practicam

hauſere, tantum conſulentes (1). His ſuffulti ſolidam perennemque conſtruxerunt doctrinam, quia conſentaneis, naturæ, veritatis, ſimplicitatiſque legibus, innititur fundamentis, & quidquid hoc triplici induitur ſignato, dirimi unquam ac everti nequit.

Ex illius doctrinæ principiis, natura in ſingulis operatur morbis, pleriſque medetur, ac in illis etiam quibus multæ ars ineſt utilitati, permagnè agit. *Natura morborum medicatrix*, [2] ait *Hippocrates*; & quiſnam ſapiens hoc

---

(1) Quid aliud egerunt, inquit *Freind*, viri ingenio & doctrinâ præcellentes, illis inſtaurandæ medicinæ inter *Græcos* & *Arabos* principes? Quàm ſibi propoſuerint ſtudiorum metam, niſi ut id ipſum intelligerent naturam ſequi, ita tamen ſequi, ut arte eam, ubi opus eſſet; inflectere & regere poſſent. *De purgantibus* pag. 134. Nonne ſic egerunt *Sydenham*, *Baillou*, *Boerrhaave* in praxi & alii; nonne ſic agunt illuſtriſſimi Monſpelienſis Univerſitatis Profeſſores doctrinam Hippocratis ſeu naturæ, tum ſcriptis tum quotidianis prælectionibus perilluſtrantes. Unde meritò legitur in parietibus hujus-ce lycæi. *Hic radios umquam ceſſat vibrare ſalubres.*

(2) Quando autem dicitur naturam eſſe morborum medicatricem, morbus conſiderandus eſt ex parte principii morbifici, non vero ex parte naturæ; nam ridiculum eſſet dicere naturam conatuum ſuorum medicatricem ſalutarium eſſe.

auſus erit denegare ? In vanum quinam nomine medici indigni, contraria autumnarunt; innumera *Hippocratis* ſententiam altè exclamant facta, inter quæ ſequentia tantùm explanabo.

Si plurima per ſæcula, hodiernis deſtituti acquiſitis mortales, noſtrâ longiorem, licet iiſdem aëris ac tempeſtatum intemperiebus, permultiſque neceſſariis obnoxii morbis, vitam egerunt. Nonne hæc confecit natura ? Si milleni graviſſimis laborantes morbis, omni ope, vel tantùm ab inſcitiis. præjudiciis-ve diſpenſato feliciter ſaneſcunt, orbati, nonne hæc confecit natura ? Si tandem multi ægrorum, laſſatâ arte, ſibimetipſi relicti convaluerunt, &c. quis mentis ſanus poteſtatem naturæ non agnoſcet, *Aſclepiadem*que & ejus ſectatores à naturâ digreſſos, propriùs ad errorem ſeſe accedere, negabit ?

Properamus : & ut noſtro inſit animo perſpicua diſtinctaque naturæ actionis in morbls notitia, morbum ipſum attente perpendamus; & ipſum vitale eſſe phœnomenon ab eodem ac vita pendens agnoſcemus principio. Morbus effectus eſt naturæ in principium morbificum agentis ; cum iſto pugnam perſæpè

victrix, conſerit (1), motuum ordinem functionumque conſtantiam evocatura *morbus eſt conamen naturæ quæ materiæ morbiſicæ exterminationem in ægri ſalutem molitur*, *Sydenham*.

Ducem autem naturam habeat medicus, eam tamen haud cæciter ſecuturus. Nam ſi prudens actioni ſæpiſſimè anteponenda ſit expectatio, haud raro etiam ſibimet ipſi gravi cum periculo permitteretur. Inſufficiens ſûi quandoque extat natura, opportuni egena auxilii, tuncque cum clariſſimo *Clerc*, exclamamus : *alors le témoin du combat doit y prendre part. L'art lui offre des ſecours ſans leſquels la nature ſeule ſuccomberoit. Dans ce cas la ſagacité du Médecin eſt la balance qui fait pancher la victoire de ſon côté.*

Sincerâ fateamur fide : quantacumque necnon proſpera ſit in morbis ſuperandis naturæ

---

(1) Duo manifeſtantur in morbis phœnomenorum ordines, alii nihil aliud ſunt quam conatus naturæ ſalutares conſervationes quærentis. Alii vero ab impreſſione principii morbifici pendent & ad mortem ſpectant. Undè antiqui pugnam naturæ cum cauſâ morbificâ morbum recte definiverunt.

actio, eam tamen pluribus emendandis patere erroribus, moda vividiorem (1), modo eſſe imbecilliorem (2), modo organa malè ſpectantem (3) agnoſcere neceſſe eſt. In primo caſu coercenda venit hæc nimia activitas, quia in ſe propria vertit arma; in ſecundo excitatione opus eſt; in tertio niſus avertendi ſunt partes ſpectaturi ignobiliores. Sed huic ſoli ars non tantùm dat operam; poteſt eſſe utilis, quin ſit neceſſaria. Licet enim natura morbificum, citrà artem proſtraret principium, ars huic auxilium rem faciliorem expeditioremque efficiens debet offerre; & cum naturæ niſus ac artis ſubſidia jacent irrita, morſque neceſſitatem fati habeat, medicus quandoque ægrotantis fata proferre, dolores lenire, floreſque, ut ita dicam, tumulo ſpargere valet.

Ex dictis ſinguli ſunt morbi vel ſolâ naturâ vel arti conjunctâ, ſanandi. Priori in caſu, ars adhuc naturæ victûs ratione &c. conducere

---

(1) v. g. in pleriſque morborum inflammatoriorum.

(2) v. g. in apoplexiâ, in morbis chronicis.

(3) Ut patet quando materies podagræ à pedibus ad ventriculum vel ad caput aſcendit, quandoque materies febrilis in morbis acutis v. g. in pleuritide pærupneumoniâ in cerebrum irruit.

poteſt, tuncque tantùm utilis eſt; in poſteriori, artis ſubſidio quo natura principium morbificum depugnare & ſuperare poſſit, abſolutè opus eſt, tnncque neceſſaria eſt; ſed in poſteriori adhuc ſuperior extat natura, cum ars tantum per illam agat & curet (1); remedia enim nullam in ex animo exercent corpore; tuncque ars licet abſolutè neceſſaria, ſolum ſecundariò agit.

Morbis ergo in profligandis, natura & ars ſtrictè ſunt conſocianda, eumdemque ſcopum ſpectanda; ſed ut petita percutiat medicus, alta ei moneat mente repoſta ſacra *Hippocratis* ſententia, *medicus naturæ miniſter non vero imperator.*

---

(1) Illa propoſitio undequaque inſpiciatur abſolutè vera eſt. In luxationibus v. g. ubi ars ſummæ ineſt utilitati, inutilis tamen fieret, ſi natura non ſanaret partes contingentes oſſis è loco amotis neceſſariò læſas.

Merentur autem ideo quoque accuratiùs perpendi, quando indubium eſt, artem medendi non prima ſolum inde cepiſſe initia; ſed ex his ipſis naturæ viribus ita inniti, ut ſine illis exquiſitiſſima cœterorum medicorum induſtria ne unum quidem ſervare ſanum ægrumve ſanare poſſit. iiſdem qui prudentiſſimè uti novit, artis faſtigium attigit. *Gaubius* inſtit. path. 294.

Certis conſtat argumentis, à naturæ phænomenorum obſervatione hauriendam eſſe medicinæ ſcientiam. Naturæ attentus ſtudeat medicus in pugnæ campum firmiter deſcenſuſurus. Sed lubrica eſt via, præceps & veprecoſa, lentoque ac difficili in hoc latiùs patente campo, illuſtriſſimorum judicio medicorum, intenditur gradu. Si enim naturam eſſe in ætate, ſexu, temperamento, climate, victus ratione, ſtudendam & habitudine, plurimas horumce partes vel ſcitè diverſas obſervatori offerre harmoges, vel acutiſſimo haud raro latitare, lentos ingenii progreſſus, & tenuitates, vitæ brevitatem, exploratam ſcientiæ notitiam medicæ, perpendantur. Ex his certè ut naturæ decenter ſtudeat patientiâ, raràque perſpicatiâ medico opus eſſe, artemque obſervatione tantùm ſuffultam perdifficulter ediſci, quiſque conſentiet.

Latiſſimæ dicendorum conſpectui totus jàmjàm contremiſco meoque major intellectu extat etiam leviſſima adumbratio; ſed animum confirmo, cum me propoſito theſim habere, non vero naturæ organum eſſe excogitem, pleniſque potiar votis, ſi in naturæ phœnomenorum deſcriptione, quibuſdam optatum lineolis deſignem propoſitum.

ANNOTATIONES

QUÆDAM

CIRCA

VIRES NATURÆ MEDICATRICES.

SI in animal vivum oculos conjiciamus, non tàm in ſtatu phyſiologico excellentiâ ac harmoniâ variarum ejus functionum, dependentiâ alias aliis ſubordinante, nec non conſenſu ac conſpiratione omnium, quibus mutuam ſibi opem ferunt, ut inconcuſſa remaneat ſanitas; quàm in ſtatu pathologico concentu conatuum in cauſas corporis integritatem lædentes irruentium, ut expellantur, damna ab iiſdem cauſis productis reſarciantur, tandemque ordo motuum denuò vigeat,

tota admiratio noſtra movebitur. Muneribus functionum in uno ſtatu ſic ordinatis, conatibus in altero, ſic irruentibus obſervatis, certè patet animal præditum eſſe principio vitæ activo, quod cuſtodis inſtar, ad omnia ea attendit quæ in corpore fiunt, ne machina deſtruatur.

Aſt tantâ valet certitudine illius principii exiſtentia, quantis abſconditur tenebris ejus natura, ita ut quiſquis, licet ingenioſiſſimus, ſe neſcire ſateri cogatur. Verum enim vero deficit ratio, deficientibus ideis (1); ſed nullam illius eſſentiæ ideam habere poſſumus, cùm tantùm ex effectibus ſuis hanc novimus & ſola effectuum obſervatio ideam eſſentiæ cauſæ eos parientis dare nequit.

Itaque inutilem illius principii eſſentiæ indagationem philoſophicam habemus. Annotamus ſolùm machinam noſtram propriis obſequentem legibus (2), nec phyſicis ac neceſſariis

---

(1) Vide Loke, de l'entendement humain.

(2) Movetur regnum animale principio attractionis, organiſationis & animaliſationis, regnum vegetabile, principio attractionis & organiſationis, regnum minerale à principio attracttionis tantùm: clariſſimus Dorthes.

convenientibus (1), cùm quiſquis motus vitalis organorum ſemper præſtantior ſit, actione omnis cauſæ mechanicæ, quam illi tribui poſſe veriſimile videtur Bàrthez; nec chymicis, ut patet in actu digeſtionis (2). Cæterùm ſit cum *Hippocrate*, calor innatus, ſit identicum cnm principio cogitanti, ut voluit *Sthal*, ſit ab animâ & corpore diſtinctum, ut contendêre *Pytagoras*, *Plato*, *Vanhelmontus*, *&c.*, & ut contendunt plures auctores hodierni; parvi nobis refert, cùm, qui diverſa de his ſentiunt, ad eamdem tamen ſanitatem homines perducunt, & vel medendi methodo etiàm convenire poſſunt; ſilentesque circà has varias opiniones, conſtituimus, ut omnes ſupponunt, exiſtentiam principii activi omnia in animali vitæ phœnomena parientis, quod cum *Hippoerate naturam* appellamus. Aſt quia ex ejus effectibus naturam novimus, ut eam cognoſcamus, agenti ſtudeamus.

In ſcriptis *Sthal* innumera leguntur argumenta, quibus, luce meridianâ clarius eſt, leges machinæ noſtræ non convenire legibus phyſicis, v. g. optimé probavit appetitum eſſe actum vitæ conſervationem corporis intendentis.

(1) Tranſmutatio v. g. principii affinitatibus chymicis explicari nequit.

E formatione animalis uſque ad ejus everſionem, omnia peragit natura, & omnes ejus actus ad duo præcipua, conſervationem nempè, generationem (1) ſpectare obſervatione phœnomenorum conſtat. Strictè tamen conectuntur, iiſdemque mechaniſmo ſimul & conficiuntur viribus, ſivè morborum curatorii, ſivè conſervatores, ſive generatores ſint. Sed quia de actibus naturæ morborum curatoriis tantùm acturi ſumus, circa cæteros ſilebimus.

Quandiù ordo motuum, harmoniaque functionum vigent, ſeu quandiù ad omnia perficienda, ſolâ virium quantitate ejus energiæ ſummæ accommodatâ opus eſt naturæ; animal ſanitate valet. Aſt noxium quodpiàm, ſi in corpus fuerit receptum, vel ſi cauſa quælibet adſit (certè innumerabiles ſunt illæ cauſæ) obſtans cur eâdem virium quantitate munus organorum peragatur; neceſſariò læduntur functiones. Tunc natura cauſa & adminiſtrator omnium motuum, omnium ſenſationum, maximos facit conatus anxia ſemper conſervationem corporis quærens, ſæpè ſæpiùs

(1) L'homme n'a reçu la vie que pour la tranſmettre: ait orator naturæ Rouſſeau.

febrem concitat, coquit materiam morbificam, & coctam expellit. Si vulneratum fuerit corpus, in ſanandum vulnus intentiſſima ſeparatas conſolidas fibras, cicatricemque cutem obducit; oſſa fracta conglutinat; omnia in corpore læſa reparat; & quod maximi eſt momenti, appetit ſæpè remedia vel alimenta ipſæmet ſuccurrendæ idonea. Hinc de *febre*, de *coctione*, de *criſibus*, tandemque *de appetentiâ remediorum ac alimentorum* ſigillatim & breviter agemus. Quo peracto, in quibuſnam morbis plus, in quibusnam minus valeat natura, inſpiciemus. Certè plurimæ ſunt aliæ facultates morborum propugnatrices, ſed hæ caligine obvolvuntur.

De febre.

Ex omnibus naturæ facultatibus, nulla certior, potentior ve febre, tùm ad ſanandos tùm ad præcavendos morbos agnoſcitur. Aſt quid ſit febris? Omnes ferè auctores febris definitionem anxiè quæſiverunt, & nullus legitimam poſuit. Alii cum *Galeno* (1) *calorem*

(1) Febris eſt immodicè *acutus calor*, ut & hominem offendat & actionem lædat, accenſus in corde & procedens ab eo in latum corpus. *Galenus.*

acutum, alii cum *Boërhaavio* (1) pulſum *velociorem* febrem definiverunt, ſed cuique patebit, hos viros, nullo modo veram febris definitionem poſuiſſe, attendendo 1°. tùm ad ſtigus primi febris ſtadii, uſquè ad finem aliquotiès infiſtens, tùm ad acretionem caloris in ſtatu ſano; 2°. tùm ad quaſnam febres cum pulſu naturali, vel lentiori exiſtentes, tùm ad ſanitatem animalis, licet pulſus ſit velocior. Aliundè aliquot tantùm febris phœnomena non vero naturam ejus abſolutam oculis ſubjiciunt hæ definitiones; cùm calor acutus vel pulſus velotior id eſſe nequit, per quod ipſa hæc phænomena exiſtunt haudquaquam iis eſſentiæ abſolutæ nomen tribui poteſt (2). Ruunt ergò omnes febris definitiones, & ſola ejus valet deſcriptio.

In triplex ſtadium totus febris curſus dividi debet, quia tres ordines phœnomenorum manifeſtantur. In primo, ſpaſmus totum corpus præcipuè cutem occupat, vires à per-

---

(1) Adeò quidquid de febre ſic novit medicus, id vero omne, velocitate pulſum ſolum cognoſcitur: *Boerhaavius*,

(2) Vid. Selle, rudimenta pirethologiæ.

pheriâ ad centrum, ſive à partibus externis ad internas vergunt. Tunc perturbatio functionum, frigus, conſtrictio cutis, langor, imbecillitas, corporis extenuatio, color lividus, ſuccitas vulnerum, propenſio ad ſomnum, difficultas reſpirandi, inertia virium muſcularum, pulſus parvus, debilis, rarus & celer obſervantur. In ſecundo, contrariò vires à centro ad peripheriam, ſive à partibus internis ad externas vergunt. Tunc calor ardens, circulatio ſanguinis facilis, color rubicundus, carnes tumefacientes, pulſus fortis, frequens & velox videntur. In tertio, vires juxtà modum naturalem diſtribuuntur, ſudores ex omnibus ſuperficiei punctis fluunt, & omnia febris, deſinunt ſymptomata (1). His verò de febre poſitis, ad ejus effectus ſalutares vel noxios vergo.

Actus naturæ morborum medicator, nec unquàm timendus, nec unquàm reprimendus, cum iis qui nonnunquàm ejus faciendæ magis, quam abigendæ poteſtatem ſibi negatam do-

(1) Vid. clariſſimum Dumas, mémoire ſur les effets nuiſibles ou ſalutaires de la fièvre, dans les maladies chroniques.

lent

lent, febris habenda eſt; vel cum aliis (non ſapientioribus) febris in ſe ipſâ, pro directo morbo interpretanda eſt, omnia hæc ejus conſectaria, pro ſimplicibus morboſis ſymptomatibus, accuſanda ſunt; quibus proindè reſiſtere & illa expugnare decet ? Conſultis experientiâ & obſervatione, utramque opinionem erroneam eſſe evidentèr lubebit.

Quis enim medicus neſcit conatus naturæ in cauſas morbificas iiſdem præſtantiores, vel *deleterias*, vel jacentes in partes corporis iiſdem ſubductas, irruentes, noxios fieri ? Vires enim vitales impunè exhauriuntur, mox deficiunt, & deficientibus viribus, ceſſat quoque vita. Hinc febris, ingens naturæ conatus, vires vitales exhauriens (1) v. g. in

(1) Si nous ſuivons les progrès ſucceſſifs d'une fièvre qui ſe dévéloppe ſans contrainte, & qui parcourt exactement tous ſes périodes, nous aurons occaſion de nous convaincre qu'elle ſe termine preſque toujours par un abattement extrême des forces. --- Perſonne n'ignore qu'on eſt dans l'uſage d'achever le traitement des fièvres par l'adminiſtration du kina ou de quelqu'autre tonique approprié, afin de prévenir les ſuites funeſtes attachées à la foibleſſe dont elles frappent toute la conſtitution; *Dumas.*

phthiſi, in morbis partium lymphaticarum, in ſtadio ſuppurationis in variolis, quandò tanta eſt materia purulens, ut viribus ægroti ejici nequeat, noxia eſt (1). Quiſnam medicus neſcit, ſublatâ febre, v. g. in inſidioſis malignisve intermittentibus, omnia deſinere undè in illo caſu potius alens quam morbum expugnans febris habenda eſt. Patet ergo febrem aliquotiès timendam ac reprimendam eſſe.

Aſt laudandâ febre, tot tantisque innumeranda ſunt, ut ſolùm ardua ſit electio. Quis enim, bonâ fide, negare poteſt, evidentem pleriſque in morbis utilitatem, abſolutamque in plurimis eſſe efficaciam. Febres enim obſervantur *depurativæ*, quibus gravi cum periculo febrifuga adminiſtrantur remedia. Extant adhùc morbi (chronici) qui citrà febrem nunquàm ſolverentur. Sed tota explicatur ejus poteſtas in morbis acutis, in quibus officium medici ferè ſemper eſt, ut tempora, progreſſus, ſucceſſus expectet. Et ità demùm etiàm optatum ſalutarem exitum aſſequitur, ut Hippocrates pollicetur. Undè,

(1) Vid. Barker.

invitis medicis, qui morbum directum (1) febrem habent, actus naturæ ſalutaris (licèt multoties noxius) merito febris dicitur.

De coctione

Viget in animali facultas quædam nobis occulta, quæ alimenta elaborando, commutando, noſtræque propriæ aſſimilando ſubſtantiæ, jacturam corporis jugiter reparat, inque perpetuo ejus materiæ fluxu ac mutatione, idem tamen atque incolume conſervat. Attingit etiam materias morbificas, conditiones earum noxias quæ morbum intentant aut faciunt, ità penetrat, convertit, ut ſimiles noſtris, aut ad commodam ejectionem expeditæ fiant. Illa vis, *digeſtiva* ab antiquis, *blas alterativum Vanhelmontio*, *moule interieur Buffon*, *appellatur*. Quandò alimenta attingit, ille actus digeſtio, quandò vero materiam peccantem, coctio, dicitur.

An coctio à febre pendeat? Negativè con-

---

(1) Si enim calor illæ, ſeu æſtus, ait Sthal, eſſet ipſe morbus: quid facilius erat, quam calorem hunc extinguere & patientem frigidum reddere, ſolâ aquâ gelidâ.

cludit *clariſſimus Dumas* (1) & reverà febris à vi motrice, dum coctio à vi digeſtivâ (2) pendere videtur. Aſt tamen mutuam ſibi opem ferunt illi actus, ad eumdem tendentes ſcopum, ſtricteque connectuntur, tanquàm effectus cauſarum, quæ ipſæmet nihil aliud ſunt, quam attributa unius ejuſdemque principii. Hinc nulla digeſtio, nulla coctio abſque virium concurſu motricium videtur; quin imo actio earum egeſtati accomodanda eſt, ut omnia rectè perficiantur. Undè omnes auctores, ut perfecta ſit coctio, febrem coercendam, ſi vividior, concitandamque eſſe, ſi imbellior ſit confeſſi ſunt. Ex obſervato *Hecquet* in imbellibus, labore digeſtionis operoſo, vera explicatur febris.

---

(1) Sic aſſertum ſuum probat cl. *Dumas*. Ce travail ſe fait indépendamment de tout effort fébrile. — Les médecins praticiens ſavent que la coction peut avoir lieu dans les maladies qui ne s'accompagnent d'aucun ſigne manifeſte de fièvre, & réciproquement ils reconnoiſſent que la fièvre peut ſe ſoutenir au même degré de vigueur, ſans apporter le plus léger changement à la dégénération des humeurs, &c.

(2) A vi digeſtiva pendet etiam ſuppuratio ſolius naturæ opus, arte quavis ſuperius, præſtantiſſimum remedium adverſus vulnerata, inflammata, quæ perſpe aliter ſanari nequeunt.

Quando noſtris noxiæ ſimiles, quod in parvis evenit morbis, (1) morbum ſolvi, quando adejectionem expeditæ, fiunt morbum judicari, dicitur.

De criſibus.

Repentinæ illæ perturbationiſque plenæ mutationes labori coctionis ſuccedentes, & materiæ peccantis excretione aut abceſſu ſtipatæ *criſes* appellantur. Illâ ejectione indiget corpus, ut ſanitatem recuperet. Natura etiam intentiſſima eam expellit. Nèc ordinaria tantùm uſu veniunt, ſed inconſuetas vias modoſque adhibet; ſicut hemorragiæ, vomitus, diarrhæa, ſudores, urinæ, ſputa &c. docent, *Gaubius*. Quo perfectior eſt criſis eo feliciores exitus. Opus naturæ ſolius eſt criſis; itaque ordo, conſtantiaque quibus ſignantur omnes ejus actiones in criſibus manifeſtantur. Hinc ferè ſemper diebus determinatis eſſloreſcere criſes obſervatione conſtat.

---

(1) Prudentiſſimè igitur monuerunt veteres medici parvos tantùm morbos ſolvi, magnos verò judicari, id-eſt ſenſibilibus excretionibus tolli. *Van-Swieten*, comment. ſec. 594.

Dies illi critici appellati , ſunt ſepteni & ſemi-ſepteni ; indicatorii ſunt ſemi-ſepteni quia indicent judicationes quaternario in altero futuras , ſepteni judicatorii quod ipſi judicent.

Ob eamdem rationem , ſpecialibus unusquiſque morbus tollitur criſibus ; ſic pleuritides perupneumoniæ ſputis , urinis ; febres ardentes & phrenitides hemorragia narium, intermittentes ſudoribus calidis & fætidis , remittentes & eæ quarum ſedes primas occupat vias , v. g. meſentericæ *Baglivi* dejectionibus alvi & vomitu ſolvuntur *Barker* , *Clerc.* Unde patet eos qui cum *Van-Helmontio* omnes febres ſolvendas eſſe ſudoribus in funeſtos errores inductos fuiſſe; ut experientiâ & obſervatione recte probavit *Sydenham.* Morbi hodierna die non ſicut olim citiùs & unica criſi , ſed tardius & ſæpius alternantibus coctione & excretionibus exſolvuntur quid inde concludendum , non certe naturam non eſſe eamdem, iiſdemque legibus non obſequentem , ſed cum *Stalio* imbelliorem.

De appetentiâ remediorum & alimentorum.

Docta eſt natura , licet à nullo edocta , proindè omnia quæ corpori ſalubria vel noxia

ſunt optimè novit ; iſta appetit & accipit, illa vero faſtidit ac rejicit. Ea quamvis facultas majori gradu animantibus indita ſit, quam homini : huic tamen tàm eximia ineſt, ut illi obſequendo imminentes morbi ſæpiſſimè evertuntur, refractarii etiam ſanantur (1), Hinc infantes qui acido in primis viis laborant, nullâque nec experientiâ nèc inſtitutione edocti carbonaceam quamcumque & calcaream materiem ingurgitari videbimus, acidum ut temperetur. Gallus perdiu incluſus ægrotus fit, calcem parietis ſcalpit, eam deglutit & ſaneſcit. Equus purgatione egens helleborum depaſcit &c. Videntur quotidie morbis putridis laborantes, ſubſtantias animales faſtidire, vegetabilia vero acida appetere ; quæ certe ſunt remedia vel

---

(1) In ſcriptis *Clerc* legitur ſequens obſervatio : M. *Reſling*, chirurgien de l'impératrice de Ruſſie, fut attaqué d'une hydropiſie qu'on appelle leucophlegmatique : ce mal rebelle avoit réſiſté aux ſecours dont M. *Reſling* avoit fait uſage. Il eut envie de manger du fruit de la ronce ordinaire ; il en mangea d'abord une petite quantité, quelques heures après il urina plus abondamment que de coutume, & ce premier ſuccès lui en fit manger d'autres. Les urines devenant plus copieuſes de jour en jour, le volume du ventre & l'oédème diſparurent.

alimenta his morbis profligandis idonea & omnibus practicisadm iniſtrata. Quàm ergò vituperandi ſunt hi medici, omnibus in caſibus naturæ appetenti reſiſtentes, quia aliquotiès homines à naturæ votis digredientes noxia appetunt (2).

In quibuſnam morbis plus, in quibuſnam vero minùs valet natura?

Ad problema ſolvendum omnes varios morbos perluſtrare non opus eſt, ſed tantùm in quânam claſſe plus, in quânam verò minùs valeat, ſtatuere.

In binas claſſes præcipuas, in morbos ſcilicet acutos & in chronicos omnes ferè auc-

---

(2) C'eſt donc un acte de ſévérité dangereuſe & blâmable (aït idem auctor) de refuſer opiniâtrement à un malade les choſes qu'il déſire, quand elles ne ſont pas directement contraires à ſa maladie, ni fort nuiſibles par elles-mêmes. Pour me convaincre ſi c'eſt par caprice ou par inſtinct que le malade s'obſtine à me demander conſtamment une choſe, je me ſers d'un moyen bien ſimple, je condeſcens à ce qu'il veut: ſi c'eſt un caprice de ſa part, il goûte & rejette l'aliment; ſi au contraire c'eſt par beſoin, il mange avec la plus grande ſatisfaction ce qu'on lui accorde, & je n'ai jamais éprouvé que cette complaiſance ait été funeſte.

tores diviſère. Licet primâ fronte illa diviſio parvas, attamen ſi modum agendi naturæ in illas ſigillatim inſpiciemus, ſummas utilitates nobis offert; cum priori tota ejus energia explicatur, dùm in poſteriori debilis vel ferè nulla videtur (1). Verùm enim verò, ſi utrique ſtudeamus, in morbis acutis, invadente principio morbifico naturam trepidam opprimi videri, mox autem exſurgere, omnes ſuas facultates evolvere propugnatrices, firmiter atque methodicè (2) illud expugnare & ſuperare, vel victam perire, perpiciemus: (undè dictum fuit, *horæ momento cita mors venit, aut victoria læta*,) in chronicis contrario, initio ægrotum tantum languere videri triſtitiâ, operoſum functionum munus conſequi, principium morbificum quotidiè defectu naturæ progrediens, vires imminui, elaborationem injeſtorum malè peragi, indè langorem, ma-

(1) Ideò dixit Sydenhamus; dico eum qui remedium ad hanc intentionem roborandi & digerendi ſatisfaciendam potentiſſimum invenire poterit, longè majora in ſanandis morbis chronicis præſtare poſſe, quam ipſe ſe poſſe exiſtimet. *tract. de pod.*

(2) Natura in morbis chronicis non habet methodum tàm efficacem, quâ materiam morbificam foràs ejiciat, perindè atque in acutis: Sidenh.

ciem, proſtrationem virium, tandemqne mortem accedere (1).

His expoſitis, jàm ſolutum eſt problema, id eſt, unicuique patet naturam plus in acutis, minùs vero in chronicis valere : aſt quia iſti ordines, progreſſus, ſucceſſus in omnibus ſpeciatim ſumptis non manifeſtantur, regula generalis tantùm ponenda eſt; obſervatur enim defectio actionis naturæ in quibuſnam acutis v. g. in apoplexiâ, in morbis ſoporoſis &c. Plurima commonſtrant facta naturam aliquoties efficaciter agere in chronicis (2), ac ipſimet relictam fortunatos exitus habere. Inter quæ ſequentem in ſcriptis *Clerc* legendum tantùm explanabo.

Une Dame de La Haye avoit un cancer occulte à l'un des ſeins. ------ Ne recevant aucun ſoulagement de tous les remédes qui lui furent adminiſtrés, .---- elle réſolut d'abandonner ſon mal à la nature. Quelque temps après, il ſurvint à cette Dame une petite

(1) Vid. Voullonne.

(2) In chronicis verò affectibus, pleriſque certè, plus incumbit arti, quam ab ipſâ naturâ, non niſi raro, expectare integrum ſit : Sthal.

tumeur à la jambe, qui ſuppura : l'abcès s'aggrandit, & la ſuppuration devenant de jour en jour plus abondante, le cancer diminua inſenſiblement, juſqu'au point que M. le Profeſſeur Schweneke appelé de nouveau, convint, après l'examen, qu'il n'en reſtoit pas aucune indice &c.

Concluſiones ex dictis deductæ.

Morbus (1) eſt phœnomen vitale & omnes ſui actus ad eumdem ſcopum, id eſt, ad conſervationem tendunt. In ſtatu pathologico principium morbificum pugnandum eſt, & pugnatur, ſuperandum & perſæpè ſuperatur; ad hoc perficiendum tempora perluſtranda ſunt & perluſtrantur, ordines ſervandi & ſervantur; hoc tamen peragens natura, multotiès deficit viribus, impedimentis laborat, turbata titubat, anxior aliquotiès nimios facit conatus, aliiſque erroribus obnoxia eſt. Tunc incipit ars, & officium medici eſt, ut vires roboret, impedimenta auferat, hanc nimiam activitatem coërceat, cæteroſque errores emendet.

(2) Conſideratus ex parte naturæ.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES,

D. PAULUS - JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARD-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONNET.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES - BAPTISTA - TIMOTHEUS BAUMES.

D.

ANNOTATIONES QUÆDAM

CIRCA

EFFECTUS FRIGORIS ATMOSPHÆRICI IN ŒCONOMIAM ANIMALEM.

QUAS, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludoviceo Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

ANTONIUS CRUEGE, è loco Carandelle, partitionis du Cantal, liberalium artium magiſter & jam-dudum medicinæ Alumnus,

pro trimeſtri menſis januarii anni 1792.

Pro baccalaureatûs gradu conſequendo.

Qui artem medicam recta inveſtigatione conſequi volet, anni tempora in conſiderationem adhibeat.

HIPPOCRATES.

MONSPELII,

Ex Typis TOURNEL patris & filii, Univerſitatis medicinæ Typographorum & Bibliopolarum.

M. DCC. XCII.

ANNOTATIONES
QUÆDAM
CIRCA
EFFECTUS FRIGORIS ATMOSPHÆRICI IN ŒCONOMIAM ANIMALEM.

VIX ars medicatrix è cunabulis orta, cum medico neceſſitas adhibendi attentionem ad varietatem tempeſtatum, patuit. Oculos conjecit ad diverſitatem climatum, ex obſervatione, notitia phœnomenorum ibi peractorum, manavit. *Hippocratis* ingenii perſpicuitatem non fugit hoc in arte ſanandi eſſentiale objectum. Influxui aëris in œconomiam animalem peritiſſime pretium impoſuit, & felici connubio artis philoſophandi, accuratæque medicinæ culturæ, novo

lumine, quo numquam niteſcere deſivit Monſpeſſulana Facultas, artem illuſtravit.

Mihi autem eodem ardenti animo, ſed mediis deſtituto, hæc glorioſa veſtigia ſequi oneroſius videtur, & unicam tantùm aëris qualitatem, frigidam ſcilicet prout in œconomiam animalem agentem, evolvere tento : felix nimium ſi conſpectu paterno Tentamen videatis ! Ad objectum devenio.

Effectus generales.

Effectus frigoris atmoſphærici, ex his caloris per oppoſitionem comparatis deduci poſſent, cum unum in abſentiâ alterius conſiſtat; privato ſiquidem aëre calorico, illum frigidum dicimus, cum ſenſatio frigida, tunc temporis, organa afficiat noſtra.

Frigus tanquam cauſa congelationis immediata habetur, poſito enim frigore evenit, & ſublato tollitur; incipit autem accedente 32°. gradu *therm. Farenheit*, & progrediente, uſque ad o ſpiritum vini deprimit qui gradus vix tolerabilis animali eſſet ſi mediis deffenſoriis orbaretur.

Nemo ſanâ mente in dubium revocare auderet influxum temperiei climatum in œconomiam animalem; & diverſitatem temperaturæ ſub eodem climate ad varias diſpoſitiones & texturas partium conducere quis negat ? Unde

tanta diverſitas inter incolas variorum orbis tractuum.

In regionibus ſeptentrionalibus, ubi ſol à terra diſtantior judicatur, majori vehementiâ frigeſcit aër & hic pro ſuo gradu quæ ambit corpora refrigerat relative ad ſtatum, temperamentum, & conſuetudinem ſubjecti; ſic ob-obſervantur homines in ſtatu pathologico per hiemem calore laborantes, & frigore per æſtatem; ſic ſanguinei, delicatuli, præcæteris, inſultus frigoris timent; ſic inaſſueti è calida in frigidam conſtitutionem advenientes, de rigore frigoris conqueruntur, cùm nullatenus incolæ ipſius ſentiant intenſionem.

Frigus moderate inſiſtens commoda innumerabilia habet, miſtura ſiquidem anni temporum temperata, homines ſanos, mores benigniores & cultiores reddit, aït *Hippocrates*, è contra ſæviente frigore permulta ſequntur incommoda, frigus enim in exceſſu, tanquam remedia ſoporifica agit, cum homines torpentes, ipſo ſæviente, & quaſi dormientes, uſque ad ejus ceſſationem, viſi fuerint.

Tali ſub conſtitutione mulieres multæ ſteriles purgationes habent incommodas, ætas conceptionis ſerò (1) accedit, & ſi advenerit concep-

(1) Analogiam inter vegetabile & animal ſtabilire quamdam inde poſſumus, utrumque enim ſerius gradum maturitatis in tali conſtitutione adipiſcitur.

tus, difficilis eſt partus, & ubi pepererint pueros difficulter nutriuntur, tabes frequenter à partu fiunt, pueri hydropes teſtium habent, junioribus peripneumoniæ & inſaniæ morbi contingunt, ſenioribus febres ardentes, mulieres tumoribus & pituitâ albâ patiuntur. *Hipp.* Si autem longiorem explanationem quis cupiat videat opus aureum de aëre locis & aquis; & comparatione inter aſios & europæos inſtitutâ, veritas elucidabitur. Non hic alienum puto quid de humiditate frigori junctâ tranſeundo dicere.

Humiditas enim frigori juncta effectus acerbos trahit, vitam degentes ſub temperaturâ frigido-humidâ molli & phlegmaticâ conſtitutione donantur, prægraves & quaſi indolentes ſunt, & eò magis quò utraque qualitas intenſiori gradu ſævit; ægri morbos gravat temperies illa, & præ cæteris hypochondriaſi laborantem dolore afficit, idem ſunt effectus aëris frigido-humidi nocturni in meridionalibus ac illi inſultûs frigido-humidi communis.

Effectus conſtrictorios in ſolida, & condenſatorios in fluida habet frigus. Hæc autem per ſe nihil, viribus vivificantur circà quas frigus agit. Unde triplici capite conficitur tentamen.

Effectus frigoris atmoſphærici circà ſolida.

Corpora quæcumque ſint à frigore condenſari phyſicis experimentis demonſtratum fuit, alia majori, alia minori indigent gradu ut hunc experiantur effectum. Hoc autem agit frigus non ſolùm vi condenſatoriâ ſed & etiam congelatrice; inſtar aculei defigit, ſi ſic loqui fas ſit, mox quaſi impungens, & tunc caloris vel inflammationis levi gradu, pars afficitur, tunc fibræ rigiditatem acquirentes difficulter extenduntur, meatus cutis clanduntur, vaſorum ſpaſmus adaugetur, condenſatiſque humoribus (1) fit difficilior circulatio. Partes majorem acquirunt cohæſionem, corpus minorem oſtendit molem (quod ſub ſenſibus cadit ſi veſtimenta per hyemem ampliora videantur) & ſic adauctâ cohæſione ſolidorum, ſolutiones continui perquam difficiles, ſic adaucto motu tonico, quo fibræ ad violentiorem tendunt contractionem, vigent robur phyſicum, motuſque periſtalticus, unde jamjam motus cordis vividiùs exercetur, reſpiratio fit liberior, & actiones voluntatis læte peraguntur, fortes extenſique ſunt articuli, unde membra uſque

(1) Non mirum ſi de fluidis etiam quid dicamus, ita enim inter ſe connectuntur, ut de his hîc ſermonem habere nequimus, quin illa amplectamur.

vegeta, actioni diſponuntur; roborisphiſici vigor & actionum celeritas ut effectus frigoris habendi ſunt, ità in plagis ſeptentrionalibus & boreas influxui poſitis generaliter obſerventur, ſiquidem ſeptentrionales laboris magis amantes, & fortiores ſub meridie jacentibus (1) & viri illi robuſtiſſimi miratu dignas, vi muſculari agunt actiones.

Textus cellularis actione frigidâ conſtringitur, nam apud hæmophtycos & hæmorrhoïdarios ſpirante frigidâ aurâ ſuppreſſæ ſunt, hemorragiæ vel minori copiâ fluunt. Apud fæminas minor advenit catameniorum fluxus vaſibus uterinis tunc conſtrictis, unde varices originem trahere poſſunt, redeunte calido tempore; commoda aliundè conſequi poſſunt cum perclauſis corporis poris, miaſmatibus (tunc raro in aëre vagantibus) claudatur via; undè dici poſſet, frigus peſtem expellit agentem, & repellit accedentem.

Si tot effectus habeat frigus in ſuperficiem corporis quid credendum de pulmonibus?

Pulmo enim texturâ laxâ, delicatulâ componitur, & vaſa ipſius, membranis levibus conſtructa faciliorem aditum aëri intus dant, aliunde temperatura ipſius calidiſſima.

---

(1) Rationem hîc habere ad conſtitutionem & vivendi modum horum-ce hominum par eſt.

Immediate igitur frigoris impetum accipiens illud organum, effectus perniciem trahentes experiri debet, revera in inflammationem pulmonum conducit frigus condenſatione & conſpiſſatione ſanguinis in vaſibus, ut obſervatur in ſeptentrionalibus regionibus hiberno tempore vel in aliis climatibus flatu frigoris ſæviente; ſiccus autem aër & moderato caloris gradu donatus, amicus pulmonum.

Numerum cauſarum phtyſis adaugent frigus, & temperatura frigido-humida per ſuppreſſionem ſubitaneam conſuetarum evacuationum, ut optime elucidavit *Thomas Reid* traduit par M. *Dumas*, ſi enim caracter viſcoſus lymphæ, per inſultum frigoris in vaſa exhalantia pulmonum, infigatur, ſecretio minori copiâ fiet & impedita erunt ipſamet vaſa.

Cutaneæ tranſpirationis ſuppreſſio huic ſuperaddita pars quædam hujus productionis excrementitialis ad pulmones deferri poteſt, ipſarum autem ſubſtantia parenchymatoſa his obrupta, majorem acquiret denſitatem, vim elaſticam amittendo, minuetur diametros pulmonarium vaſorum, compreſſione materiæ circundantis, difficilis fiet reſpiratorius motus & thoracis diverſæ partes dolore afficiuntur

Effectus frigoris atmoſphærici circà fluida.

Ignotum optimis medicis non fuit fluida cor-

poris humani effectus frigoris experiri, poſtquam attente obſervarint, refrigeratis corporibus, fluida in vaſibus circulatoriis condenſari, » quoties in aëre augetur refrigerium, ait *Sylvius*, toties augetur in corpore unde fluida condenſantur, humores certe à frigore non ſolùm ad ſpiſſitudinem ſed ad lentorem atque tenacitatem diſponi, notum eſt. Hyeme & ſpirante aëre frigido raró apparent fluxus etiam apud plethoricos, curſus humorum perdifficilis ſit, adaugentur orgaſmus, infarctus, & multiplex humorum aberratio, *Gaubius*.

Conſtrictorius motus in frigore adaugetur, ait *Sthal*, & oppoſitâ reſiſtentiâ, impeditur, vel minuitur tranſitus humorum è parte ad partem. Coarctatio vaſorum ſanguiferorum ſequitur, uſque ad diſparitionem in ſuperficie corporis pro gradu ſtricturæ, ex hac autem conſtrictione partium mollium & coarctatione vaſorum ſequitur congeſtio ad interiora, inertes coacervantur humores, & conſenſus contentorum cum continentibus mutationem patitur, pro diverſâ conſtitutione corporum, inde acrimoniæ, articulationum affectus, leucophlegmatia, hydrops, ſcorbutus, perturbatio functionum cordis, pulmonum, cerebri &c.

Sanctorianæ tranſpirationi minuendæ inſervit frigus ſiquidem referente *Arbuthnot*, in

ſeptentrionalibus fere duplo major æſtate quam hyeme obſervata fuit tranſpiratio. Vigente frigore corpora licet ad vehementiores actiones ſeſe protrahant, non apparet hæc pars humorum fluidiſſima ſub nomine ſudoris ad exteriora guttatim defluens.

Suppreſſione autem tranſpirationis, omnis generis evacuationes é glandulis corporis eveniri poſſunt; non intenſiori modo agunt dieuretica quam ſuppreſſio cutaneæ excretionis in malo hyſterico *Arbuthnot* diarrheæ pariter ſæpe contingunt tempore frigido, lege ſiquidem immutabili, non minuitur, vel ſupprimitur evacuatio quædam, quin & altera neceſſario adaugeatur.

Flatus aëris frigidi dolorem in parte expoſita præfixam adducet, forte retentio, vel ſuppreſſio tranſpirabilis materiæ æquam non dant rationem phænomeni. Humiditas effectus frigoris in tranſpirationem auget, nam tunc fames, thorax, venter doloribus pertinacibus vehementer opprimuntur.

Partium quæ immediate frigoris inſultibus exponuntur ut extremitates; v. g. vaſa conſtrictioni magis obnoxia & ſuppreſſione tranſpirationis, naſcuntur acrimoniæ irritantes, color lividus, rubor, tumores, pruritus, perniones, rhagades, ulcera, & ſi in intimo frigore glaciali afficiantur, gangræna & ſpha-

celos comitantur, motu & ſenſu ſuffocatis.

Effectus frigoris atmoſphærici circà vires vitales.

Corpus tanquam ens paſſivum, iners maſſa, exiſteret, niſi principio quodam occulto, vivificaretur. Hoc autem principium ad tres reduci vires, digeſtivas ſcilicèt, motrices, & ſenſitivas, poteſt, quid in unamquemque poſſit influxus frigoris explanare conabor.

Ens negativum licet frigus ſit, id eſt privatio calorici, hoc tamen in ſtatu aër atmoſphæricus in vires vitæ inſignes exhibet effectus relative ad ejus intenſitatem, & ad actionem, vel ad diſcrepantiam inter has exiſtentem (1).

Frigus in corpora præſertìm vim exercet, quæ debiliori vi vitæ gaudent, irritabilitate

---

(1) 1°. Quidem relative ad actionem virium vitalium in eas agit. Apud validiores homines enim, partium tonus mutuaque ſolidorum & fluidorum actio adaugentur, motum circulatorium impellit, unde circulatio vividior, coctio, attenuatio, diſſipatio & neceſſitas alimenta ingerendi. Apud debiles vero ſpaſmos, convulſiones. Vide *Gaubius.*

2°. Quoad diſcrepantiam agit. Adauget ſiquidem energiam in quibuſdam, dum minuit in alteris ut infrà videbimus, unde deducitur frigus modo tantùm ad diſpoſitionem relativo in corpus agere.

majori donantur in quibus circulatio humorum lentior, in quibus langueſcit calor naturalis, ſenſus motuſque torpent, vel vividiores ſunt, in quibus fibrarum textus mollitie, vel rigiditate nimiâ donatur.

Effectus autem frigoris circà vires vivificantes, ad ſequentes reduci poſſunt, virium motricium vim adauget frigus, digeſtivas roborat, ſenſitivas minuit & è peripheriâ ad centrum dirigit (1). Quod antem pro certo ut habeamus, ad ſeptentrionalium regionum incolas admoveamus oculos, robuſtos ipſos videbimus, fortes, vigore donatos, ipſiſque ineſt vis motrix ſummâ gaudens energiâ (2), digeſtio facillima

---

(1) Non tanquam cauſam unicam hujuſce phœnomeni habemus frigus. Unam, ex præcipuis, cauſam, è vivendi ratione politicâ & civili, licet ſit perdifficile influxum earum reſpectivum determinare deducimus.

(2) Explicatio hujuſce phœnomeni deduci poſſet ab actione chimicâ aëris in partem fibroſam futuram. Vis ſiquidem motrix in fibrâ muſculari probata fuit, cum ipsâ incrementum, vel decrementum habet; probatum aliundè fibram muſcularem fixatione oxigenii formari, *Thouvenel*, *Girtamner*, & probatum pariter manet in ſeptentrionalibus regionibus, aërem purum magis eſſe, & ſub æquali volumine majorem oxigenii quantitatem continere,

eſt apud eos, unde cibi appetitus (1) inſtans eſt. Aëre frigeſcente focus gaſtricus roboratur calor animalis totum in corpus diſperſus, è peripheriâ ad centrum convergit, hilariter digeruntur ingeſta, & conſtrictâ cute, retentoque ſpiritu ſanguinis laxa manet alvus *Hipp.*

Debilis autem ſenſibilitas, parumque explicata (2), « il faut écorcher un moſcovite pour lui donner du ſentiment *Monteſquiou* »; placide quoque ferunt, vel potiùs minus conflictantur in læſione textûs partium, hæc forſan ratio eſt cur medici largâ doſi admi-

---

unde concluſio facilè deduci poteſt in gratiam actionis chimicæ.

Excludere tamen actionem phyſicam mens non eſt, contractione ſiquidem textus fibroſi ad ipſius robur conducit frigus.

(1) Si minor ſit deperditio in climatibus ſeptentrionalibus cur igitur vividior ciborum appetitus, cur digeſtio facilior? hoc caligine obruitur.

(2) Independentes tamen vires motrices à ſenſitivis ex hoc obſervato concludi non poteſt, actionem ſiquidem ex his habent: » la mobilité, dit M. Fouquet eſt une des deux actions compriſes dans l'exercice de la ſenſibilité, c'eſt toujours l'expreſſion du ſentiment », ab his determinantur non modo autem phyſico; in œconomiâ enim animali rarò cauſæ effectus pares ſunt.

niſtrent remedia in ſeptentrionalibus, quæ noxam ſub meridie jacentibus inferrent pari doſi. Ibi rariùs eveniunt convulſiones quam in climate meridionali, ubi vires vitales fere inverſo geruntur modo. E peripheriâ ad centrum convergunt vires (1), morbis quoque internis, modicâ tranſpiratione hoc comprobatur. Morbis catharralibus vulgò affligantur incolæ, les maladies catharrales ſont les maladies des pays froids, dit *Arbuthnot*.

Non minoris momenti effectus frigoris in morales facultates ſunt; ingenium uationum à naturâ aëris aliquid accipit. Quidam vi imaginationis, quidam vero vi ingenii præſtant, ſed obſervatione *Arbuthnot*, vix in magnâ, & parvâ latitudine floruiſſe artes, conſtat. In genere, in minori ab æquatore locatis diſtantiâ inventa debentur, quibus in majori autem, perfecta. Leges autem & adminiſtrationes multùm poſſunt : » les Gouvernemens moulent les mœurs *Arbuhtnot*, » unde quibus nunc regitur, uſque gloriabitur gallica gens.

---

(1) Explicatu difficile hoc phœnomenon, nùm ut major quantitas aëris abſorbatur? Vel tantùm effectus phyſicus eſt?

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES,

D. PAULUS - JOSEPHUS BARTHEZ, *Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARD-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONNET.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES-BAPTISTA-TIMOTHEUS BAUMES.

D.

OSLER
ROOM
W2 260
D613
1792

#1335178026
v. 2